Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

Ex libris Jos. P. Kaisen

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

ALIA EJUSDEM AUCTORIS OPERA

SUMMARIUM INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM, ad instar programmatis in alumnis edocendis et examinandis adhibendum; *franco*..... 0 75

L'expérience paraît avoir démontré l'utilité de ce sommaire. On reconnaît qu'il facilite singulièrement la tâche toujours délicate des examinateurs; qu'il permet aux élèves de saisir d'un coup-d'œil l'ensemble d'un traité, et même de la Théologie tout entière; de se rappeler le détail et la solution des questions, et qu'il dispense d'écrire vingt programmes.

TRACTATUS DE VIRTUTE CASTITATIS, ad usum seminariorum, juxta novissima S. Sedis decreta et recentiora scientiæ inventa; 230 pages; *franco*..... 2 »

Ce Traité a pour objet les questions les plus délicates, souvent les plus difficiles, toujours les plus pratiques et les plus graves de la Théologie et des sciences naturelles. De ces principes et de l'application de ces conclusions dépendent l'existence, la conservation, la force, la dignité, la vertu et le salut éternel des individus, l'honneur, la félicité et la prospérité des familles, la vitalité, la grandeur et la durée des nations...

INSTITUTIONES CANONICÆ, ad usum seminariorum, juxta novissima S. Sedis decreta, cum Brevi Pontificali; 2 volumes, 709-759 pages. *Franco, en mandat-poste*..... 7 »

« La logique et la simplicité dans la conception du plan; la clarté et la force dans l'exposition; une grande sobriété dans la forme; l'étendue des connaissances dans les conclusions; la mise à jour, si je puis ainsi parler, des décisions pontificales dans les objets avec lesquels le clergé est en contact quotidien; une conformité parfaite aux vues du Saint-Siège; voilà les qualités qui m'ont le plus frappé dans cet ouvrage. Elles frapperont aussi très sûrement ceux qui, comme moi, le liront avec attention et liberté d'esprit et d'appréciation. »

Mgr BOURRET.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA NONA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ ET S. ALPH. DE LIGORIO, AC RECENTISSIMA S. SEDIS DECRETA, CUM BREVI PONTIFICALI, EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac Rev. DD. GOUTHE-SOULARD, Archiep. Aquensi,
Ill. ac Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi,

AUCTORE A. BONAL

SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS SEXTUS

DE JUSTITIA ET JURE, DE CONTRACTIBUS, DE VARIIS STATUUM OBLIGATIONIBUS, INDEX ALPHABETICUS.

TOLOSÆ

APUD DOULADOURE-PRIVAT, EDITORES BIBLIOPOLAS

VIA SAINT-ROME, 39.

1896

VIRGINI

IMMACULATÆ

37.

TRACTATUS

DE JUSTITIA ET JURE

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — Relationes ordinis supernaturalis inter Deum et hominem determinantur atque servantur per virtutes fidei, spei, charitatis et religionis, de quibus dictum est in Tract. *de Decalogo*.

Relationes autem hominum ad invicem determinantur et servantur per virtutes caritatis et justitiæ. De caritate erga proximum jam actum est etiam in Tract. *de Decalogo*. Nunc igitur de virtute *justitiæ*, quæ cadit sub quinto, septimo et octavo Decalogi præceptis, disserendum superest.

Scilicet, in hocce Tractatu specialiter dicemus de virtutis justitiæ objecto, seu de notione, conditionibus et effectibus *juris proprietatis*. In Tractatu autem de *Contractibus*, agemus specialiter de notione, conditionibus et effectibus *transmissionis* illius juris proprietatis, per *consensum voluntatis* humanæ.

Nec profecto quemquam præterire potest hujusce tractationis utilitas, et maxime in hoc tempore opportunitas. Humana quippe societas in justitia et jure proprietatis adeo nititur, ut tali jure semoto, jam ubique prævalerent principia familiæ omnisque societatis humanæ subversiva, atque de labore, concordia et de ipsa vita civium actum esset atque desperatum.

Nostris porro temporibus pullulant nefarii homines, qui, laborem, paupertatem, imo et vitæ mediocritatem impatienter sustinentes, sua improvide profundunt, atque

aliena invadere, et omnia jura subvertere anhelant, ut ju gem voluptatum famem exsaturare possint. Quibus ergo infensissimis Reipublicæ malis ut Ecclesiæ ministri medeantur, regulas justitiæ et juris apprime callere debent. Ipsorum enim est aberrantes ad recta principia revocare, jurium officiorumque æquitatem summo zelo curare.

Pars erit triplex, 1° de principiis justitiæ et juris; de violatione juris seu de injuria; 3° de reparatione juris seu de restitutione[1].

PARS PRIMA

DE PRINCIPIIS JUSTITIÆ ET JURIS

Dicemus, 1° de notione justitiæ et juris; 2° de objecto, et 3° de subjecto juris proprietatis; 4° de modis quibus acquiritur.

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE JUSTITIÆ ET JURIS

2. — *Quæritur* 1° quid sit *Justitia* et quænam ejus species?

Resp. Justitia, in genere, est rectitudo moralis tota et integra, seu collectio omnium virtutum, quæ imprimis nititur statu gratiæ sanctificantis, ac complectitur omnes virtutes infusas et dona Spiritus sancti. In hoc sensu dicitur : Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam... nisi abundaverit Justitia vestra, etc.; Matth. 5, v. 6, 20. Tract. *de Gratia*, n. 302, 315, 319.

Stricto sensu, prout hic sumitur, justitia est *virtus supernaturalis et moralis, disponens voluntatem ad perpetuo*

1. Circa Tract. *de Justitia* et *Jure*, consuli possunt Suarez-Guarini, *Juris naturæ et Gentium principia et officia*, etc.; — Lessius, *de Justitia, Jure et speciebus Juris in genere*; — *Vogler-Editores, Appendix secunda ad jus et justitiam* : quæ tria illa opera in Cursu Comp'eto inserta sunt, tom, 15; — Carrière, qui præ cæteris hanc materiam juxta jus Gallicum erudite tractavit; S. Ligorius, lib. 3., *Tract.* 5; — Marcadé, *Explication théorique et pratique du Code Napoléon*; — Mourlon, *Répétitions, etc.*; — Zachariæ, *Cours de Droit civil français*; Demolombe; — Lucien Brun, *Introduction à l'étude du Droit*, 1 vol. in-12,

unicuique reddendum jus suum secundum æqualitatem, propter finem ultimum supernaturalem.

Et quidem 1. *virtus* seu qualitas laudabilis et ex se stabilis; in quo convenit cum virtute qualibet, atque distinguitur ab ipso justitiæ actu, qui est modus ex se transitorius. Tract. *de Virtutibus in genere*, n. 2.

2. *Supernaturalis*, id est, a Deo indita per infusionem gratiæ sanctificantis, ita ut ejus principium sit divina gratia, ejus regula sit lumen fidei, ejus finis sit bonum supernaturale. Tract. *de Virtutibus in genere*, n. 3, *de Gratia*, n. 315.

3. *Moralis*, seu spectans aliquod bonum creatum; et in hoc discrepat a virtutibus theologicis, quæ immediate versantur circa ipsum Deum. Tract. *de Virtutibus in genere*, n. 5, 1°, 2°.

4. *Disponens voluntatem;* quo indicatur illius virtutis subjectum esse voluntatem, sicque justitiam distingui a virtutibus intellectualibus, quarum primarium subjectum est intellectus.

5. *Ad perpetuo unicuique reddendum jus suum secundum æqualitatem;* quibus significatur objectum materiale virtuti justitiæ proprium seu jus strictum servandum, nempe, vel non lædendo jura aliorum, vel læsa reparando ad æqualitatem; et sub hoc respectu justitiæ virtus discrepat a qualibet alia virtute morali. Juxta plures, objectum materiale virtutis justitiæ est res alteri debita, seu jus alterius passive sumptum; objectum vero formale est facultas in altero exigendi rem sibi debitam seu jus alterius active sumptum. At hujusmodi motivum seu objectum formale, ex se ordinis naturalis, non sufficit ad virtutem supernaturalem. Unde,

6. *Propter finem supernaturalem;* et exinde ratione motivi seu objecti formalis, justitiæ virtus evadit supernaturalis.

Itaque justitia semper requirit personarum diversitatem; cum nemo justus erga seipsum dici possit, neque sibi facere injuriam, quæ est læsio juris, altero invito. Revera justitia supponit unum qui re sua caret, aut carere potest, et alterum qui rem illam possidet aut possidere

potest contra jus prioris; ergo justitia diversitatem personarum implicat.

Justitia est generalis vel particularis; S. Th. 2. 2, q. 58, a. 5; q. 61, a. 1.

Generalis justitia ordinat privatos ad societatem seu inclinat quemcunque ad jus suum reddendum societati, cujus pars est, sicque subditum ad communitatem quasi partem ad totum ordinat. Vocatur etiam *legalis*, quia habet pro objecto id quod debetur communitati juxta legem naturalem vel positivam.

Particularis justitia ea est, quæ ordinat superiores ad privatas personas, vel privatos ad invicem. Unde subdividitur in distributivam et commutativam.

Distributiva, quæ est etiam *vindicativa*, inclinat superiorem ejusque ministros ad justam retributionem onerum et bonorum, vel ad congruam punitionem reorum in bonum publicum; ac proinde ordinat communitatem, seu superiorem ad subditos, velut totum ad partes.

3. *Commutativa* justitia ea est, quæ inclinat quemcunque privatum ad reddendum unicuique privato jus proprietatis; ideoque ordinat privatos ad invicem. Vocatur *commutativa*, eo quod circa commutationes et varios contractus præcipue versatur. Hæc justitia in stricto sensu nomen justitiæ sola sibi vindicat, atque de ea in hocce Tractatu, et in Tractatu *de Contractibus* agitur.

3. — *Quæritur* 2° quid sit jus in genere, et quotuplex juris species?

Resp. In Tract. *de Legib.*, n. 4[1]-4[7], dictum est quid sit jus quoad nomen, quoad rem subjective sumptum et hujus fundamentum.

Insuper ibidem expositum est, n. 4[8], jus, ex parte subjecti, esse *jurisdictionis*, vel *proprietatis*. Hic porro agitur tantum de jure proprietatis.

Unde jus proprietatis est *facultas moralis aliquid agendi vel obtinendi in proprium commodum*, et propterea dicitur jus proprietatis; et in hoc distinguitur a jurisdictionis jure, quod primario et principaliter in subditorum bonum existit.

4. — *Quæritur* 3° quotuplex sit jus proprietatis?

Resp. Duplex est, nempe, imperfectum seu non strictum, vel *perfectum* seu strictum.

Prius est illud, cujus limites pro nobis indeterminati manent, ac proinde cujus exsecutionem via coactionis exigere non possumus; v. g., jus pauperum ad divitum eleemosynas. Propterea jus illud, nonnisi latissimo sensu vocatur jus proprietatis, atque est objectum virtutis caritatis potiusquam justitiæ; et de eo dictum est in Tract. *de Decalogo*, ubi de caritate erga proximum.

Posterius illud est, cujus limites vere et clare determinantur aut saltem determinari possunt, et quod ideo rigorose exigi potest via coactionis, variæ quidem pro vario hominis statu : violentæ scilicet in statu naturæ; juridicæ vero, regulariter loquendo, in statu societatis civilis. Tale jus est proprium virtutis justitiæ objectum, et de eo in hoc Tractatu, et in Tract. *de Contractibus* agitur.

Attamen jus perfectum, et ejus correlativa obligatio existere potest, quin detur actio civilis. Nam obligatio perfecta est vel *civilis*, vel *naturalis*, vel *mixta*. Civilis quidem, quando dat actionem civilem coram tribunalibus; naturalis, quando ligat stricte in foro interno; mixto quando stricte ligat in foro interno, et dat actionem coram tribunalibus : de facto perfecta obligatio ordinarie est mixta, sed aliquando est mere naturalis, et aliquando mere civilis.

5. — *Quæritur* 4° quotuplex sit jus proprietatis perfectum?

Resp. Duplex est, scilicet, jus *in re* (obtenta seu possessa), vel jus *ad rem* (obtinendam seu possidendam).

Prius est illud, quod aliquis habet in re jam ita sua et possessa, ut possit de ea pro libito immediate disponere. Tale est jus emptoris in re empta, ex jure Gallico. Jus illud confert actionem *realem*, seu quæ rem ipsam immediate attingit; ita ut, qui eo jure gaudet, rem suam repetere possit, quocunque transierit. Propterea vocatur *jus reale;* atque, juxta consuetum loquendi modum, per jus proprietatis pure et simpliciter, intelligitur jus *in re*.

Posterius illud est, quod quis habet ut res *fiat sua*. Dat

proinde actionem *personalem*, id est, directe attingit personam, dando facultatem ab ea exigendi præstationem rei debitæ. Unde dicitur jus *personale*, gallice, *créance*.

Præfata juris perfecti distinctio est maximi momenti in jure tum canonico, tum civili; siquidem utrumque jus illud habet naturam et effectus valde diversos. Sic, qui potitur jure in re, potest rem prosequi et vindicare contra quemlibet detentorem; atque ideo jus illud exigit rem certam et in individuo determinatam.

Qui vero potitur jure ad rem, habet tantum actionem contra obligatum, aut contra eos qui ejus obligationi successerunt, non autem contra tertiam personam, quæ rem debitam possidet. Proinde jus illud versari potest circa objectum determinatum quidem quoad valorem aut qualitatem, indeterminatum autem quoad corpus individuum. Imo potest objectum juris ad rem esse mera alicujus operis præstatio.

De utroque illo jure in præsenti Tractatu agitur, sed præsertim de jure in re; de jure ad rem plura occurrunt in Tract. *de Contractibus*.

6. — *Quæritur* 5° quotuplex sit jus in re?

Resp. Jus in re duplex est, scilicet *plenum* seu completum, vel *semiplenum* seu incompletum.

Prius est potestas disponendi de re modo absoluto, atque ideo tria complectitur, scilicet, *fruitionem* seu actus quibus e re percipitur quæcunque percipi potest utilitas; *dispositionem* seu facultatem mutuandi, alienandi, adhibendi rem quomodocunque libuerit, *exclusionem*, seu facultatem aliis interdicendi quidquid dominum rei turbare posset in usu suæ rei. Quæ tria exprimuntur his verbis : *jus exclusivum fruendi et disponendi*.

Posterius est facultas vel de re fruendi tantum, non autem disponendi; vel disponendi tantum, non vero fruendi.

7. — *Quæritur* 6° quid sit *dominium* et quotuplex?

Resp. 1. Jus in re sive plenum sive semiplenum, sæpe dicitur *dominium;* frequentius tamen eo nomine designa-

tur dominium *plenum*, quod idcirco definitur : *Facultas disponendi de re aliqua tanquam sua, in omnem usum lege vel pacto non prohibitum.* Per verba enim, *de re tanquam sua, indicatur hic non agi de jure ad rem vel de nuda possessione*, vel de potestate procuratoris aut curatoris, qui disponunt de re, sed non tanquam sua.

Dominium autem *semiplenum*, quatenus respicit rem solam, et non etiam fruitionem, dicitur dominium *directum*, vel nuda proprietas, *nue propriété;* quatenus autem respicit fruitionem tantum, dicitur dominium *indirectum* seu *utile*, vel fruitio, *la jouissance*. Hujus præcipuæ species sunt usufructus, usus, servitus, etc., de quibus in decursu dicemus.

2. Duplex est dominium, sive plenum sive semiplenum, scilicet, ~~*altum* vel *humile*~~.

Prius est jus quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando de bonis privatorum ex gravissima causa in bonum communitatis, cum debita compensatione, in quantum fieri potest.

Posterius est dominium privatorum, cui definitio dominii jam tradita proprie convenit.

Jam vero dominium *altum* potius revocandum est ad jus jurisdictionis, n. 3, cum Princeps non possit illa potestate uti in proprium commodum, sed solum ob necessitatem aut utilitatem publicam, nec nisi sub conditione æquivalentis compensationis.

CAPUT II

DE OBJECTO JURIS PROPRIETATIS SEU DOMINII

Dicemus de rebus quæ cadere possunt sub dominio, et de modo quo possunt esse dominii objectum.

ARTICULUS PRIMUS

De rebus quæ possunt esse dominii objectum.

Res seu bona quæ cadere possunt sub dominio, sunt interna, vel externa. Unde

§ I

De Bonis hominis internis.

Tria sunt bona interna hominis, scilicet, bona *corporis*, seu vita, membra et libertas physica; bona *animi*, seu facultates animæ et media illas perficiendi; bona *personæ*, seu fama et honor. Itaque

14. — *Quæritur* 1° an homo verum habeat dominium vitæ et membrorum?

Resp. 1. Homo habet dominium *utile*, n. 7, suæ vitæ et membrorum. Nam sine cujuspiam injuria, membris et vita uti possumus ad omnem usum lege non prohibitum; et vero quid homini magis proprium, quam usus eorum quibus constituitur? Quinimo ex hoc primario jure cætera derivantur. Hinc hominis mutilatio vel incarceratio absque ratione sufficienti, sunt contra justitiam.

2. Homo non habet dominium nisi multimode ligatum in vitam et membra; id est, non potest sine injuria vita et membris abuti; plenum enim dominium penes solum Deum est, sicut Scriptura testatur, Sap. 16, v. 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* Constat ex dictis in quinto Decalogi præcepto.

Nec obstat veritati utriusque assertionis, quod in quibusdam casibus homo possit vita orbari aut membris a publica potestate, et quandoque a privatis; vel etiam quod possit seipsum mutilare, et mortis certo periculo objicere; hæc enim fiunt a potestate publica, vel a privatis, vel a seipso non proprio jure, sed delegato a Deo propter bonum commune et sub certis conditionibus, quas ibidem indicavimus.

15. — *Quæritur* 2° an homo verum habeat dominium bonorum animæ?

Resp. Homo habet dominium *utile* bonorum animæ, ita ut possit mentis suæ facultatibus libere *uti*, easque perficere per ea omnia media, quæ aliorum jura non lædunt. Constat iisdem argumentis jam allatis.

Et vero, hæc est conditio hominis, ut per conveniens suarum facultatum exercitium ad perfectionem quotidie accedat. Cuilibet autem obligationi jus quoddam respondet operandi quidquid ad ejus exsecutionem requiritur : unde axioma : *Quod mihi prodest, et tibi non obest, permittere teneris.* Ergo quisque jus strictum habet ne ab alio in errorem inducatur per mendacia, præsertim noxia, et per æquivocationes extra casus alibi determinatos.

16. — *Quæritur* 3° an homo habeat dominium bonorum *personæ* seu socialium?

Resp. Homo bonorum personæ habet dominium tum indirectum, tum directum, n. 7. Etenim homini competunt primarii actus dominii circa famam, quam potest proprio labore acquirere, ablatam in judicio repetere, vel condonare; imo ipse potest seipsum ex rationabili causa infamare, puta ad petendum consilium, ad coercendam superbiam, ad famam alteri restituendam, aut extollendam Dei in se misericordiam.

Nec obstat quod aliquando non liceat seipsum infamare, v. g., si inde sequatur alterius diffamatio, aut proximi scandalum, atque etiam generaliter, nisi adsit rationabilis causa. Quæ enim prohibitiones imperfectum seu ligatum dominium supponunt, non autem nullum; et revera ligatur et aliquatenus restringitur illud dominium lege naturali, quia uniuscujusque fama, quam nonnisi a societate habet, aliquo modo pertinet ad omnia vel ad plura alia membra hujus societatis sive domesticæ, sive civilis, sive ecclesiasticæ. Unde curam non habens de bono nomine, non solum contra caritatem, sed et contra justitiam sæpe delinquit. Vide Tract. *de Decalogo*, n. 286.

§ II

De Bonis hominis externis.

Bona externa sunt entia ratione carentia, servi, et ingenii proprii fœtus. De his tribus breviter dicemus.

NUMERUS PRIMUS

De entibus ratione carentibus.

17. — *Quæritur* 1° an res ratione carentes possint sub dominio hominis cadere?

Resp. Affirmative. Legitur enim in libro Gen. 1, v. 26-29 : « Faciamus hominem, *et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra...*, Benedixitque illis Deus et ait : Crescite, et multiplicamini, et replete terram, *et subjicite eam, et dominamini piscibus maris,* etc. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram et universa ligna quæ habent in semetipsis semen generis sui, ut sint vobis in escam.* »

Unde Psalmista, Ps. 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus (hominis), oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœlis et pisces maris.* Et vero, vim et potestatem de his omnibus disponendi in proprium commodum, homines habent.

In hoc consentiunt omnes. Cur autem liceat singulis hominibus quædam ex iis entibus proprio et exclusivo dominio subjicere, dicemus n. 38.

18. — *Quæritur* 2° quænam requirantur conditiones ut res externa possit esse dominii objectum?

Resp. Tres requiruntur conditiones, scilicet, ut sit capax occupationis, utilis, et non usus inexhausti.

Et quidem 1. *capax occupationis,* id est, ut subjici possit hominis potestati, alioquin dominium omnino impossibile evaderet. Hinc non dicimur habere dominium corporum cœlestium, v. g., solis, lunæ, etc. Habemus tamen jus iis utendi, adeo ut contra justitiam peccaret, qui absque causa vellet nos ab illo usu excludere.

2. *Utilis* seu ut alicui usui nobis esse possit. Dominium enim fuit introductum circa varia objecta, quia ad nostram utilitatem sic melius conferunt. Unde res quæ ad nihil inserviunt, non sunt dominii objectum. Vix tamen est aliqua res, quæ ad aliquid non possit inservire.

3. *Non usus inexhausti,* id est, ut omnibus simul inser-

vire nequeat, quin unius usus alteri noceat. Nam si res omnibus possit inservire, nemo potest jus sibi tribuere exclusis aliis, quia illud inutile esset; sicut nemo potest ita uti, ut aliorum usum impediat seu perturbet. Sic aer, ventus, aqua profluens, etc., non habentur ut dominii objectum, saltem in se : sed possunt esse quidam usus individui, qui sint dominii objectum, v. g., usus aquæ ad agros irrigandos, etc.

19. — *Quæritur* 3° quænam sint species bonorum externorum, quæ sub dominio cadere possunt?

Resp. 1. Illa bona sunt *corporea* vel *incorporea*. Priora sunt ipsamet bona externa quæ possidemus; posteriora sunt ipsa *jura* ad illa bona habenda vel repetenda : jus enim habetur instar boni, de quo dominus disponere potest.

20. — 2. Bona corporea sunt *mobilia* vel *immobilia*. Priora generatim dicuntur ea, quæ transferri possunt e loco in locum, sive propria vi, ut entia animata, sive per vim externam, ut entia inanimata. Posteriora autem ea sunt quæ moveri nequeunt, saltem absque notabili læsione, ut domus, ager, etc.

Attamen, ex jure positivo, inter immobilia quædam recensentur, quæ ex natura sua sunt mobilia, quæ, scilicet, ita immobilibus sunt annexa, ut si ab invicem disjungantur, utraque fere totum suum valorem amittunt; hæc mobilia vocantur immobilia *per destinationem* [1].

Similiter quædam sunt bona ex natura sua nec ad mobilia, nec ad immobilia pertinentia, nempe res incorporeæ, quæ tamen ex legis determinatione referuntur ad alterutram speciem, juxta naturam rei, quam pro objecto habent : nempe jura ad res immobiles, inter immobilia, jura autem ad res mobiles inter mobilia recensentur : hæc dicuntur mobilia vel immobilia *ex determinatione legis*.

1. « Les objets que le propriétaire d'un fonds y a placés pour le service de l'exploitation de ce fonds, sont immeubles par destination ; ainsi les animaux attachés à la culture, les ustensiles aratoires, les semences données aux fermiers ou colons partiaires, les pigeons des colombiers, les pressoirs, les chaudières, cuves et tonnes, etc. » Art. 524.

Magni momenti est illa bonorum mobilium et immobilium divisio, quæ in omnium populorum legibus reperitur, et multum inservit in pluribus casibus : 1. quoad communitatem legalem inter conjuges, ad quam accedunt mobilia, non immobilia; 2. quoad legata, vel varias conventiones, quæ sæpe pro objecto habent alterutram speciem bonorum; 3. quoad modum exigendi solutionem in foro civili. Addi potest quoad præscriptionem, quoad potestatem tutoris, etc.

6 21. — *Mobilia* bona sunt *fungibilia* vel non *fungibilia*.

Priora sunt ea quæ aliorum ejusdem generis bonorum vice funguntur, eo sensu quod in solutione vel restitutione unum alterius loco trahi possit; v. g., vinum, oleum, pecunia.

Posteriora ea sunt quæ tradi debent in natura, seu numerice et identice eadem, v. g. equus, currus, vestis.

Fungibilium notio iis rebus speciatim competit quæ dicuntur *primo usus consumptibiles :* iis enim consumptis, non eadem in individuo trahi possunt, sed aliæ tantum ejusdem generis et speciei. Attamen res potest esse consumptibilis non solum ex natura, sed ex destinatione, et vice versa; sic, v. g., licet pecunia numerata vulgo habeatur ut fungibilis, talis non erit, si alicui commodetur solum ad ostentationem; contra, si cui pisciculos commodem in stagnum immittendos, erunt fungibiles, quia non iidem in individuo reddendi sunt, sed tantum in simili genere et numero.

Distinctio inter res fungibiles et non fungibiles non parvi est momenti : multum enim inservit ubi agitur de usufructu, de mutuo, de compensatione inter debita, etc.

NUMERUS II

De Servis.

22. — *Quæritur* quid sit servitus?

Resp. Servitus definitur : *Status subjectionis perpetuus qua quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri præstare.*

Unde 1. servitus tria in domino includit, scilicet, jus ad

operas perpetuas servi, jus illum vendenti, jus illum puniendi pro merito.

Unde 2. servitus non includit dominium proprietatis. Omnes enim homines sunt natura pares ab eodem auctore conditi, et in eumdem finem destinati; ergo omnino illicitum fuit dominium proprietatis in servos, quod apud antiquos populos viguit, et quod acquirebatur jure belli, aut nativitate, aut condemnatione, aut emptione.

In Gallia, imo et in omnibus regionibus christianis jam prohibita est servitus sive a fortiori quoad dominium indirectum seu utile, sive a fortiori quoad dominium directum, n. 7; sed perseverat hactenus, et quidem dura prorsusque inhumana servitus, ubicunque viget : infanda immundaque Islamismi secta, præsertim in Arabia et in Africa. Tract. *de Revel.* n. 240, 2°. Insuper, cum apud ipsos veræ Religionis asseclas servitus aliquandiu exstiterit, nec fuerit ab Ecclesia absolute damnata, exinde plures hodie Ecclesiam redarguunt. Itaque circa servitutem quatenus intra dominium utile conscriptum, sit

PROPOSITIO PRIMA

23. — *Servitus non est per se illicita.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* In *veteri Test.* videmus jam a primævis temporibus Patriarchis fuisse servos tum *vernaculos* (id est, domi natos, tum *emptitios :* nec ideo ulla ratione reprehenduntur. Moyses vero servitutem jam antea existentem nullatenus prohibuit; imo ipsam licitam supponit, et circa illam plura statuit, hujus rigorem temperans, sed eam nullibi improbans. In *Novo* autem *Test.* nihil occurrit ex quo concludi possit illicitam esse servitutem; contra in Epistolis Apostolorum eam multa ostendunt licitam, cum passim præscribuntur mutua dominorum et servorum officia. Vid. Genes, 14, v. 14; 17, v. 22, 27; Exod. 20, v. 17; 1 Petr. 2, v. 18; Coloss. 3, v. 23; Ephes. 6, v. 5; I Timoth. 6, v. 1 et 2; Tit. 2, v. 9; I Corinth. 7, v. 21.

2° *Traditione.* Primis seculis, Ecclesia nihil derogavit juribus dominorum, in id solum intenta ut sive dominis, sive servis, ea præscriberet officia, quibus in foro conscientiæ erant adstricti. Jus Canonicum etiam plura statuit *de servis non ordinandis et eorum manumissione.* Item *de Conjugio servorum;* in quibus manifesto supponitur servitutem non esse per se illicitam.

3° *Ratione.* Possumus spectare servitutem tum in se, tum in suis causis, seu titulis est ex quibus inducitur.

Si *in se* spectetur, tria, ut diximus, præcipua jura domino tribuuntur. Porro nullum ex his ut in se iniquum haberi potest. 1. Non *jus ad operas*, ut per se patet. Servo enim non illa libertas tollitur quam dicimus liberum arbitrium, et qua homo a brutis distinguitur; sed tollitur tantum jus seu dominium quod homini competit ad usum membrorum in ordine ad operas, quales per unum hominem alteri præstari fas est. Porro nihil est in jure naturali unde pro illicita haberi possit hujusmodi libertatis amissio.

2. Non *jus vendendi* servum. Cur enim non posset dominus ad alios transferre jus quod habet in servi operas? Illæ operæ sunt verum objectum contractus, et habendæ sunt profecto ut aliquid pretio æstimabile, nec extra commercium humanum versantur. Hinc Exod. 21, Deus ipse præscribit regulas servandas in emptione servorum.

3. Non *jus puniendi*. Non enim agitur de jure per fas et nefas et sine causa exercendo, sed de jure moderato, et intra certos limites coercendo : porro sic intellectum haberi potest ut res periculosa, non autem ut in se mala et injusta. Ergo in se, etc.

Si spectentur *tituli* quibus servitus inducitur, quatuor vulgo assignantur. 1. *Pactum*, seu renuntiatio propria; nullatenus repugnat ut quis renuntiet suæ libertati, vel ad propriam inopiam sublevandam, si alio modo vitam sustentare nequeat; vel ad solvenda debita quibus impar est. 2. *Jus belli*. Potest ferre jus publicum alicujus gentis ut captivi in servitutem reducantur : nec repugnat victorem hanc pœnam infligere; quandoque enim posset captivos occidere ob securitatem gentis; ergo a fortiori in servitutem redigere. Hæc est præcipua origo servitutis, juxta multos. 3. *Delictum*, seu justa condemnatio. Si enim reus possit damnari ad mortem, a fortiori ad servitutem. 4. *Nativitas*, quatenus servi sunt qui nascuntur e servis. Si enim servitus parentum oriatur e delicto, tunc concipitur quomodo extendi possit in filios, quemadmodum multæ aliæ pœnæ : item, quando oritur ex jure belli; quia est veluti quædam pœna inflicta a victore. Si vero oriatur ex pacto, possunt parentes obligare filios, saltem quando pactum etiam sic peractum vergit in commodum illorum, v. g., si necesse sit ad vitam propriam et ipsorum filiorum servandam.

PROPOSITIO II

24. — *Religioni Christianæ tribuenda est abrogatio servitutis.* Certum est.

Lex Mosaica, ut diximus, pluribus modis temperavit illius rigorem et durationem. Cum autem Religio christiana propagari cœpit, servitus

erat in toto orbe usitatissima simulque immanissima. Non eam ut in se illicitam reprobarunt Apostoli, nec statim abolendam susceperunt : sed cum fidelibus inculcarent coram Deo *non esse servum, neque liberum,* sed *omnes unum esse in Christo Jesu,* Galat. 3, v. 28; Coloss. 3, v. 11; item unum omnium *Dominum esse in cœlis,* Ephes. 6, v. 9; Coloss. 4, v. 1; *omnes in unum corpus baptizatos esse, sive servos sive liberos,* 1 Cor. 12, v. 13, jam quasi a radice præcidebatur quidquid apud Gentiles in servitute alienum ab humanitate occurrebat. Deinde cum documenta christiana non solum humanitatis, sed et sincerissimæ caritatis plena sint, eamque efficaciter inspirent, primo effectum est ut qui Christo nomen dabant, servos suos humanissime tractarent : in id præcipue intenti erant, ut eos, ad christianam fidem converterent, sicque eos *non jam ut servos, sed pro servis charissimos fratres reciperent* (Philem. 16), prout ex Origene et Lactantio edocemur.

Ubi Religio Christi dominata est, varia decreverunt Principes Christiani, ex quibus servorum numerus paulatim imminueretur; et ipsi domini sensim servos suos ex motivo caritatis et religionis manumiserunt. Ipsæ gentes barbaræ, quæ quinto et sexto seculis Romanum imperium invaserunt, quos servos adduxerant vel in servitutem redegerant in iis regionibus quarum potiebantur, suscepto brevi Christianismo libertatem iis restituerunt.

Sic paulatim omnino abrogata est servitus apud Christianos, donec Europæi, detecta America, ad colendas terras quas repererant, rursus servorum ministerio uti volentes, ideo « Indos, Nigritas, miserosve alios in servitutem redigere, seu instituto ampliatoque commercio eorum qui captivi facti ab aliis fuerant, indignum horum facinus juvare non dubitarunt. » Verum haud prætermiserunt plures Romani Pontifices reprehendere graviter, pro suo munere, illorum rationem agendi, « utpote spirituali ipsorum saluti noxiam, et christiano nomini probrosam. » Verba sunt Gregorii XVI, qui varias eorum Constitutiones recenset et auctoritate sua confirmat, Constit. *In supremo apostolatus,* die 3 decembris 1839.

Religioni igitur christianæ vere tribuenda est abrogatio servitutis. Antea nullus legislator aut philosophus de abroganda servitute cogitaverat; semel autem instituta Religio christiana ejus abrogationem paulatim efficaciter induxit, non eam illicitam et juri naturali repugnantem pronuntiando ut nostri pseudophilosophi, sed per suam doctrinam quidquid in ea erat inordinatum præscindendo.

Non repente et subito eam abrogavit, sed paulatim et sapienter. Et revera, si, antequam servorum mores forent per doctrinam christianam sufficienter informati, in libertatem vocati fuissent, tanto beneficio

nondum maturi, satis dici nequit quanta inde mala in societatem irruissent, non minora, ait quidam auctor, ac si infernus emisisset vinctos suos; ipsaque Religio quasi propter beneficium societati collatum corruisset. Ex altera parte, si servi ad finem conservi ab imperio dominorum infidelium se substrahere voluissent, facile intelligitur quantum exinde fidei detrimentum accidisset. Exspectanda igitur erat tum servorum, tum dominorum conversio; qua obtenta, et sine periculo, et tamen satis efficaciter sequebatur servitutis abrogatio[1].

NUMERUS III

De proprii ingenii fœtibus.

25. — *Quæritur* 1° quinam sint proprii ingenii *fœtus? Resp.* Fœtus, de quibus hic agitur, sunt nova *inventa* quibus aliquis artes industriales locupletavit, gallice, *les inventions ou procédés industriels;* vel *libri* ab aliquo conscripti et in lucem editi.

Notandum est in inventis nihil aliud esse præter ideam quæ, semel emissa, occupationis exclusivæ capax non est; in libro autem inest forma quædam seu expressio auctori propria, occupationis capax et quæ sub dominio servari posse videtur, quin ideæ et veritates in libro contentæ aliorum usibus subtrahantur.

26. — *Quæritur* 2° an inventa vel libri ita ad inventorem aut auctorem pertineant, ut isti possint impedire ne alii artem exerceant, vel librum edant aut vendant?

Resp. 1. Certum est auctori aut inventori, qui opus suum aut industriam palam non fecerunt, jus strictum competere

[1] Leo XIII, Encycl. *In plurimis*, 5 maii 1888.

« On n'a pas aboli l'esclavage avant le christianisme; on ne l'abolit pas en dehors de lui; on ne l'abolira pas sans lui. Avant la supression de l'esclavage, le christianisme réhabilite le travail, il affirme l'égalité, il prescrit la charité et la justice; il adoucit le maître, il élève l'esclave, il attendrit la loi. Après l'abolition de l'esclavage, il corrige l'esclave de la paresse et de l'envie; il fonde pour lui l'église, il fonde l'école, il fonde l'hospice; et, s'il n'établit ni la prison, ni le tribunal, il visite le prisonnier et il inspire le juge. L'espérance entrevoit déjà l'aurore de jour, où la servitude aura complètement disparu du sein des nations chrétiennes. En ce jour, il y aura grande fête au ciel et sur la terre. » Cochin, *De l'Esclavage.*

ne quis artem *adhuc arcanam*, vel opus adhuc *manuscriptum* subripiat, et ipsis invitis edat aut divulget.

2. Quoad *inventa publica*, quamvis rationi consonum videatur, ut inventor aliquod emolumentum ex suo labore percipiat, tamen absurdum foret ut arte quadam vel artis exercendæ ratione semel excogitata, illicitum esset toti humano generi simile exercitium. Hinc lex positiva inventori potest juste aliquod conferre privilegium, ut sæpe fit, sed illud non debet esse perpetuum, nec nimis diuturnum.

3. Quoad *scripta in lucem edita*, illa quidem, ratione formæ exterioris propriæ auctori, quæ nempe eadem ab alio induci non potest, quamvis easdem ideas et veritates velit exprimere, jure naturali videntur esse objectum dominii; sed illud dominium potest restringi ad certum tempus vel ad certa loca, jure sive gentium sive civili, propter commune bonum societatis. Et vero societas in omni opere hujusmodi multa contulit et suppeditavit auctori; unde jus quoddam in opus sibi vindicare potest. Itaque consulantur leges civiles, et conventiones pro tempore vigentes, quibus ex justitia standum esse putamus. In Gallia, ex lege condita, 14 jul. 1866, proprietas scriptorum per quinquaginta annos pertinet ad hæredes auctoris, post hujus mortem.

ARTICULUS II

De modo, quo res sub dominio cadere possunt.

Dominium plenum, ex dictis n. 6, 7, complectitur *dispositionem, fruitionem* et *exclusionem*, ideoque in his tribus modificari seu restringi potest. De hujusmodi modificationibus dicemus in triplici paragrapho.

§ I

De Modificationibus dominii circa dispositionem.

27. — *Quæritur* quotuplici modo restringi possit dominium circa *dispositionem?*

Resp. Duplici modo, scilicet necessitate, aut prohibitione alienandi.

1. *Necessitas alienandi* oritur ex præscripto auctoritatis

publicæ ob utilitatem societatis, non tamen sine justa compensatione. Nunquam ob privatam utilitatem exigitur alienatio, nisi utilitas privata mediate saltem redundet in bonum publicum. Art. 546-547.

2. *Prohibitio alienandi* oriri potest vel a lege, propter qualitatem certarum personarum, v. g., minorum, interdictorum, aut propter naturam quorumdam bonorum, v. g. fundi dotalis; vel ab *homine*, v. g., in casu substitutionis. quando illa permittitur, vel quando conditio non alienandi per quoddam tempus apponitur contractui aut testamonto. Sed de his iterum, quando agemus de subjecto dominii, et de Contractibus.

§ II

De modificationibus Dominii quoad jus fruendi.

Proprie jus fruendi restringitur per *usumfructum, usum* et *habitationem.*

NUMERUS PRIMUS

De Usufructu.

28. — *Quæritur* 1° quid sit *ususfructus?*

Resp. Ususfructus est *jus rebus alienis utendi-fruendi, salva ipsarum substantia.*

Dicitur 1 : *rebus alienis;* quia res sua nemini servit.

Dicitur 2 : *utendi-fruendi;* ut distingatur ususfructus a mero usu; qui enim utitur, percipit tantum fructus ad necessitatem quotidianam; qui fruitur, non solum ad necessitatem quotidianam, sed ad utilitatem omnem et voluptatem fructus quoscunque percipit.

Dicitur 3 : *salva ipsarum substantia;* quia usufructuarius rem integram domino rei fructuariæ reservare debet. Unde non solum prohibetur eam consumere vel deteriorem facere, sed etiam in aliam formam transmutare, etiamsi pretiosior ex illa transmutatione fieri posset.

29. — *Quæritur* 2° *quomodo et quibus in rebus constituatur* ususfructus?

Resp. 1. Dupliciter constituitur, nempe vel *lege*, vel hominum voluntate, art. Cod. civ. 579. *Lege*, et tunc dicitur

legalis; talis est usufructus qui patri vel matri competit in bonis filii, ex art. 384, etc.

Hominum voluntate, puta *testamento, venditione, donatione,* et tunc dicitur *conventionalis.* Hic autem constitui potest triplici modo, scilicet, vel *pure,* vel *in diem,* vel sub *conditione,* art. 580. Uno verbo, qui usumfructum constituit, potest quas voluerit modificationes apponere, modo nec illius naturæ, nec dispositioni legum adversentur. Si autem nulla specialis addatur determinatio seu modificatio, tunc censetur constitutus juxta præscriptiones et interpretationem legis, art. 1159 et 1160.

2. Constitui potest usufructus in omnibus rebus, sive mobilibus, sive immobilibus, art. 581.

§ 30. — *Quæritur* 3° quænam sint *jura* usufructuarii legalis? see note p 24)

Resp. 1. Usufructuarius, ut ex definitione constat, percipere potest omnes fructus qui proveniunt ex re fructuaria, vel ejus occasione; ac proinde fructus sive *naturales,* sive *industriales,* sive *civiles,* n. 115.

Attamen usufructuarius lucratur fructus naturales et industriales pendentes initio usufructus, sine onere solvendi impensas quæ pro cultura et seminibus factæ sunt; et reciproce, si decedat antequam hujusmodi fructus, quamvis maturos, perceperit, non ad ejus hæredes transeunt, sed ad dominum fundi sine indemnitate. Fructus autem civiles de die in diem acquiri censentur, ac proinde dividi debent inter dominum fundi et usufructuarium vel ejus hæredes, pro rata parte temporis quo duravit usufructus, art. 575 et 586.

Quoad res autem in quibus constituitur usufructus, vide art. 587-598.

2. Potest usufructuarius non solum usufructus utilitatem, sed ipsum usumfructum vendere, locare, donare, modo tamen nihil immutetur in conditione domini fundi, sive quoad perceptionem fructuum, sive quoad extinctionem usufructus, et in locatione rei fructuariæ non recedat a regulis in art. 1429 et 1430 consignatis.

3. Proprietarius nihil agere potest quo deterior fiat conditio usufructuarii; et vicissim, usufructuarius, finito usufructu, nullam petere potest indemnitatem pro impensis quæ fundum pretiosiorem effecerunt; eique tantum licet ejusve hæredibus auferre specula, pictas tabulas, et quidquid aliud ad domus ornatum adhibitum est, loca in pristinum statum restituendo, art. 599.

Ratio est, 1. quia usufructuarius non ignorans se ædificare in fundo alieno, impensas domino fundi donasse censetur; 2. quia lex clare et expresse loquitur. Quidam tamen aliter sentiunt, et usufructuarium æquiparant saltem *possessori malæ fidei*, cui pro certis impensis indemnitas debetur a domino, ut infra dicemus. Cæterum circa legem dissentiunt tribunalia et jurisperiti. V. Carrière. n. 580; Marcadé, *Explic. du Code.*

531. — *Quæritur* 4° quænam sint *obligationes* usufructuarii?

Resp. Usufructuarius 1. res fructuarias accipit quales sunt initio ususfructus; sed in possessionem earum venire non potest nisi confecto inventario rerum mobilium, et immobilium descriptione facta coram proprietario, vel ipso rite vocato, art. 600-604.

2. Modicas reparationes de suo præstare tenetur, non vero majores, nisi culpa ipsius necessariæ factæ fuerint, art. 605 et 606; neque etiam ædes, si vetustate corruerint, reficere tenetur, art. 607.

3. Si singulorum capitum divisim, non gregis collective sumpti, quis usumfructum habeat, non tenetur ad alia substituenda capita in locum eorum, quæ absque ejus culpa perierunt, art. 615. Si autem gregis usumfructum habeat, alia capita ex pecoris proventu in locum capitum demortuorum submittere debet; sed si totus grex perierit casu, aut morbo, sine culpa usufructuarii, iste nihil debet nisi coriorum repræsentationem vel pretium, art. 616.

4. Onera ordinaria quibus gravatur ususfructus, qualia sunt servorum salaria, tributa annua, et similia, ferre

debet usufructuarius sine repetitione. art. 608. Quoad autem onera extraordinaria, vide art. 612.

Si vero agatur de usufructuario titulo *particulari*, non adeo extenduntur hujus obligationes, ut videre est in art. 610, 611.

5. Si durante usufructu, quis fundum fructuarium usurpet, aut alio modo proprietarii jura attentare præsumat, hoc denuntiare debet usufructuarius domino fundi, et omissa illa denuntiatione, ad damni reparationem tenetur, perinde ac si damnum ipse contulisset, art. 614.

℗ 52. — *Quæritur* 5° quibus modis *finiatur* usufructus?

Resp. Novem modis, nempe morte naturali, morte civili, tempore præstito, consolidatione, non utendo per tringinta annos, abusu, totius rei interitu, renuntiatione, soluto jure ejus qui usumfructum constituit. Vide Cod., art. 617-622.

NUMERUS II

De Usu et Habitatione.

℗ 53. — *Quæritur* quid sint *usus* et *habitatio*, et in quonam inter se differant?

Resp. 1° Usus vel potius *jus ad usum* (*droit d'usage*), ut loquitur Codex civ., definitur : *jus utendi re aliena in personale tantum commodum, salva rei substantia.* Jus illud est *reale*, seu afficiens rem ipsam quæ huic obnoxia est. Si res illa sit fundus, dicitur simpliciter *usus;* si sit domus, dicitur *habitatio.*

2° Usus et habitatio in hoc conveniunt cum usufructu, 1. quod iisdem modis constituuntur et amittuntur, art. 625; 2. quod usuarius et qui habitationem habet, sicut et usufructuarius, præstare cautionem debent et inventarium conficere, art. 626; 3. quod uti debent sicut boni patresfamilias, art. 627.

In cæteris usus et habitatio differunt ab usufructu. Etenim, 1. usus est *jus rebus alienis utendi*, non fruendi, *salva ipsarum substantia;* ac proinde, nisi aliud constitutum fuerit, usuarius ad indigentiam tantum quotidianam sibi et familiæ suæ, secundum qualitatem et conditionem suam

fructibus vel rebus utitur, ita ut non possit inde lucrum, sed solam utilitatem consequi; art. 628, 629 et 630.

2. Habitatio est *jus inhabitandi ædes alienas, salva ipsarum substantia*. Porro jus habitationis extenditur ad totam familiam, etiamsi is cui concessum est, uxorem non haberet tempore concessionis, art. 632; sed restringitur ad ea quæ sunt eorum habitationi necessaria, art. 633.

3. Usarius non potest usum alteri concedere, nec locare, vendere, vel alio modo in alterum transferre, art. 631; quod commune est ei qui habitationem habet.

4. Si omnes fructus fundi vel domus utilitas ad usuarium redeat, iste omnia onera, puta tributa et impensas culturæ refectionisve, ferre debet, sicut usufructuarius; si vero partem tantum fructuum percipiat, vel partem domus tantum inhabitet, onera non ferre tenetur nisi pro rata parte qua utitur, art. 635.

Hæc autem non intelligenda sunt de usu silvarum, qui specialibus legibus regitur, art. 636.

§ III.

De modificationibus Dominii circa exclusionem, seu de Servitutibus.

34. — *Quæritur* 1° quid sit *servitus* et quotuplex?

Resp. 1. Servitus est *onus alienæ rei impositum in commodum alterius rei;* in hoc distinguitur ab usu et habitatione, qua res servit non rei, sed *personæ;* propterea servitus de qua agitur, sæpe nuncupatur servitus *realis*.

2. Servitus, ratione *originis*, est *naturalis, legalis, conventionalis*, prout ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex mera conventione oritur.

Ratione *objecti* est *urbana* vel *rustica*, prout instituitur in utilitatem ædium vel agrorum.

Ratione *modi* est continua vel non continua, prout durare potest absque hominis facto, v. g., servitus aquæductus, aut sine eo exerceri nequit, v. g., servitus itineris. Sed etiam est *apparens* vel *non apparens*, prout exteriori signo aperte declaratur, v. g., janua, fenestra, etc.; aut tali signo caret, v. g., prohibitio ædificandi in tali loco, etc.

35. — Circa modum autem quo *constituuntur* servitutes, vide Codicem civilem, art. 641 et seq.

36. — *Quæritur* 2° quænam jura *et obligationes ex servitutibus* diffluant?

Resp. Jura et obligationes domini prædii dominantis, in servitutibus hominis facto constitutis, pendent a conventione contrahentium. Nulla autem facta, sic definienda sunt :

1. Is cui debetur servitus, omnia opera perficere potest, quæ necessaria sunt ut ea utatur eamque conservet, art. 697; sed impensis suis, nisi aliud expressum fuerit in instrumento, quo constituta est servitus, art. 698; et in hoc ultimo casu, dominus prædii servientis semper potest se liberare ab onere ei imposito ad usum et conservationem servitutis, derelinquendo prædium serviens domino prædii dominantis, art. 699.

2. Si dividatur prædium ad cujus utilitatem constitutiva est servitus, debetur servitus cuique parti prædii, ita tamen, ut durior non fiat conditio domini prædii servientis. Sic, v. g., si agatur de *servitute itineris*, omnes coproprietarii per eumdem locum transire debent, art. 700.

3. Dominus prædii servientis nihil agere potest, ex quo servitutis usus minui possit vel gravior fieri. Sic locorum positionem mutare nequit, neque servitutis exercitium transferre in locum diversum ab eo, in quo prius constituta fuerat. Si tamen prior servitutis assignatio gravior facta fuisset domino prædii servientis, aut si impediret quominus reparationes utiles ab eo fierent, ipsi liceret offerre domino prædii dominantis locum æque aptum servitutis exercitio, quem iste recusare non posset, art 701.

4. Vicissim is, cui debetur servitus, ea uti non potest nisi secundum titulum quo constituta est, nec quidquam immutare valet, sive in fundo dominante, sive in fundo serviente, ex quo posterioris fundi conditio deterior fiat, art. 702.

CAPUT III

DE SUBJECTO DOMINII

Duplex esse potest dominii subjectum, nempe privatus, vel persona moralis. Unde

ARTICULUS PRIMUS

De Dominio privatorum.

Dicemus 1° de legitimitate dominii privatorum, 2° de ejusdem restrictionibus in quibusdam personis.

§ I

De legitimitate Dominii privatorum.

37. — *Quæritur* quinam in hoc puncto erraverint?

Resp. Circa dominium privatorum errarunt communistæ et socialistæ quorum doctrina his contrahitur : « La propriété par principe et par essence est immorale... La propriété, c'est le vol. » Proudhon. Scilicet,

Juxta Communistas, suppressa omni proprietate privata. instituenda est *administratio communis* per quam bona omnia in commune collata, ex æquo omnibus distribuantur.

Juxta Socialistas, bona dividi debent juxta uniuscujusque meritum et capacitatem.

Quidam tamen recentiores œconomistæ *mitigatum* socialismum propugnant. Scilicet, ut aiunt, ad dominium privatum et exclusivum pertinent bona mobilia, v. g., pecunia; non vero bona immobilia, quæ per se et ex natura sua ad ipsum genus hominum spectant.

Tandem, juxta quosdam politicos et œconomistas, duce J.-J. Rousseau, *Contrat Social*, liv. 1, c. 6, 7, non ex jure naturali, sed solummodo ex hominum voluntate seu ex pacto sociali, et ideo ex jure civili oritur jus dominii privati, quod proinde contrario sociali pacto prorsus tolli potest.

PROPOSITIO

38. — *Dominium privatum, exclusivum et permanens, est omnino legitimum.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim : *Non furtum facies; non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt;* Exod. 20, v. 15, 17. Ex hoc textu evidenter colligitur legitimitas dominii sive in mobilia, sive in immobilia. Illud autem dominium ita est inviolabile, ut nec religionis causa rem alterius usurpare liceat : *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum;* id est, talibus hostiis deridetur Deus : Eccl. 34, v. 21.

Ideo maxime mala hujusmodi hominibus imminent :

« Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ : quia *omnis fur judicabitur; et veniet ad domum furis et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter; et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eam, et ligna ejus et lapides ejus;* Zach. 5, v. 3, 4. — *Confunditur fur, cum deprehenditur;* Jerem. 2, v. 26. Alia possent proferri veteris Testamenti fere innumera,

Insuper vetus Testamentum nobis exhibet viros sanctissimos bona propria et quidem amplissima possidentes; quæ tamen nedum illis crimini sint, e contra, ut sanctitatis præmium a Deo ipsis collata prædicantur. Item in Scripturis sæpe agitur de *emptionibus, donationibus, hereditatibus,* quæ sane dominium privatum supponunt,

In novo autem Testamento nec possessores bonorum, nec ipsi divites, modo non abutantur divitiis, criminis arguuntur; dum fures omnes a regno Dei seu salute, iterato excluduntur sive a Christo, apud Matth. 15, v. 19 et 19, v. 18; Marc. 7, v. 22; et Luc. 18, v. 20, septimum Decalogi præceptum expresse confirmante; sive ab Apostolo, qui Christianos omnes sic alloquitur, I Cor. 6, v. 9, 10 : « Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque *fures,* neque *rapaces regnum Dei possidebunt.* » Porro nec fures proprie dicti, nec rapaces concipi et esse possunt, ubi non est proprietas seu dominium privatum; ergo ex Scriptura, dominium privatum, exclusivum et permanens est omnino legitimum.

2° *Traditione.* Non minus luculenta frequenter occurrunt hoc in genere sive Conciliorum, sive SS. Patrum et Doctorum testimonia; ex quibus unum S. Augustini sufficiat, *Conf.* lib. 2, c. 4 : « *Furtum* certe punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa quidem delet iniquitas : quis enim *fur æquo animo* furem patitur? »

SS. Pontifices, recentioribus temporibus, omni occasione quoslibet errores contra dominium privatum damnare non prætermiserunt, Pius IX, in Encycl. *Quipluribus,* 9 nov. 1856. recenset « errorum monstra et fraudes, quibus hujus seculi *filii tum* sacræ, tum civilis potestatis jura conculcare conan-

tur ; » et addit : « Huc spectat *infanda* ac vel *ipsi naturali juri maxime adversa* de *communismo*, uti vocant, *doctrina*, quia semel admissa, *omnium jura, res, proprietates*, ac vel *ipsa humana societas funditus everterentur.* » Ita etiam in Encycl. *Nostis*, 8 dec. 1849, *Quanta conficiamur*, 10 aug. 1863, *Quanta cura*, 8 dec. 1864.

« Cum *Socialistæ*, inquit Leo XIII, in Encycl. *Quod Apostolici*, 28 dec. 1878, jus proprietatis tanquam humanum inventum *naturali hominum æqualitati* repugnans traducant... Ecclesia multo satius et utilius inæqualitatem inter homines, corporis ingeniique viribus naturaliter diversos, etiam in bonis possidendis agnoscit, et *jus proprietatis ac dominii, ab ipsa natura profectum*, intactum cuilibet et inviolatum esse jubet. »

Insuper omnes omnino nationes sive excultæ sive barbaræ, in admittenda dominii privati legitimitate semper consenserunt; atqui consensus adeo unanimis et constans circa rem tanti momenti, in qua veluti in cardine totus hominum status versatur, induci et perdurce non potuit nisi propter evidentem juris rationem, vel instinctum naturalem, vel expertam necessitatem.

3° *Ratione.* Dominium privatum omnino necessarium est ex parte ipsius hominis, familiæ et societatis, nec oritur ex pacto sociali.

Et quidem 1. *ex parte ipsius hominis* omnino necessarium est. Etenim, juxta omnes, quisque homo, ex natura sua, habet dominium utile suorum membrorum, ex dictis n. 14, et ideo ad unumquemque hominum pertinet fructus laboris proprii : atqui varia bona quæ constituunt dominium privatorum, nihil aliud sunt quam fructus laboris proprii vel suorum; ergo non minus legitimum ac necessarium est dominium privatorum, ac dominium cujusque in sua propria membra fructumque proprii laboris.

Revera, seclusa proprietate privata, nec terra excolenda, nec exercenda ingeniorum industria, nec ipsa vitæ necessaria paranda sunt : quis enim duris laboribus incumbet, et aliquam soli partem irrigabit sudoribus, si alius possit solum illud invadere, vel fructus dividere, et si ipsi liceat

aliorum opere excultam terram occupare? quot vero ex hac segnitie et otiositate mala? Certe ipsa vitæ necessaria mox deficient.

E contra, admisso jure privati dominii juxta æquitatis et caritatis leges acquirendi et exercendi, mire excitatur individuorum activitas, multiplicantur rerum naturales vel industriales fructus, et singulorum laborum, mediante commercio, augentur omnium commoda. Ergo, ex parte hominis, omnino necessarium est privatorum dominium. S. Th. 2. 2, q. 66, a. 2.

2. *Ex partæ familiæ*. Sublato enim jure privati dominii, tunc vel filii curæ parentum relinquentur, vel subducentur paterno regimini : si prius, diversis familiæ necessitatibus providere non poterunt parentes; si posterius, destruitur familia. Ergo, ex parte familiæ, omnino necessarium est privatorum dominium. Tandem

3. Ex parte *societatis*. Suppressa enim proprietate privata, instituendus est communismus, vel socialismus : porro uterque statui sociali prorsus repugnat. *Communismus* quidem, cum æqualis bonorum distributio omnibus fraudibus viam aperit, omni industriæ, agriculturæ januam præcludit, et in praxi plane impossibilis est. Et vero, quanta jurgiorum et discordiarum occasio, dum vellet unusquisque rem communem in proprios usus convertere? Quis faciet unanimes in una domo habitare tot homines indole, cupiditatibus, vitiis aut virtutibus inter se diversos et infensos? Aliunde, nonne inæqualitas conditionum et bonorum necessario sequitur ex virium sive physicarum sive moralium inæqualitate? quæ porro nisi suum sortiatur effectum, jam eo ipso vitiorum et miseriarum inducitur æqualitas.

Revera, « pares sunt quidem inter se homines universi, si genus et natura communis, si finis ultimus unicuique ad assequendum propositus, si ea, quæ inde sponte fluunt, jura et officia spectentur. »

« At vero, quia ingenia omnium paria esse non possunt, et alius ab alio distat vel animi vel corporis viribus, plurimæque sunt morum voluntates, naturarum dissimilitu-

dines, idcirco nihil tam est repugnans rationi, quam velle comprehensione omnia complecti, et illam omnibus partibus æqualitatem ad vitæ civilis instituta traducere. » Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884. Ergo communismus statui sociali prorsus repugnat. Sed etiam

Socialismus. Quis enim judex dicetur ad æstimandum cujusque meritum et capacitatem, ut cuique proportionaliter retribuatur? ac proinde quantarum turbationum fons et origo in illa æstimatione facienda, et quotidie renovanda, cum indesinenter instabile sit cujusque meritum? Ergo socialismus statui sociali prorsus repugnat, atque in praxi impossibilis est.

Insuper, si auctoritas publica præsit sive labori cujusque, sive partitioni fructuum ope laboris privati comparatorum, eo ipso tollitur actionum spontaneitas atque libertas, humanæ naturæ dignitas deprimitur, et inducitur gregalis quædam et abjecta servitus, qua nihil turpius et infelicius excogitaai potest.

Nec valet distinctio socialismi mitigati inter bona mobilia et immobilia. Siquidem 1. dominium in res immobiles fere omnes oritur a dominio exclusivo in res mobiles, quarum ope acquiruntur immobilia; 2. status familiæ et ipsius societatis in primis nititur dominio in res immobiles, ut ex modo dictis patet.

Tandem totus hujusmodi error exorditur ex eo, quod expectatio tollitur bonorum cœlestium, omnis ad res mortales reducitur felicitas, et quasi demergitur ad terram, atque adeo unusquisque jus sibi vindicet ad præsentis vitæ bona, quibus temporalis comparatur illa felicitas.

Alia vero prorsus est doctrina Christiana de fine hominis et ad hunc consequendum mediis. Exstat quidem « *libertas filiorum Dei*, per quam nec Satanæ, nec cupiditatibus, nec improbissimis dominis servimus; *fraternitas*, etiam cujus in Deo communi omnium procreatore et parente consistat origo; *æqualitas* denique, quæ justitiæ caritatisque constituta fundamentis, non omnia tollit inter homines discrimina, sed ex vitæ, officiorum, studiorumque varietate mirum illum consensum efficit et quasi concentum, qui

natura ad utilitatem pertinet dignitatemque civilem. » Leo XIII, *ibid.*

4. *Nec oritur ex pacto sociali.* Ex dictis enim in Tract. de *Legib.*, n. 4[4], pactum sociale hujusmodi nunquam fuit initum, nec unquam iniri potuit, et, etiamsi iniretur, per se jus ullum producere non posset.

O 39. — *Obj.* 1. Communitates religiosas, in quibus dominium privatum interdicitur; 2. abusus gravissimos, qui ex privato dominio enascuntur.

Resp. 1. Religiosarum communitatem existentia probat dominium privatum non esse *omnibus* necessarium, non vero illud esse illegitimum. Incommoda quæ ex communismo sequuntur, facile quidem vitari possunt inter paucos caritate ferventes, cælibes, qui sponte sub uno capite convenientes ut perfectioni studeant, votis religiosis sese strinxere. Verum hic status minime convenit multitudini, et multo minus universitati hominum patet.

2. Quoad *abusus* qui ex privato dominio oriri possunt, non sunt ratio removendi jus ipsum, alioquin jam nullum bonum in his terris permanere posset.

Cæterum eadem lex divina quæ dominium privatum sancit et protegit, illius abusus redarguit et præcavet, rigorem justitiæ caritatis officiis temperando, et pari cura et auctoritate *jus perfectum* divitiis et *jura imperfecta* pauperis inculcando; sicque utriusque bonum pari zelo nec infelici conatu procurat. Unde, ut ait quidam : « Les systèmes socialistes ayant les passions pour causes et pour soutiens, c'est surtout les enseignements de la Religion et le dévouement de la charité qu'il faut leur opposer. Si on veut combattre le socialisme, il faut recourir à cette religion qui enseigne la charité aux riches et la patience aux pauvres; qui enseigne aux pauvres à se résigner, et aux riches à être miséricordieux. » D. Cortès, *Ess. sur le Soc.*

§ II

De Dominii restrictionibus in quibusdam personis.

40. — Quamvis omnis homo sit capax dominii, cum tamen hujus juris acquisitio et exercitium intelligentiam et libertatem supponat, scilicet, ens quod *sit sui juris*, dubium oritur de certo hominum statu, nempe de parvulis et amentibus, de filiis-familias, de uxoribus, de religiosis et clericis, quia illi omnes vel naturali vel sociali libertate plus minusve carent.

NUMERUS PRIMUS

De Dominio Parvulorum et Amentium.

PROPOSITIO

41. — *Parvuli et amentes sunt capaces dominii.* Certum est.

Prob. 1° *ex Apost.* Galat. 4, v. 1, ubi parvulus dicitur hæres et dominus omnium, quod sine dominio concipi non potest.

2° *Ex omnium consensu,* parvulis et amentibus injuriam facit, qui eorum usurpat bona; bona autem illa nec societatis, nec tutorum aut curatorum esse reputantur; superest ergo quod eorum proprietas ad parvulos et amentes pertineat.

3° *Ratione.* Enimvero, licet ad usum dominii requiratur usus rationis, ad *habituale* tamen dominium intellectualis natura sufficit; infantesque sicut et amentes jus suum exercere possunt per illos qui curam eorum habent. Tandem, si quid capacitati parvulorum et amentium ex jure naturali deesset, abunde suppleretur jure gentium, quod nempe apud omnes gentes viget.

Quinimo, infantes nondum nati, sed concepti, *ab intestato* succedunt et possunt hæredes constitui : et si vitales nascantur, non solum fiunt domini hæreditatis, sed illam transmittunt hæredibus suis, etiamsi una tantum die vixerint, art. 725.

NUMERUS II

De Dominio Filiorum-familias.

42. — *Quæritur* quid sint filii-familias, patria potestas, quotuplex emancipatio?

Resp. 1. Filii-familias dicuntur filii legitimi qui nondum annum *vigesimum primum* compleverunt, nec liberati sunt a patria potestate per *emancipationem;* art. 372.

2. Patria potestas definitur : *imperium a natura vel a lege parentibus datum, tam relate ad custodiam et educationem liberorum, quam relate ad usumfructum bonorum iisdem competentium.* Hinc duplex distingui potest : *naturalis* et

civilis; prior patri et matri convenit cum debita tamen istius ad illam subordinatione; posterior patri solummodo directe tribuitur, et patre mortuo vel absenti, ad matrem devenit, cum quibusdam restrictionibus, de quibus vid. art. 371-387. Potestas naturalis est perpetua et indissolubilis; civilis multimode cessare potest.

3. Emancipatio autem duplex est, scilicet *expressa,* quæ fit a parentibus coram Judice; et *tacita,* quæ fit ipso jure per matrimonium, art. 476, 477, 478. De ea fusius agemus in Tractatu *de Contract.*, n. 63. His præmissis, sic asseritur capacitas filiorum-familias ex lege civili, quæ jus naturale in hac parte sancit, vel restringit.

43. — I. *Filii-familias verum habent dominium in bona sua, cujuscunque generis sint; sed aliquando* utile, *aliquando* nudum.

Utile habent dominium, 1. in bona quæ acquisierunt *propria industria;* 2. in bona quæ ipsis data sunt *ea lege, ut nec pater nec mater his frui possint,* art. 387; 3. in bona quæ ipsis advenerunt *ex successione* parentibus *ablata tanquam indignis,* art. 730; sed hujusmodi bonorum administratio penes patrem est.

Cæterorum autem bonorum *nudum* tantum habent dominium, donec annum *decimum octavum* compleverint; vel a patria potestate liberati fuerint; interea patre, aut matre post obitum patris, eorumdem bonorum usumfructum habente, art. 384 et 386 designatis; et 334, 335 Cod. pœn.

44. — II. *Filii-familias bona sua neque* vendere aut oppignerare *possunt nisi tutoribus ministerio, decreto Judicis et aliis conditionibus,* art. 457, 458, 459. *insertis; neque* donare inter vivos nisi *in contractu matrimoniali et cum consensu eorum qui matrimonio consensum præstare debent,* art. 903 et 1095; *neque etiam* administrare, *nisi emancipati fuerint,* art. 481.

45. — III. *Filii-familias testari possunt, cum ad annum 16 pervenerint, pro dimidia parte bonorum, quorum libera dis-*

positio ex lege majoribus conceditur, art. 904; vide tamen exceptionem in articulo 907 positam quoad tutorem non ascendentem. Vide Tract. *de Contract.*, n. 63.

46. — *Quæritur* 1° utrum ea quæ filius-familias in paterna domo lucratur, ad ipsum pertineant, an ad patrem?

Resp. 1. Lucra non ex bonis patris, sed quæ *ex industria filii separata* proveniunt, puta si filius sit musicus vel alterius artis sive liberalis, sive mechanicæ peritus, ad ipsum pertinent, art. 387 Cod. civ., nisi lucra sua patri titulo pietatis remittendi voluntatem habuerit. Nec tenebitur filius impensas deducere quas in eo alendo fecit pater hujus industriæ conscius, nisi aliter conventum fuerit; quia ex art. 852, tales impensæ non sunt collationi obnoxiæ, gallice, *ne sont pas sujettes à rapport.*

2. Lucra quæ *ex expressa et authentica societate* cum patre inita proveniunt, pro parte proportionata ad filium pertinent; nam hujusmodi conventio non est in se illicita, nec per legem reprobata. Idem dicendum de statuto stipendio; idque etiam in foro externo admitteretur.

47. — *Quæritur* 2° an filius, dum cum patre præ ceteris filius laborat, sed absque societate, aliquid instar salarii *inscio patre* retinere queat?

Resp. Controvertitur. Alii affirmant: 1. quia prædictum lucrum non mere provenit ex bonis patris, sed partim ex proprio labore et industria filii, cujus idcirco pretium huic concedi debet; 2. quia filius non est deterioris conditionis quam extraneus, ideoque tantum ipsi mercedis debetur quantum extraneo; 3. quia filius non tenetur, jure naturali, pro patre non indigente laborare.

Ad hoc tamen, teste Collet, quinque exigebant citati casuistæ: 1. scilicet, ut filius ea deduceret quæ tunc temporis expendit pater in eo alendo et vestiendo; 2. ut filius usumfructum lucri hujus sibi non vindicaret ante emancipationem suam, vel mortem patris; 3. ut pater per se vel per alium minori pretio id non fecisset, quod fecit filius; 4. ut filius non teneretur operam suam patri vel matri gratis et pietatis titulo præstare; 5. ut non resisterent leges locorum; et nihilo-

minus docebat Collet hanc opinionem, licet ob auctoritates quibus nitebatur, tuta appareret, magnam in praxi cautionem exigere.

Alii vero non pauci et non inferioris notæ, intra quos Layman, Sylvester, P. Antoine, Billuart, etc., negant : 1. quia Jus Romanum indistincte aiebat ea quæ ex re patris acquiruntur, acquiri patri; 2. quia filius, quandiu minor est, parvam utilitatem patri affert, et semel major factus nullatenus tenetur in domo paterna manere : unde si, *nulla petita mercede*, operam suam parentibus præstet, censetur illam remittere vel titulo pietatis, vel propter commoda quæ aliunde percepit ex labore suo, v. g., propter scientiam et famam quas acquirit laborando cum patre suo, cujus artem sic sibi propriam efficit 3. Tandem priori sententiæ videntur resistere mens et littera Codicis civilis qui, articulo 337, ab usufructu patris non eximit nisi bona quæ filius acquisivit per *industriam separatam*, et articulus 343, 853 et 854, *conventionem expressam, authenticam et ab omni fraude immunem* exigit, ut hæres quicunque, ac proinde filius, non teneatur in hæreditatem conferre quidquid ex communi labore cum defuncto, titulo quocunque, percipere potuit. Unde ad compensationem occultam recurrendum esset a filio.

Concludendum videtur cum plerisque recentioribus Theologis : in praxi recedendum non esse a posteriori sententia, *saltem ante factum, et extra casus quosdam extraordinarios*, ubi filius cum patre laborando *maxima* familiæ procuravit emolumenta; et in istis etiam casibus circumstantiæ perpendendæ sunt, ut judicetur quid æqualitas juris stricti requirat.

Attamen priorem opinionem in praxi *aliquando* teneri posse, saltem *post factum*, præsertim si agatur de *filiis majoribus*, qui voluissent, sed ex filiali reverentia, aut alio motivo non sunt ausi, salarium exigere. Cæterum, evidens est familiarum paci maxime interesse, ut quælibet earum membra totius prosperitati allaborent, quandiu in domo paterna versantur; et valde periculosum esset hac in re liberorum cupiditati favere, compensationem occultam permittendo : quod fatentur benignioris sententiæ patroni,

qui suam hac de re opinionem publice non tradendam censent.

48. — *Quæritur* 3° an filius-familias perfectum habeat dominium in bona minuta ac mobilia quæ sibi a parentibus tradita sunt?

Resp. Vel bona hujusmodi data sunt sub explicita aut implicita conditione illa determinato modo adhibendi, ut vestes, pecunia ad libros scolasticos emendos; vel absolute data sunt, et absque ulla determinatione. In priori casu, filius non habet verum dominium, et ad restitutionem tenetur, nisi rationabiliter judicet parentes de hoc rogatos facile esse condonaturos. In posteriori casu, juxta omnes, potest filius pro nutu de bonis disponere.

NUMERUS III

De Dominio Uxorum.

49. — *Quæritur* quænam sit in uxore capacitas dominii ex jure naturali, quid et quotuplex sit regimen sub quo in Gallia uxor contrahere potest matrimonium?

Resp. 1. Ex jure naturali uxor remanet capax pleni seu perfecti dominii, cum onere tamen subveniendi matrimonii necessitatibus; sed ex lege civili uxorum dominium in bona sua valde diversum esse potest, prout sub diverso *regimine* contrahunt.

2. Per *regimen* autem intelligitur complexio certarum regularum quibus determinantur jura mutua conjugum in alterutrius bona.

3. Hujusmodi regimen triplex est in Gallia, nempe, communitatis, dotale, vel exclusivum communitatis. Si matrimonium initum sit sine contractu matrimoniali, initum censetur sub regimine communitatis.

Potest quoque contrahi sub regimine dotali, cum stipulatione societatis gallice dictæ *société d'acquêts*, art. 1498 et 1499.

Et generaliter in favorem matrimonii, conjugibus licet in contractu matrimoniali quaslibet stipulari conditiones, modo non repugnent bonis moribus et regulis in art. 1388, 1389 et 1390 consignatis. Vide art. 1387-1398.

PUNCTUM PRIMUM

De regimine Communitatis.

50. — *Quæritur* 1° quid sit communitatis regimen, quotuplex, et quotuplicis generis sint bona sub illo regimine?

Resp. 1. Communitatis regimen definiri potest : *quædam species societatis bonorum, quam vir et mulier nubendo contrahunt : vel quædam bonorum societas inter conjuges.* Non incipit nisi a die celebrationis matrimonii, art. 1899, salva exceptione art. 1404.

2. Duplex est illa communitas, *legalis* vel *conventionalis*. *Legalis* dicitur, quæ jure communi regitur juxta art. 1401-1496; *conventionalis* vero, quæ pendet a stipulatione conjugum. Vide art. 1497 ad 1528.

3. Sub regimine communitatis sive legalis, sive conventionalis, bona conjugum duplicis generis esse possunt, alia *propria*, alia *communia*.

Bona *propria* dicuntur quæ communitati non subjiciuntur, et pertinent exclusive ad alterutrum ex conjugibus; talia sunt bona *immobilia* designata in art. 1404 usque ad 1408, qui sedulo perpendendi sunt.

Bona *communia* sunt ea quæ communitati subjiciuntur, qualia sunt : 1. omnia bona *mobilia* quæ conjuges possidebant die celebrationis matrimonii, vel quæ utriusque conjugis labore, constante matrimonio, acquisita sunt, aut alterutri ex conjugibus eodem tempore advenerunt titulo successionis et etiam donationis, nisi aliud præceperit donator in instrumento donationis; 2. omnes *fructus* et quilibet reditus bonorum immobilium quæ possidebant conjuges die celebrationis matrimonii, vel quæ conjugibus, constante matrimonio, quocunque titulo advenerunt : 3. denique omnia bona *immobilia* quæ conjuges, *ex bonis communibus, tempore matrimonii acquisierunt*, art. 1401-1403.

Dicitur *ex bonis communibus*, quia si prædium quoddam durante matrimonio ematur ab alterutro conjugum ex pretio boni proprii alienati, prædium illud non est commune, sed proprium conjugi, ad quem pertinebat bonum alienatum (et hoc est quod gallice vocatur *remploi*), art. 1407.

Idem dicendum est de bonis immobilibus quæ alterutri e conjugibus, constante matrimonio, titulo donationis vel successionis advenerunt, nisi aliter in instrumento donationis vel in testamento statutum fuerit, art. 1404.

51. — *Quæritur* 2° quodnam dominium, sub regimine communitatis habeat uxor in bona sive propria, sive communia?

Resp. 1. Uxor, sub illo regimine, non habet nisi dominium *nudum* bonorum *proprium; fructus* vero eorum *augent bona communia*, et illorum *administratio* pertinet ad *maritum;* art. 1401, 1428, 1449.

2. Quoad bona *communia*, uxor nullum in illis fere jus habet, quandiu durat communitas. Hinc 1. dicta bona nec *alienare*, nec *obligare* potest absque *consensu mariti*, etiam cum Judicis auctoritate, nisi *mercaturam* suo nomine, cum mariti consensu, publice exerceat et contrahat ratione ipsius mercaturæ. 2. Non potest *se obligare* neque bona *communia gravare*, etiam ad maritum e carcere liberandum vel ad filios, absente marito, collocandos, nisi *Judicis auctoritas intercesserit*, art. 1427.

52. — *Quæritur* 3° quodnam dominium, sub regimine communitatis, habeat maritus in bona communia; et quid, soluta communitate?

Resp. 1. Maritus bonorum communium solus habet administrationem, eaque potest vendere, alienare et oppignerare sine consensu uxoris, art. 1421. Imo potest bona mobilia cuicunque donare titulo gratuito et particulari, modo illorum usumfructum non retineat, art. 1422; et si agatur de filiorum communium collocatione, de ipsis bonis immobilibus, necnon de bonorum mobilium universitate, vel quota eorum parte disponere potest, eod. art.

2. *Soluta vero communitate*, bona communia dividuntur et æs alienum solvitur juxta regulas in art. 1464 ad 1491 positas, nisi malit uxor communitati renuntiare, ne teneatur æs alienum cæteraque onera solvere, art. 1494 : quod illi semper conceditur, art. 1453, modo bonis com-

munitatis non ultro se immiscuerit, vel in aliquo instrumento, jam major facta, se communem non dixerit, aut bona communitati non averterit, art. 1454, 1455 et 1460.

53. — Hæc autem intelligi debent de matrimonio inito sub communitatis *legalis* regimine; nam in communitate *conventionali*, si quædam stipulationes speciales adjectæ sint, eæ sunt servandæ, sive tempore communitatis, sive post ejus solutionem, modo non repugnent legibus et bonis moribus, nempe auctoritati maritali aut paternæ, art. 1497 et seq.

PUNCTUM II

De Regimine dotali.

54. — *Quæritur* 1° quid sit regimen dotale, et quotuplicis generis sint bona sub illo regimine?

Resp. 1. *Dotale* regimen illud est in quo uxor, ad sustinenda matrimonii onera, bona quædam *in dotem sibi constituit, quæ quibusdam specialibus privilegiis gaudent*, quorum ratione præfatum regimen dicitur *dotale*. In aliis enim regiminibus dos potest constitui, sed non cum illis specialibus privilegiis.

2. Duplicis sunt *ordinarie* generis uxorum bona sub dotali regimine, alia dotalia, alia vero parapherna. *Dotalia* sunt ea quæ mulier marito affert *ad sustinenda matrimonii onera*, art. 1540, et talia censentur cuncta bona quæ mulier sibi constituit, vel ipsi dantur in contractu matrimoniali, nisi aliud in stipulationem deductum fuerit, art. 1541. Bona autem mulieris in dotem non constituta *parapherna sunt*, art. 1574.

Dicitur *ordinarie*, quia non raro accidit ut cuncta mulieris bona sint dotalia; v. g., si in contractu matrimoniali mulier in dotem sibi constituerit omnia bona sua præsentia et futura, aut si mulier nihil habeat præter dotem sibi constitutam, art. 1542. Aliquando cuncta uxoris bona possunt esse parapherna, nempe si nihil in dotem intulerit, art. 1575.

Ut matrimonium contrahatur sub regimine dotali non

sufficit dotis stipulatio, nec exclusio communitatis, neque etiam bonorum separatio; sed requiritur expressa super hoc voluntatis conjugum declaratio, art. 1392.

55. — *Quæritur* 2° quodnam sit dominium *mariti* sub regimine dotali quoad administrationem vel alienationem bonorum *dotalium?*

Resp 1. *Quoad administrationem;* sub illo regimine, maritus, constante matrimonio, solus *habet rerum dotalium administrationem, solusque potest adversus earum debitores vel detentores agere, illarum fructus et interesse percipere*, etc., salva tamen stipulatione quæ in contractu matrimonii fieri potest de quadam parte redituum ab uxore pro suis necessitatibus percipienda, art. 1549.

2. *Quoad autem earumdem rerum alienationem*, vel in dotem dantur res fungibiles, id est, quæ numero, pondere vel mensura constant, vel res non fungibiles : si prius, rerum dotalium dominium absolutissimo jure transit in maritum, cujus periculo sunt, et ideo eas alienare potest. Si posterius, iterum distinguendum est : si res mobiles et æstimatæ dentur in dotem, tunc plenum illarum dominium in maritum transit, quasi emptionis jure, nisi aliter convenerit, adeo ut illas alienare possit, et soluto matrimonio debeat tantum æstimationem, art. 1551; si autem dentur res immobiles etiam æstimatæ, illarum dominium remanet apud uxorem, nisi aliter convenerit, ac proinde maritus eas alienare nequit, art. 1552. Idem dicendum est, si in dotem datæ sint res inestimatæ, sive mobiles sint, sive immobiles, solutoque matrimonio, maritus illas restituere tenetur juxta art. 1564, 1566, 1567 et 1571.

56. — *Quæritur* 3° sub regimine dotali quodnam sit *uxoris* dominium in bona sive dotalia, sive parapherna?

Resp. 1. Bona *dotalia* uxor alienare nequit, nec ea oppignerare etiam cum consensu mariti et auctoritate judicis, art. 1544, nisi in casibus designatis in art. 1554-1559.

2. Quoad autem bona *parapherna*, uxor eorum plenum habet dominium et administrationem; potest illa alienare

cum mariti consensu vel judicis auctoritate, fructus illorum percipit, et tenetur tantum, si nihil in dotem intulerit, onera matrimonii sustinere pro parte conventa in contractu matrimoniali, vel deficiente pacto, pro tertia parte redituum suorum; art. 1575 et 1576.

PUNCTUM III

De regimine exclusivo Communitatis.

57. — *Quæritur* 1° quid sit regimem communitatis exclusivum?

Resp. Tunc adest illud regimen quando conjuges non ineunt matrimonium sub regimine dotali, et tamen declarant se vel non inire sub regimine communitatis, vel hoc inire cum separatione bonorum. Unde hujusmodi regimen duplici modo institui potest, nempe, simpliciter sine communitate, vel sine communitate cum separatione bonorum; atque ideo veluti medium est inter regimen commune et regimen dotale.

58. — *Quæritur* 2° quodnam sit dominium uxoris sub regimine communitatis exclusivo, sine, vel cum separatione bonorum?

Resp. 1. Sub illo regimine sine separatione bonorum, uxor omnium bonorum suorum dominium directum servat; sed *maritus eorum administrationem habet, fructusque omnes acquirit ad sustinenda onera matrimonii*, art. 1530 et 1531, *solvendo cuncta usufructus onera*, art. 1533.

Possunt tamen in hoc casu conjuges convenire de quadam parte redituum uxoris, quam ista pro suis privatis necessitatibus percipiet, art. 1534.

2. Si vero uxor sit sub illo regimine cum stipulatione separationis bonorum, tunc *bonorum suorum mobilium et immobilium fruitionem et administrationem retinet*, nec confert ad onera matrimonii nisi summam aliquam determinatam, cujus dominium plene marito tradit.

Sub eo tamen regimine potest uxor pro hujusmodi oneribus sustinendis conferre marito *fruitionem* et *administrationem quorumdam bonorum*, aliis sibi retentis. Unde exsur-

git speciale quoddam regimen exclusivum communitatis, quod *mixtum* vocatur.

61. — *Nota.* Sub *quocumque regimine* nupserit, mulier non potest bona immobilia (vide art. 1449, 1536), donare, vendere, nec titulo gratuito vel oneroso quidquam acquirere, absque consensu mariti vel legis aut judicis auctoritate, art. 217 et 219.

Item etiamsi quoad bona sit separata, aut mercaturam publice exerceat, non potest stare in judicio, absque auctoritate mariti vel judicis, art. 215, nisi in jus vocetur tanquam rea propter delictum, art 216.

PUNCTUM IV

De modis quibus uxor marito, vel maritus uxori injuriam inferre potest.

62. — *Quæritur* 1° quandonam uxor marito injuriam infert in bonis. et tenetur ad restitutionem?

Resp. Ex communi sententia, uxor peccat contra justitiam et tenetur ad restitutionem erga maritum vel ejus hæredes, si aliquid de fructibus rerum dotalium vel de bonis communibus, et multo magis de bonis propriis viri subripiat aut impendat, *marito rationabiliter invito;* quia tunc injuriam marito infert cum damno. Licet enim, ut diximus, uxor habeat dominium *directum* rerum dotalium, et jus certum ad dimidiam partem bonorum communium *post communitatis solutionem*, interea tamen horum omnium administrationem et usumfructum solus habet maritus, cum facultate disponendi, juxta regulas supra traditas, de bonis communibus.

Sunt tamen plures casus in quibus uxor, disponens de bonis familiæ non peccat. Potest enim secundum communem sententiam, 1. *de bonis communibus et fructibus dotalibus*, clam accipere quantum opus est ad solvenda debita, ad suam sustentationem, ad quamcumque familiæ necessitatem, si maritus ea deneget, cum dare possit; vel ad elemosynas moderatas faciendas, secundum consuetudinem piarum mulierum ejusdem conditionis et facultatis,

nisi vir sufficientes largiatur; vel ad avertendum damnum familiæ aut mariti, ut fecit Abigaïl, I. Reg. 25.

2. Si maritus sit prodigus, potest uxor subtrahere bona necessaria tum ad alendam familiam et educandos ac collocandos liberos, secundum suum statum, tum ut dos sua non pereat : nam in his omnibus, maritus non est rationabiliter invitus, cum speciali jure hæc omnia præstare teneatur.

3. Potest etiam uxor, ex bonis communibus, ex fructibus dotalibus, si alia non habeat, nec vir dare velit, clam accipere quantum opus est ad suppeditandam sustentationem necessariam patri, vel matri, vel proli propriæ indigenti, si quam habeat ex alio matrimonio, et, secundum quosdam Doctores, fratribus aut sororibus unde sibi subveniant non habentibus, modo remaneant necessaria marito et ejus familiæ.

Utrum in hoc casu teneatur uxor ea quæ sic clam accepit, in suam partem referre cum ad partitionem cum hæredibus mariti venerit vel dotem acceperit, controvertitur inter Doctores. Alii affirmant, quia, inquiunt, uxor subveniret injuste de alieno, cum habeat propria; alii negant, quia, juxta illos ea lege censentur matrimonia contrahi, ut onera et debita realia quæ superveniunt uni conjugum, fiant quoque debita alterius.

Prior sententia verior videtur, si uxor sit sub regimine dotali et habeat bona parapherna. Tunc enim uxor cum bonis paraphernis alimenta suis parentibus præstare debet; art. 205, 206, 1558. Si autem matrimonium contractum fuerit sub regimine communitatis, posterior sententia est anteponenda; sub hoc enim regimine omnia onera matrimonii utrique conjugi sunt communia ex art. 1409 collato cum art. 206.

63. — *Quæritur* 2° quotuplici modo maritus uxori injuriam in bonis fortunæ inferre possit?

Resp. 1. Maritus peccat contra justitiam et tenetur restituere uxori vel ejus hæredibus, *si dissipet ejus dotem*, cum dotis proprietas sit penes uxorem; vel si accipiat aut im-

pendat, *invita uxore*, bona parapherna; nam uxor habet illorum plenum dominium et administrationem.

Dicitur, *invita uxore*, quia si maritus paraphernorum fructus percipiat, sine mandato quidem, sed sine impedimento uxoris, lucratur fructus consumptos, et tenetur tantum, sive post solutionem matrimonii, sive post uxoris petitionem, fructus exstantes restituere; art. 1577 et 1578.

2. Peccat etiam graviter maritus, *si bona communia notabili quantitate*, invita uxore, *prodige donet vel in usus malos aut vanos impendat :* nam licet horum administrationem maritus habeat. cum facultate de iis disponendi juxta regulas supra traditas, tamen jus certum habet uxor ad dimidiam partem bonorum communium soluta communitate; ac proinde maritus illi facit injuriam.

An teneatur ad restitutionem vel non, non omnes consentiunt. Affirmant qui volunt maritum esse merum communitatis bonorum œconomum. Negant alii, qui censent maritum esse bonorum communitatis dominum. Nobis autem sic, ex art. 1421 et 1422, distinguendum videtur : si maritus dissipando bona communia, sese continuerit intra limites jurium, quæ a lege ipsi concessa sunt, etsi peccaverit contra caritatem, ad restitutionem non erit obligandus, modo ex illorum bonorum dissipatione rem propriam non auxerit. Si autem prædictos juris limites excesserit, v. g., si titulo gratuito bona immobilia, vel bonorum mobilium universitatem alienaverit, cogendus est ad restitutionem.

NUMERUS IV

De Dominio Clericorum.

64. — *Quæritur* 1° quotuplicis generis sint bona clericorum?

Resp. Triplicis generis, nempe, bona patrimonialia, quasi-patrimonialia, et ecclesiastica.

Patrimonialia seu *profana* sunt ea quæ clerici sibi comparant mediis sibi et laicis communibus. v. g., hæreditate, donatione, venditione, professione illiberali vel liberali sine respectu ad clericatum. Dicuntur profana, quia ita sunt ratione functionis et salarii.

Quasi-patrimonialia seu *quasi-ecclesiastica* sunt, quædam honoraria ex bonis fidelium provenientia et clericis data ob illorum sacras functiones, v. g., concionis, cantus in choro, Missæ celebrationis, sacramentorum dispensationis, funeralium obsequiarum. Sic vocantur, quia profana sunt, quatenus proveniunt ex bonis fidelium profanis, et sacra quatenus dantur ob sacras functiones.

Ecclesiastica ea sunt, quæ proveniunt ex bonis Ecclesiæ *appropriatis*, et dantur propter munus spirituale; sic diversa *beneficia*. Appellantur *ecclesiastica*, quia sacra sunt, quatenus non solum ob functiones sacras dantur, sed et proveniunt ex bonis Ecclesiæ dicatis ac proinde sacris.

65. — *Quæritur* 2° quodnam sit clericorum dominium in varia eorum bona?

Resp. 1° Clerici *plenum habent dominium in bona patrimonialia*, quia non amiserunt eorum proprietatem, neque voto, cum paupertatem non voverint, neque lege, cum lex ipsis hoc dominium non abstulerit.

2° Probabilissimum est clericos non teneri *ex justitia*, superflua ex donariis fidelium obvenientia in pios usus impendere. Hujusmodi enim obligatio 1. repugnare videtur naturæ horumce bonorum, quæ velut justum laboris stipendium habentur; 2. aliunde minime intenditur a fidelibus qui dona illa præbent; 3. non imponitur ab Ecclesia, cujus canones recentiores hac super re nulli proferuntur; veteres autem bona spectant quæ clericis olim in commune dabantur pro sua et aliis Ecclesiæ pauperumque necessitatibus. Vide Institut. canon. Tract. 5. n. 229-237.

3° Circa bona mere ecclesiastica duo constant, scilicet, 1. clericos non habere dominium in *fundum* bonorum ecclesiasticorum, eo sensu quod illum valide vendere, donare aut commutare possint; 2. clericos jus strictum habere in omnia ex his bonis, quæ necessaria sunt ad honestam sustentationem, dicente Apostolo : *Qui altari deserviunt, cum altari participant;* I Cor. 9. v. 7, 13. Hinc, etiamsi alia habeant bona quibus decenter vivere queant, de bonis ecclesiasticis sumere possunt id, quod necessarium est ad

convenientem clerici stantum; imo, si parti congruæ sustentationis parcant, in eam acquirunt dominium.

Sed quæritur an et quo jure teneantur clerici redituum Ecclesiæ superflua in usus pios impendere. Ad quæstionis priorem partem solvendam statuitur sequens

PROPOSITIO

66. — *Peccant mortaliter beneficiarii, qui redituum Ecclesiæ superflua in usus pios non impendunt.* Ita communiter,

Prob. 1° *Ex pluribus Conc. decretis*, quæ referuntur in Jure canonico, causa 12ª quæst. 1ª et 2ª, quibus insistens Trid. Synodus, sess. 25, cap. 1 *de Refor.* quibuscunque Beneficiariis sic loquitur : « Omnino vero eis interdicit (Sancta Synodus) ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent, etc. » Quod tamen licitum foret, nisi honestæ sustentationi superflua in usus pios esset impendenda.

2° *Ex unanimi SS. PP. consensu*, et præcipue ex S. Ambr. Epist. 33, ad sororem Marcellinam; S. Hieron. in Isaiam; S. Aug. Serm. 277 in Appendice, alias 219 de Tempore; S. Bern. Epist. 2 ad Fulconem, et Epist, 42, ad Henricum Senonensem.

3° *Ratione.* Si enim bona ecclesiastica sunt patrimonium pauperum, res Dei, patrimonium Jesu Christi, ut loquuntur Canones, certe gravissimo peccato se obstringunt, qui ea superflue expendunt in ludos, convivia, etc.

Itaque certum est, etiam posita bonorum ecclesiasticorum divisione, ait Bened. XIV *de Syn.*, l. 7, c. 2, adhuc nihilominus teneri clericos beneficiarios reditus, quos ultra sui honestam sustentationem ab Ecclesia percipiunt, distribuere in pauperes, aliave pia opera erogare; nec posse, *absque gravi peccato*, in profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi tanquam pauperibus, si vere pauperes sint, et tunc ut minus egeant, non ut ditescant : hanc obligationem omnes Ecclesiæ canones aut imponunt, aut omnibus impositam agnoscunt.

67. — *Quæritur* 1° an Beneficiarii ex justitia teneantur bona Ecclesiæ in usus pios insumere, an ex alio titulo, v. g., caritatis, vel religionis, vel obedientiæ legibus Ecclesiæ?

Resp. Controvertitur. Non desunt inter recentiores Doctores multi, qui hanc obligationem ex justitia non oriri putant, sed ex Jure naturæ, vel ex solo Ecclesiæ præcepto, sed gravissimo et sub peccato mortali obligante.

Sed plures, præsertim ex antiquioribus, arbitrantur hanc obligationem oriri ex *stricta* justitia; et quidem fere unanimis fuisse videtur ea de re Theologorum et Canonistarum sententia usque ad finem seculi XVI, et ut probabilior hodie a plurimis ex gravioribus Theologis propugnatur.

In tanta autem sententiarum diversitate, Conc. Trid. unam præ alia noluit expresse amplecti, nec declarare clericos *non esse dominos*, sed *meros dispensatores*, ut constat ex hist. Concilii; unde libera remansit in scholis utraque opinio. Cæterum non adeo urget controversiam solvendi necessitas, cum de obligatione gravi superflua in pios usus impendendi non ambigitur. « Parvi enim refert, ut scribebat Bellarminus ad Nepotem, utrum quis damnetur quia peccavit contra caritatem vel contra justitiam, non bene distribuendo facultates suas. » S. Ligor., *Retr.*, q. 10, S. Th. 2. 2, q. 185, a. 7.

68. — *Quæritur* 2° utrum pensiones quæ nunc a Gubernio solvuntur Pastoribus et Canonicis, induant naturam bonorum ecclesiasticorum, et annexam habeant obligationem his bonis inhærentem, scilicet, expendendi superflua pauperibus, seu piis causis, et residentiam servandi, sub pœna non faciendi fructus suos?

Resp. Affirmative. Etenim bona ecclesiastica sunt prædia vel reditus Deo dicata et Ecclesiæ appropriata ad clericorum sustentationem : atqui tales sunt pensiones de quibus agitur, cum dentur in compensationem bonorum ecclesiasticorum ablatorum; siquidem Pius VII non cessit bona ecclesiastica, quæ fuerant a Gubernio inique vendita tempore perturbationis gallicæ, nisi ea conditione, ut eorum loco assignarentur pensiones vel reditus in honestam cleri-

corum sustentationem : « Declaramus, et Cardinalis Legatus (decreto circumscriptiones sedium episcopalium, Parisiis dato, die 9 aprilis 1802) earumdem Ecclesiarum dotationem ex iis reditibus conflatam fore, qui ab ipso Gubernio juxta præfatæ conventionis tenorem singulis Archiepiscopis et Episcopis assignandi erunt; » ergo... Vide Bouix, *de Capitulis*, p. 158. Idem constat ex decis. S. Pœnitentiariæ, 9 jan. 1819. Cæterum, si quæstio expendatur *in ordine ad obligationem erogandi superfluum in usus pios*, de facto adeo modicæ sunt illæ pensiones, ut plerumque vix honestæ sustentationi sufficiant; si supersit aliquid, dicitur bonum *parcimoniale*, quod pertinet ad clericum, ex supra dictis. Si autem expendatur in ordine *ad obligationem rite implendi munus suum*, quæcunque sit natura hujusmodi pensionum, satis certum videtur eos, qui non rite munus obeunt, non posse hujusmodi pensiones recipere : etenim ea est natura stipendiorum quæ dantur pro quocunque officio, sive ecclesiastico, sive seculari, ut non ea lucretur, nisi qui officium exercet.

NUMERUS V

De Dominio Religiosorum.

69. — De Religiosis hic agitur tantum quoad vinculum, quo obstringuntur paupertatis voto sive simplici, sive solemni : porro de utriusque voti effectu ratione dominii agitur in Tract. *de Obligat.*, n. 99, 101, 116; et ideo illuc remittimus.

ARTICULUS II.

De Dominio personarum moralium.

70. — *Quæritur* quid et quotuplex sit *persona moralis*, de qua agitur?

Resp. 1. Persona moralis est *societas plurium personarum, quarum bona in communi reponuntur partim vel in totum*, adeo ut illa bona ad corpus pertineant, non vero ad singula membra.

2. Duplicis generis est hujusmodi persona, alia civilis, alia ecclesiastica. *Civiles* dicuntur tum societates politicæ

quæ singulas gentes constituunt; tum etiam particulares quædam aggregationes hominum quæ intra generalem societatem seorsim efformantur, sive natura, sive ipsa lege et constitutione reipublicæ, sive conventione, v. g., familiæ, provinciæ, municipia, societates industriales et commercii, scientificæ, mutui auxilii, etc.

Ecclesiasticæ autem sunt vel ipsamet Universalis Ecclesia, cujus caput est S. Pontifex, Diœcesesque et Parœciæ quæ sunt partes universalis Ecclesiæ, vel communitates quæ dicuntur *religiosæ*, intra Ecclesiam sive universalem, sive particularem, cum debita approbatione existentes, ad finem quemdam ordinis supernaturalis prosequendum, nempe sanctificationem ipsorum membrorum, vel etiam proximi.

Agemus 1° de dominio societatum civilium; 2° de dominio Ecclesiæ et communitatum religiosarum.

§ I

De Dominio Societatum civilium.

Dicendum est 1. de dominio publico et municipiorum; 2. de dominio societatum civilium particularium.

NUMERUS PRIMUS

De Dominio publico.

Sub hoc titulo includuntur dominium publicum stricte sumptum, nationale, municipiorum, provinciarum. Itaque

71. — *Quæritur* 1° quid sit dominium publicum stricte sumptum?

Resp. Dominium publicum stricte sumptum ea comprehendit, quæ inserviunt usui illius entis moralis seu collectivi quod dicitur gallice *le public*, quæ proinde non sunt objectum dominii privati. Præcipuæ bonorum hujusmodi, seu potius rerum species sunt: viæ publicæ, flumina, maris littora, arces munitæ, portus, et alia art. 538, 540 designata.

72. — *Quæritur* 2° quid sit dominium nationale?

Resp. Dominium nationale, gallice (*de l'Etat*), coalescit ex bonis fructiferis, quibus Status fruitur eodem modo ac privati fruuntur bonis privatis, seu quorum reditus ad ærarium publicum devolvuntur. Ista sunt præcipua: 1. Loca a mari relicta, quæ possunt a Gubernio concedi privatis, pro certa pecuniæ summa. 2. Insulæ efformatæ in

fluminibus navigabilibus; art. 560 Cod. civ. 3. Bona quæ domino carent, ex art. 713 Codicis civilis; seu, ut magis evolvitur in art. 539, « tous les biens vacants et sans maîtres, et ceux des personnes qui « décèdent sans héritiers, ou dont les successions sont abandon- « nées. » Illud intelligitur potissimum de bonis immobilibus : quoad mobilia autem, intelligendum est cum restrictionibus, quas ipsa lex agnoscit, ut patet exemplo thesauri de quo art. 716, et plurium aliarum rerum de quibus art. 715 et 717; ut exponemus ubi *de occupatione*. 4. Ea quæ erant dominii publici et desinunt esse usui publico consecrata : exemplum suppeditat art. 341, in mœnibus urbis quæ jam non amplius inservit. 5. Silvæ non paucæ, ædificia plurima, ut palatia, etc. : uno verbo, alia quæcunque titulo justo a gente vel illius nomine acquisita; facile intelligitur varia illa objecta possideri titulo *veræ proprietatis*.

73. — *Quæritur* 3° quid sit dominium municipiorum?

Resp. Dominium municipiorum (*des communes*), duplici genere bonorum constat, ideoque duplex distinguitur.

Dominium *publicum municipale* ea complectitur, quæ non sunt ex se fructifera, nec objectum proprietatis privatæ, sed omnium incolarum usui consecrata. Inter hæc recensent jurisperiti, 1. vicos et plateas; 2. vias vicinales, quæ tales declarantur per administrationem publicam; 3. vias rurales, id est, vias minoris momenti, quæ publico usui inserviunt.

Dominium commune, gallice (*communal*), explicatur, art. 542 Codicis civilis : « Les biens communaux sont ceux à la propriété ou au produit desquels les habitants d'une ou plusieurs communes ont un droit acquis. » Per bona in illo articulo ea omnia intelliguntur, quæ possideri possunt titulo proprietatis privatæ, ac proinde sive mobilia, sive immobilia, incorporea, etc. Bona immobilia triplicis sunt generis : « Les uns sont destinés à l'usage personnel des habitants, les autres sont livrés au pâturage de leurs bestiaux; d'autres sont affermés, et le prix du bail forme un revenu communal. »

Bonis illis applicatur art. 547 Cod. civilis : « Les biens qui n'appartiennent pas à des particuliers sont administrés et ne peuvent être aliénés que dans les formes et suivant les règles qui leur sont particulières. » Eas regulas exponere alienum est a scopo quem intendimus : adeantur jurisperiti.

74. — *Quæritur* 4° quid sit dominium provinciarum?

Resp. De dominio provinciarum, seu districtuum (*départements*) idem fere ac de dominio municipiorum dicendum est, nempe

aliud esse *publicum*, aliud *commune*. Prius usui omnium incolarum inservit, et sumptibus communibus administratur; posterius spectat bona mobilia vel immobilia quorum reditus inserviunt ad impensas utiles vel voluptuarias.

75. — Jam vero, præfatæ personæ morales sempes agnitæ sunt et nunc agnoscuntur ut dominii capaces. Aliunde, in hujusmodi communitate bonorum, nihil apparet quod sive rationi, sive naturæ dominii ullo modo repugnet; et ideo contra justitiam peccant, qui dominium publicum ex aliqua parte usurpant.

NUMERUS II

De Dominio societatum civilium particularium.

76. — *Quæritur* quænam sint societates de quibus hic agitur, et an strictum dominium habeant in bona quæ possident?

Resp. 1. Personæ morales, de quibus hic agitur, sunt communitates seu societates *mere civiles*, a spontanea hominum conventione ortum habentes, finem particularem prosequentes, sub sanctione Principis.

Porro hujusmodi societates maxime promovent bonum privatum et publicum. Quod enim non possunt privati singulatim sumpti, illud efficaciter obtinent plurium conatus in unum coadunati, ut videre est ex effectibus plurimarum societatum apud nos vigentium, quæ promovendis industriæ, commercio, litteris, scientiis, artibus, beneficientiæ et caritatis operibus sunt addictæ.

2. Hujusmodi societatis rite institutæ, in bonis quæ possident strictum dominium obtinent. Etenim tale dominium nullo modo repugnat sive naturæ dominii, sive rationi; et, ex alia parte, maxime convenit utilitati communi; siquidem, ex dictis, societates particulares generatim maxime promovent bonum privatum et publicum : porro nisi haberent bona propria, nec existere, nec finem suum prosequi unquam possent; ergo quod habeant verum dominium bonorum quæ possident, omnino necessarium est.

§ II

De Dominio Ecclesiæ.

Dicemus 1° de capacitate dominii in Ecclesia; 2° de dominio diversarum Ecclesiarum; 3° de dominio communitatum religiosarum ex lege civili in Gallia,

NUMERUS PRIMUS

De capacitate Ecclesiæ circa Dominium.

77. — Capacitatem dominii *proprie dicti* Ecclesiæ denegarunt diversi hæretici, nempe, seculo XII Arnaldus de Brixia, XIII Valdenses, XIV Marsilius Paduanus atque Wicleffus, et XVI Lutherus. His accesserunt plures moderni politici aut publicistæ, juxta quos princeps dominium Ecclesiæ potest restringere aut omnino tollere, vel quia personæ morales existentiam et dominii facultatem ab ipsa lege civili sortiuntur; vel quia princeps Ecclesiæ non concessit nisi facultatem bonis fruendi; vel quia illa bona collata sunt Ecclesiæ in utilitatem publicam, atque ideo sunt pars fortunæ publicæ.

PROPOSITIO

79. — *Ecclesiæ est capax dominii proprie dicti.* Certum est.

Prob. 1° *Traditione.* Concilium generale Constantiense, hac in re a Martino V expresse confirmatum, damnavit has Wicleffi propositiones : « Contra S. Scripturam est quod viri ecclesiastici habeant possessiones; ditare clerum est contra regulam Christi; Sylvester Papa et Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando. »

Conc. Trid. gravissimas pœnas tulit, nempe excommunicationem majorem *latæ sententiæ* et reservatam S. Pontifice, contra omnes quacunque dignitate, etiam regali, præditos, qui alicujus Ecclesiæ seu cujusvis secularis vel regularis Beneficii *bona, census*, ac *jura, fructus, emolumenta*, et *quascunque obventiones usurpare præsumpserint*, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent, percipiantur; sess. XXII, c. 11.

Horum autem decretorum vim et robur iterum atque iterum proclamarunt et confirmarunt S. Pontifices, et spe-

ciatim recentius Pius IX, Leo XIII, contra invasores possessionum Ecclesiæ Romanæ et Ecclesiarum particularium in diversis regionibus Europæ et Americæ. Vide Syllabi prop. 26, 27, 53. Sed etiam

Consensu omnium populorum, sive paganorum, sive christianorum. Neminem enim præterit fana deorum et collegia sacerdotum apud Ægyptios, Persas, Chaldæos, Gallos, Græcos, Romanos et alias gentes, et etiam Ecclesiam christianam ubique et a primordiis multa dominia habuisse, et adhuc hujusmodi morem tenere omnes gentes sive infidelium, sive fidelium : porro talis adeo constans et unanimis consensus decretorium argumentum est Ecclesiam esse dominii proprie dicti vere et necessario capacem.

2° *Ratione*, nempe 1. *jure divino*. Etenim, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 39, 58, 69, 70, 227-231, Ecclesia est societas ab ipso Christo fundata et in perpetuum constituta, ad finem supernaturalem animarum efficaciter promovendum, et a principe civili prorsus independems sive in origine sive in exercitio suæ potestatis : atqui hujusmodi societas finem suum consequi non potest absque dominio proprie dicto in bona quædam temporalia; ergo eodem jure divino quo existit, capax est etiam dominii proprie dicti.

Prob. minor. Etenim Ecclesia Christi necessario constituitur personis, quæ eam docent et doctrinam revelatam per prædicationem, sanctificant per sacrificium Missæ et sacramenta, dirigunt in viam sanctitatis per disciplinam et regimen ecclesiasticum : porro hujusmodi personæ talia officia obire nequeunt, nisi ad hæc informentur et sustententur, nec nisi habeant templa, vasa, vestes sacras, et omnia ad cultum divinum requisita; nisi etiam in multis casibus subveniant pauperibus; ac proinde nisi habeant res mobiles et immobiles, quarum ope has omnes necessitates pro nutu et perpetuo sustineant; ergo Ecclesia finem suum consequi non potest absque dominio proprie dicto in bona quædam temporalia.

2. *Jure naturali*. Quælibet persona ex jure naturali capax est dominii, modo dominium acquirat et exerceat juxta communes æquitatis regulas : porro Ecclesiæ domi-

nium sub omni respectu iis regulis consonat; ergo capax est Ecclesia dominii, adeo ut, si hujusmodi capacitas Ecclesiæ denegetur, eo ipso denegari debet sive privatis, sive societatibus civilibus quibuslibet, et ita funditus ruit quodcunque legitimum dominium.

79. — Hinc 1° princeps nullo modo *tollere* aut *restringere* potest Ecclesiæ dominium. Certum est.

Ecclesia enim dominii capacitatem tenet in primis a Jure divino, quod superius est jure principum quorumcunque, ita ut tali juri et ipsi principes subordinentur, ejusque sint solum defensores, ex dictis n. 78, et in Tract. *de Eccl.*, n. 227, 228, 229, 231.

80. — Hinc 2° princeps nullum jus habet ad *fructus*, nec ad *dominium directum* bonorum ecclesiasticorum. Certum est.

Constat tum ex dominio proprie dicto, quod habet Ecclesia in sua bona, ex dictis, n. 78; tum ex titulis acquisitionum, qui nullum dominium tribuunt reipublicæ; tum ex confessione ipsorum principum, qui in suis legibus profitentur se illorum bonorum esse non dominos, sed defensores, eorumque dominium totum esse penes Ecclesiam; tum denique ex jure pleno, quod Ecclesia circa illa bona exercuit.

81. — Hinc 3° injustitia et sacrilegio est invasio bonorum ecclesiasticorum. Certum est.

Injustitia quidem, cum hujusmodi invasio sit dominii proprie dicti manifesta violatio: sacrilegium etiam, eo quod illa bona sive ex eorum destinatione et usu, sunt Deo consecrata, et sub censuris ecclesiasticis in tutum posita (1).

(1) Cæterum alteri et efficaciori adhuc adhuc modo sancita observamus Ecclesiæ jura. Raro enim bonorum ecclesiasticorum invasio raptoribus profuit : « Novimus, jam aiebat Carolus Magnus, multa regna et reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt vel diripuerunt Episcopis et Sacerdotibus, atque, quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt, et pugnantibus dederunt. »

Lutherus ipse, spoliationis Ecclesiarum promotor, agnovit tandem quo hæc adduceret : « Comprobat experientia, inquit, eos qui ecclesiastica bona ad se traxe-

82. — Hinc 4° nonnisi Ecclesiæ consensu alienari possunt illa bona. Certum est.

runt, ab ea tandem depauperari et mendicos fieri. » Recentiora non desunt et illustria exempla, a quibus referendis abstinemus. Unde Bossuetius : « C'est une injustice inouïe de vouloir profiter des dépouilles de cette Epouse du Roi des rois (l'Eglise) à cause seulement qu'elle est étrangère et qu'elle n'est pas armée. Son Dieu prendra en main sa querelle, et ce sera un rude vengeur contre ceux qui oseront porter une main sacrilège sur l'arche de son alliance... O Princes! prenez en votre garde tout ce qui est consacré à Dieu : et non seulement les personnes, mais encore les lieux et les biens qui doivent être employés à son service. Protégez les biens de l'Eglise, qui sont aussi les biens des Pauvres. Souvenez-vous d'Héliodore et de la main de Dieu qui fut sur lui pour avoir voulu envahir les biens mis en dépôt dans le Temple. Combien plus faut-il conserver les biens, non seulement déposés dans le Temple, mais donnés en fonds aux églises! » *Panégyr. de S. Thomas de Cantorb.*, 1re partie; *Politiq. tirée de l'Ecriture Sainte*, I, 7. a. 5.

Non supervacaneum est hic breviter contrahere quod diebus calamitosis contra Ecclesiæ dominium ausum est « Le 2 novembre 1789, sur la motion de Mirabeau, l'Assemblée constituante décréta que tous les biens ecclesiastiques *étaient mis à la dispositon de la nation*, à la charge de pourvoir d'une manière convenable aux frais du culte, à l'entretien de ses ministres et au soulagement des pauvres, et d'affecter à la dotation des cures au moins 1,200 francs, non compris le logement et le jardin en dépendant; en sorte que l'Etat administre la dotation du clergé, mais il ne la fournit pas, et son droit ne pourrait jamais aller au-delà d'une restitution, s'il renonçait à son rôle d'administrateur. Ce principe continua d'être reconnu par la Convention le 27 septembre 1792, le 14 décembre 1794, et par le Concordat de 1801. »

En vertu du décret du 14 avril 1790, il fut alloué savoir, pour le traitement :

De l'épiscopat	2,000,000
Des cures	22,500,000
Des vicaires	19,200,000
Entretien des presbytères	12,000,000
Total	55,700,000

Le marc d'argent, en 1790, valait 50 francs, et aujourd'hui il vaut 31 francs; les 55 millions de 1790 représenteraient donc aujourd'hui 88 millions. L'Etat avait pris de l'Eglise de France pour plus de 5 milliards de biens au marc d'argent de 1790, qui aujourd'hui vaudraient plus de 9 milliards et donneraient un revenu net de 300 millions au moins.

Or, 1. en 1879, l'Etat alloue pour le personnel du culte catholique 40 millions, sur lesquels plus de 20,000 curés ne prélèvent chacun que 900 francs; les vicaires rétribués par l'Etat ne touchent que 450 francs; un grand nombre reçoivent cette allocation des fabriques elles-mêmes ou des communes.

2. La construction et la réparation des églises et des presbytères restent à la charge de la piété des fidèles et des communes.

3. L'Etat ne s'est jamais occupé des pauvres, et ils sont restés à la charge de la charité privée et surtout du clergé.

Absque enim consensu veri domini, alienatio boni cujuscunque furtum est aut etiam rapina.

83. — *Obj.* Frequentiores et gravissimi in Ecclesia enascuntur abusus ex dominio proprietatis; ergo illud nec Ecclesiæ, nec societati civili expedit?

Resp. Nego conseq. Nam 1. jura, ut jam dictum est ubi de dominio privatorum, non tolluntur abusu, et optimis necessariisque graviter multi abutuntur: 2. Ecclesia suis ipsa legibus mala hujusmodi, quantum fieri potest, præcavet vel coercet; 3. illi abusus, qui propter humanæ conditionis infirmitatem sæpius certe occurrunt, multum tamen ab adversariis exaggerantur; 4. tandem Ecclesia quæ ipsius temporalis societatis bonum sedulo, nec minus quam ipsi principes, prosequitur, jurium suorum exercitium juxta societatis civilis necessitates temperare non recusat.

NUMERUS II

De Dominio Ecclesiarum in particulari.

Duo hic solvenda supersunt, scilicet, ad quem pertineat dominium et dispensatio bonorum ecclesiasticorum.

PROPOSITIO PRIMA

84. — *Dominium bonorum ecclesiasticorum pertinet ad ecclesias seu communitates particulares canonice erectas, quibus titulo proprietatis acquisitum fuit.* Ita communiter.

Etenim, ad illum pertinet alicujus boni dominium, cui illud bonum a legitimo possessore donatum est, et qui aliunde jure acquirendi potitur : atqui talia sunt bona de quibus agitur; dantur, scilicet, alicui ecclesiæ aut communitati particulari legitimo possessori, atque hæc communitas aut illa ecclesia uti persona moralis et dominii capax agnoscitur, ex hypothesi, ab auctoritate ecclesiastica competente, ita ut illud bonum sic acquisitum ab illa persona morali, vere sit ecclesiasticum; ergo dominium bonorum ecclesiasticorum pertinet ad ecclesias seu communitates particulares, quibus titulo proprietatis acquisitum est.

« Communis est sententia, ait Schmalzgrueber, quod dominium particulare bonorum ecclesiasticorum sit penes ipsas ecclesias sive collegia et capitula clericorum; aut, ubi talia non sunt, penes communitatem fidelium ad ecclesiam

spectantium, si ecclesia sit particularis; si vero regularis, penes ipsa monasteria seu conventus et communitates religiosorum, si illa sint dominii capacia. » *In tit. de pecul. Cleric.* n. 3, lib. 3 *Decret.*

85. — Hinc diœcesis, sedes episcopalis, ecclesia cathedralis, capitulum, seminaria, ecclesiæ parochiales, monasteria, et cætera instituta ecclesiastica vel religiosa, quando rite erecta sunt juxta canonicas leges, sunt dominii capacia. Talia enim instituta tunc efformant personas morales vere ecclesiasticas.

86. — *Quæritur* autem an bona ecclesiastica impendi debeant in usus a donatoribus præfinitos?

Resp. Affirmative, et certum est. Etenim, ex una parte, donator non confert tali instituto ecclesiastico sui boni dominium, nisi sub conditione talis vel talis usus; ex altera autem, hoc institutum accipit illud dominium sub conditione proposita; ergo, ex implicito aut etiam sæpe explicito contractu inter donatorem et donatarium, dominium non manet penes institutum ecclesiasticum nisi sub conditione usus a donatore præfiniti; ita ut alius usus sit non solum illicitus, sed etiam invalidus, nisi in casu particulari de alia subordinata intentione donatoris constet. Vide Tract. *de Contract.* n. 131.

Proinde, si donator bona destinaverit alicui instituto in specie, v. g., confraternitati, seminario majori, seminario minori, exercitiis missionum evangelicarum, etc., nec parochus, nec ipse Episcopus potest aliud institutum substituere in locum quem donator designaverit, etsi ipsi videatur hanc substitutionem magis expedire. Ad donatarium enim aut legatarium nullum jus pertinet novam donationem, novum testamentum conficere absque donatoris vel testatoris consensu, ut patet ex jure sive naturali, sive ecclesiastico. Talis potestas, et in casibus tantum urgentis necessitatis, soli S. Pontifici competit ob supremam suam potestatem et altum quoddam dominium, de quo in subsequenti propositione.

PROPOSITIO II

87. — *S. Pontifex habet in bona ecclesiastica jus supremæ dispensationis, vi cujus potest, ex necessitate, ea transferre, alienare, vel etiam laicis cedere.* Certum est.

Constat 1° *ex donatorum intentione.* Etenim quod præfata suprema dispensatione gaudeat S. Pontifex, requirunt regimen Ecclesiæ, summa potestas inhærens Sanctæ Sedi, et necessitas avertendi pericula, quæ in quibusdam casibus religioni imminerent : atqui fideles, nisi sub illius supremæ dispensationis tacita conditione donarent, vellent grave damnum inferre Ecclesiæ, vel impossibilem constituere donationem; ergo suprema bonorum ecclesiasticorum dispensatione pollet S. Pontifex, ex ipsa donatorum intentione.

2° *Ex ipso usu hujusmodi facultatis a S. Pontifice.* Namque S. Pontifices, id postulante temporum necessitate, cesserunt partes aliquas bonorum Ecclesiæ Romanæ; transtulerunt bona Templariorum ad aliud institutum, approbante generali concilio Viennensi; bona ecclesiastica injuste occupata et invalide alienata a laicis, concesserunt pro bono pacis, ut facilius restituerent ecclesias tempestatibus politicis collapsas : porro nullus catholicorum dubitat quin hoc legitime actum fuerit; ergo suprema illa dispensatiodis potestate gaudet S. Pontifex.

NUMERUS III

De Dominio communitatum religiosarum ex lege civili in Gallia.

88. — *Quæritur*, scilicet, quid statuerit jus civile gallicum hodiernum circa Ecclesiæ et societatum religiosarum dominium!

Resp. Duo requirit jus illud, ut communitas aliqua ecclesiastica sit coram lege civili capax dominii, scilicet, 1. ut ipsa communitas agnita approbataque fuerit a gubernio; 2. ut quævis acquisitio titulo sive gratuito sive oneroso speciatim et in particulari etiam approbetur a gubernio. Excipitur donatio de manu ad manum, ita tamen ut, si sit valde notabilis ratione habita fortunæ donatoris, et

videatur facta ad subterfugiendum gubernii interventum, princeps sibi reservat facultatem eam rescindendi, aut ad certum modum imminuendi.

Sub his conditionibus gubernium de facto approbavit titulos episcopales, capitula, fabricas ecclesiarum parochialium, capellas rite erectas, presbyteria, et nonnullas communitates religiosas, præsertim quæ hospitiorum curæ, pauperum sublevamini, puerorum educationi incumbunt.

89. — Jam vero, hujusmodi legislatio parum favet extensioni dominii ecclesiastici, imo ei obstat multiplici restrictione atque formalitate, tum ne bona conserventur apud communitates ecclesiasticas, et ita subducantur commercio frequentique mutationi; tum ut bona ad hæredes naturales potissimum transeunt; tum et præsertim ne in dies auctoritas et efficax Ecclesiæ virtus crescat fructificetque in plurimorum animas : quod ingrate et impatienter suffert gallicum gubernium, jam a centum fere annis plus minusve, Ecclesiæ infensum.

Et nihilominus communitates ecclesisticæ sunt robur, viror, efflloratio, pretiosissimusque fructus Ecclesiæ, sicut et Ecclesia vis est atque firmitas ipsius societatis civilis. Quare præfatæ restrictiones a spiritu dissidii et impietatis in primis excogitatæ et appositæ, non adeo in foro conscientiæ obligant, ut dicitur in Tract. *de Contract.*, n. 157. Vide *Le Monde*, 23 fév. 1878.

CAPUT IV

DE MODIS QUIBUS DOMINIUM ACQUIRITUR

90. — *Quæritur* quotnam sint *modi* dominium *acquirendi?*

Resp. Duplex est generalis modus dominium acquirendi, nempe, *originarius* et *derivativus :* prior ille est quo acquiritur res quæ antea nullius erat; talis est *occupatio :* posterior ille est quo res ab uno possessa ad alterum transit;

talis est *contractus, successio, prescriptio.* Accessio est modus vel originarius, vel derivativus, prout res per accessionem acquisita, provenit a re comparata vel per occupationem, vel per modum derivatum.

Jam vero, in Tract. *de Contract.* agitur de contractu et successione. Hic agitur tractandum est 1° de occupatione, 2° de accessione, 3° de præscriptione.

ARTICULUS PRIMUS

De Occupatione.

91. — *Quæritur* quid sit occupatio, quænam sit ejus vis, quænam requirantur ut sit efficax, quænam ejus species?

Resp. 1° Occupatio est *realis apprehensio rerum nullius cum animo eas sibi habendi.*

2° Occupationem fuisse primævum acquirendi dominii medium, et *per se* omnino sufficiens, est communis et satis constans sententia.

Saltem *generatim* apud omnes gentes admissum fuit rem quæ ad nullum pertinet, fieri primi occupantis : « Quod nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur, » inquit Jus Romanum. Et revera, cum res quæ sunt objectum occupationis, sint simul omnium et nullius, facile concipitur omnino æquum esse ut ei tribuantur, qui præter titulos sibi cum aliis communes, habet insuper titulum possessionis sibi *proprium.*

3° Ad efficaciam occupationis *quinque* requiruntur : 1. ut res sit *capax domini;* 2. ut *sit* aut saltem *censeatur nullius,* alioquin furtum committitur; 3. ut fiat *cum animo* rem sibi habendi, alioquin non existit illa relatio qua constituitur dominium; 4. ut illa voluntas *manifestetur* aliquo facto *sensibili,* alioquin daretur locus litibus innumeris; 5. ut res *potestati physicæ* subjiciatur : non sufficit ut quis rem intueatur et dicat velle ut sit sua : quandonam autem censeatur subjici, pendet ex natura rei; aliter enim immobilis, aliter mobilis occupatur.

4° Multiplex est occupationis species, nempe 1. occupatio animalium, 2. lignatio, 3. inventio.

§ I

De Occupatione animalium seu de Venatione.

92. — *Quæritur* quid sit venatio, quotuplex, et quænam bestiarum species?

Resp. Venatio est *occupatio ferarum quæ cœlo, mari et terra vagantur.*

Triplex est, venatio proprie dicta, aucupium et piscatio.

Bestiæ autem aliæ sunt *feræ*, aliæ *mansuefactæ*, aliæ *mansuetæ*.

Feræ hic dicuntur non quæ præcise habent feram naturam, ut leones, lupi, etc., sed omnia animalia quæ libere vagantur, nec nisi per vim occupantur, ut lepores, perdices, etc.

Mansuefactæ sunt bestiæ ex natura sua feræ, sed domi cicuratæ, ut columbæ, pavones, apes, etc., et tandiu mansuefactæ censentur, quandiu abeundi et redeundi consuetudinem non amiserunt.

Mansuetæ sunt animalia domestica seu quæ non libere vagantur, ut oves, gallinæ. Itaque,

93. — I. *Simul atque ab aliquo feræ captæ fuerint, statim capientis esse incipiunt.* Nec interest sive in proprio fundo, sive in alieno capiantur; licet enim dominus fundi extraneum prohibere possit ne venandi causa fundum ingrediatur, attamen si, invito domino, iste ingressus fuerit, et feram ceperit, eam suam facit, quia prohibitio non impedit quominus feræ sint communes; sed ob prohibitionem, dominus fundi habebit contra capientem actionem ad consequendum illud quod interest.

Feræ autem *ab aliquo captæ, in ejus dominio non remanent, nisi quandiu in ipsius custodia coercentur, et rursum primi occupantis fiunt tanquam res nullius, si in libertatem naturalem se receperint.* Hanc autem naturalem libertatem recepisse intelliguntur, si oculos domini effugerint, vel ita sint in conspectu ejus, ut difficilis sit earum persecutio.

94. — *Quæritur* cujus erit fera ab uno vulnerata et ab altero capta?

Resp. Jure Romano sancitum fuerat illam non vulnerantis sed capientis fieri, quia sæpius evenire potest ut is qui feram vulneraverit, eam non capiat. Sed hanc decisionem plures rejiciunt, et feram ita vulneratam ut capi possit, vulneranti adjudicant. Eamdem sententiam tuentur, P. Antoine, Collet, Billuart, S. Ligor, et alii. Ultra quidam progrediuntur; docent enim feram quam excitavimus et persequimur, etiam non vulneratam, eo usque nostram videri, quandiu eam persequimur; ita ut nemo in illam jus aliquid sibi arrogare possit; et hanc sententiam in usu prævaluisse affirmat Pothier.

Quoad feram *laqueo irretitam*, si ita irretita sit, ut non sit evasura, ejus est qui laqueum instruxit, non ejus qui deprehendit in laqueo : si autem facile esset evasura, fit primi occupantis, quia nondum amisit libertatem. Est *communis sententia* Doctorum.

95. — II. *Bestiæ quæ ex natura sua feræ sunt, sed quæ mansuetæ fiunt*, ut pavones, columbæ et apes, *semel a nobis occupatæ, tandiu nostræ censentur*, ut diximus, *quandiu custodiam nostram non evaserint, aut revertendi animum non amiserint*. Unde qui eas proprias sibi faceret, aut fraudibus et illecebris in columbarium vel alveum suum traduceret, furtum admitteret, et ad restitutionem teneretur; si vero redeundi consuetudinem amiserint, censentur recuperasse naturalem libertatem, et sic fiunt primi occupantis; namque jam nullius sunt, et in ordine ad priorem dominum perinde se habent ac si nunquam captæ fuissent. Hinc cuique licet retinere columbas quæ sponte, non attractæ, columbis ejus se sociaverunt, et ad proprium columbarium redire desierunt. Item de cuniculis et piscibus, art. 564 Cod. civ.

Examen vero *apum* quod ex alveo nostri evolaverit, eo usque esse nostrum intelligitur, *donec* in *conspectu nostro est, nec difficilis ejus persecutio*. Olim occupantis fiebat ex L. 5, § 4, ff de acq. rer dom; sed Jure gallico pertinet ad

dominum fundi in quo stetit. L. 6 octob. 1791, tit. 1, sect. 3; et art. 714 [1].

96. — III. *Bestiæ natura sua mansuetæ et domesticæ*, ut gallinæ, anseres, etc., *nostræ remanent, quocunque abierint, et adeo longius evolaverint, ut ignoremus ubi sint.* Ratio est quia animalia domestica nunquam dici possunt recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habeant. Quoad illa igitur occupationi locus nunquam dari potest.

97. — Quod autem ad *pisces* attinet, si in mari, fluminibus aut stagnis publicis capiantur, jure gentium capientis fiunt; secus, si capiantur in privatis stagnis aut vivariis, quia pisces eorum esse censentur quorum sunt stagna et vivaria, et furti reus est qui piscatur in alieno stagno aut vivario; art. 388, Cod. pœn. Item qui a gubernio *emit jus piscandi,* non potest jure isto privari sine injustitia; unde ad aliquam restitutionem teneretur saltem qui tantam caperet piscium multitudinem, ut jus locatarii inde vilius redderetur.

98. — *Quæritur* utrum et quomodo peccet, qui contra prohibitionem venatur aut piscatur, et an teneatur ad restitutionem?

Nota. Venatio et piscatio prohiberi possunt ex duplici ratione. 1. Ratione *publicæ utilitatis*, ut cum prohibetur mensibus quibus segetes intumescunt, aut animalia sunt gravida pariuntve; vel cum prohibetur ne fiat certis instrumentis quibus minuta et nimia animalia caperentur, sicque soboles exstingueretur, aut multum minueretur. 2. Ratione *loci*, ut non fiat in fundo alieno, vel publico sed reservato.

Resp. 1. Qui venatur aut piscatur contra prohibitionem

1. En 1879, on comptait en France, 1,808,518 ruches en activité, qui ont produit 8,581,018 kilogrammes de miel, et 2,492,942 kilogrammes de cire, valant ensemble 20 millions de francs. *Journal de la Société de statistique*, déc. 1882, p. 328.

factam ratione *utilitatis publicæ*, peccat, quia agit contra justam legem, ut supponitur; et peccatum erit plus minusve grave, prout damnum majus vel levius intulerit. Insuper teneri poterit ad mulctam : non vero tenetur ad restitutionem prædæ, quia ista prohibitio non facit injustam nec invalidam acquisitionem feræ, sed tantum illicitam.

2. Qui venatur, aut piscatur, vel occupatur in fundo pervio alterius, absque ejus licentia, probabiliter non peccat nisi damnum inferat; facile enim supponitur consensus domini : peccat autem mortaliter vel venialiter ratione damni illati.

Dicitur : *in fundo pervio alterius :* si quis enim feras in loco circumsepto aut pisces in vivario caperet, furtum committeret, et teneretur ad restitutionem ipsorum animalium quæ naturalem amiserunt libertatem, ut jam dictum est.

3. Qui venatur aut piscatur in loco publico, sed Principi reservato, peccat semper contra legem justam, et aliquando pro ratione damni illati.

4. Qui venatur sine licentia, gallice, *permis de chasse*, probabilius non violat nisi legem mere pœnalem. Ita hodie communiter.

§ II

De Lignatione et Pastione.

99. — *Quæritur* 1° quid sit lignatio, et an aliquando fiat contra justitiam?

Resp. Per lignationem intelligitur *collectio parvorum lignorum in silvis.*

Porro certum est eos qui ligna ex alieno fundo auferunt, furtum committere, quando id faciunt invito domino; quod furtum mortale est, si damnum notabile domino inferatur, et variis pœnis afficitur, quæ reperiuntur in titulo duodecimo Codicis ad tuendas silvas, promulgati, die 21ª maii 1827, ab art. 192 usque ad art. 208.

Dixi : *invito domino;* quia contingit aliquando ut dominus non sit valde invitus, nec multum curet de furtis hujusmodi, v. g., si in vastissimis silvis arida tantum ligna col-

ligantur a pauperibus valde indigentibus, quibus se calefaciant, nec ab illis damnum notabile inferatur domino scienti et dissimulanti; id tamen facilius præsumi non debet de dominis, neque pauperibus passim et sine cautela permittendum, propter periculum furti, et ne exinde sumatur occasio damnum notabile inferendi.

100. — Hinc 1. furtum evidenter committitur a rusticis, qui in silvis alienis sive ad Statum, sive ad Principes, sive ad civitates vel alias communitates, sive ad privatos pertinentibus, ligna cædunt et ea asportant, non solum ut se calefaciant, sed etiam ut ea vendendo se suamque familiam sustentent, nisi id faciant duntaxat quantum satis est ut *extremæ suæ necessitati* subveniant : tenentur autem hujusmodi furtis ablata restituere, secundum valorem lignorum antequam in ipsa silva cæderentur. Vide tamen art. 61, 62, 63, 79 et 80 ad 85 Codicis supradicti, quoad eos qui *usuarii* vocantur.

101. — Hinc 2. si silvæ ad communitatem (*commune*) pertineant, quicunque illius cives possunt illis frui, *sed modo præscripto* a supradicto Codice, in articulis 103, 105, 111 et 112.

102. — *Quæritur* 2° quid sit pastio, et an aliquando fiat contra justitiam?

Resp. Pastionis nomine hic intelligitur *conductio pecorum in pascua aliena.*

Porro illa pascua ad privatos, vel ad communitatem pertinent : si *prius,* 1. pauperes qui sua ducunt animalia ad pascenda ea, quæ dominus fundi collecturus est, aut daturus in pabulum suis pecoribus, contra justitiam peccant et restituere tenentur; violant enim jus strictum alterius, cum domini sint rationabiliter inviti. 2. Pauperes qui, frugibus et herbis collectis, sua ducunt animalia ad pascenda ea quæ dominus nec est collecturus, nec suis animalibus in pabulum daturus, neque peccant, neque restituere tenentur : jus alterius non violatur, cum domini non sint ratio-

naliter inviti; sicque fert consuetudo recepta; ergo, etc.

Si *posterius*, pascua *communia* vel in silvis sunt, vel in aliis locis. 1. Omnia communitatis membra et maxime pauperes jus habent pastionis in silvis communibus, juxta decretum an. 1669, quod revocatum non fuit. Quædam tamen cautiones tum ratione temporis, tum ratione pecudum præscribuntur observandæ, ne scilicet damnum patiantur juniores arbusculæ. 2. Nihil speciale dicimus de pascuis communibus quæ sunt in locis campestribus, cum uniuscujusque jura pendeant ab usibus et locorum consuetudinibus.

§ III

De Inventione.

103. — *Quæritur* quid sit inventio?

Resp. Inventio est *realis apprehensio rerum inanimatarum quæ nullius sunt, vel natura sua, vel casu.*

Dicitur 1 : *realis apprehensio*, quia inventio non fit oculis, sed manu; unde, si duo viderint gemmam in littore maris, illius dominus fit qui prior apprehenderit, etiamsi eam alter ante viderit.

Dicitur 2 : *natura sua;* et hoc refertur ad res quæ nunquam habuerunt dominum, ut lapilli, gemmæ et similia quæ in littore maris inveniuntur.

Dicitur 3 : *vel casu;* quod refertur ad res quæ olim habuerunt dominum, sed postea nullius factæ sunt, et casu ab aliquo reperiuntur, ut thesauri, et res pro derelictis habitæ.

Porro, ut clarius intelligatur ea quæ ad inventionem spectant, sciendum est quadruplicis esse generis bona quæ inveniri dicuntur, scilicet; 1. quæ jamdudum possessore carent, ut thesauri; 2. quæ nuper amissa sunt; 3. bona derelicta; 4. bona vacantia : de quibus per singula agemus.

NUMERUS PRIMUS

De Thesauro.

104. — *Quæritur* quid sit thesaurus ex Jure sive romano, sive gallico?

Resp. Thesaurus, ex Jure romano, definitur : *Vetus quædam depositio pecuniæ, cujus memoria non exstat, ut jam dominum non habeat.*

In civili autem Codice thesaurus definitur : *Res quæcunque abscondita vel infossa, cujus se dominum esse nemo probare potest, quæque casu mere fortuito invenitur*, art. 716.

Dicitur 1 : *res quæcunque;* id est non solum pecunia numerata, sed etiam quælibet opes mobiles, ut vasa, gemmæ, annuli, numismata, etc.

Dicitur 2 : *abscondita* vel *infossa*, etc.; pro thesauro enim tantum habentur quæ sub terra vel in loco aperto condita sunt ab ignotis dominis, tempore plus minusve remoto. Unde si quis potest dominum se sufficienter probare, jam res non reputatur thesaurus.

Dicitur 3 : *quæ invenitur;* quia licet inventio in genere sit realis apprehensio, ut jam diximus, tamen quoad acquisitionem thesauri, minime necessarium est quod inventor illum physice apprehenderit, maxime si prohibitus sit a domino in cujus conspectu thesaurus invenitur; sufficit ut rem reddiderit visibilem.

Dicitur 4 : *casu mere fortuito :* nimirum, si vel arando, vealias terram alienam colendo, vel quocunque casu, non stul dio perscrutandi, in alienis locis thesaurum quis invenerit.

105. — *Quæritur* 2° ad quem ex jure naturali pertineat thesaurus?

Resp. Thesaurus, cum sit *res nullius*, totus ad inventorem pertinere videretur, *ex jure naturali*. Namque, ut diximus, quod nullius est, illud ratione naturali primo occupanti conceditur : atqui thesaurus est revera res nullius; non est enim 1. domini fundi, quia fundi pars non est, nec ullo modo probatur illum fuisse a majoribus domini reconditum; nec est 2. ejus qui recondidit vel ejus causam habentium: nam legitime præsumitur illum defunctum esse, et ejus hæredes non sunt humano modo reperibiles.

106. — *Quæritur* 3° ad quem, ex Jure civili, pertineat thesaurus.

Resp. Ex Jure civili sequentes traduntur regulæ.

Regula 1ª : Si quis *in proprio loco* thesaurum invenerit sive data opera, sive non, totum sibi acquirit, L. unic. Cod. de Thes. art. 716. Cod. civ.; et fructuarius agri in quo thesaurus inventus est, nullam hujus partem petere potest, art. 598, nisi sit ipse *inventor*, quo casu dimidiam thesauri partem habebit, jure *inventionis*, etiamsi, juxta plures, non fortuito, sed data opera illum invenerit.

Regula 2ª : Si *in loco alieno* quis thesaurum invenerit, distinguendum est, an *fortuito* invenerit, vel *data opera :* in *priori* casu, pro dimidia parte thesaurus pertinet ad inventorem, et pro altera dimidia parte ad dominum fundi : cui tradi debet ante sententiam Judicis, quia hic agitur de lege definitiva proprietatis rerum. In *posteriori*, totus pertinet ad dominum fundi; quod constitutum est ad coercendam fodientium avaritiam, L. unic. Cod. de Thes. In hoc tamen casu multi putant inventorem non teneri ante sententiam Judicis tradere nisi dimidium; quia hic agitur de lege pœnali, quæ, juxta omnes, ante sententiam Judicis non obligat in conscientia.

Regula 3ª : Si *in loco publico* thesaurus inveniatur, eadem distinctio adhibenda est; unde si inventus fuerit fortuito, pro dimidio pertinet ad inventorem, et pro altero dimidio ad fiscum vel ad communitatem ad quam fundus pertinet : si autem data opera, nihil ad inventorem pertinet.

Regula 4ª : Thesaurus a marito inventus *in fundo dotali*, pro dimidio ad maritum jure *inventionis* pertinet, et pro altero dimidio ad uxorem, cui restitutio fieri debet, soluto matrimonio. Sequitur ex regula prima; quod si thesaurus inventus fuerit ab extraneo, pro dimidio ad inventorem, et pro altero dimidio ad uxorem pertinere judicandus est,

107. — Advertes quod si quis soluto pretio agrum emerit in quo sciebat latere thesaurum, ex communiori sententia fit illius dominus; ratio est quia sumitur rei pretium, non præcise ex majori ejus utilitate, sed ex communi hominum æstimatione.

Sed si thesaurum *jam inventum* et apprehensum ex

fundo alieno, iterum in eo recondat, non potest emere fundum hunc communi pretio, et sic fieri totius thesauri dominus : patet ex jure jam exposito, juxta quod medietas thesauri *inventi* pertinet ad dominum fundi, eique tradi debet *ante sententiam* Judicis, cum lex sit *determinativa proprietatis* et fundetur motivo boni publici.

108. — *Quæritur* 4° an, quod dictum est de thesauris, applicari possit lapidicinis, carbonariis, cretariis, fodinis ferri vel plumbi, etc., quæ sunt in fundo alicujus privati.

Resp. Negative; nam 1. lapidicinæ, carbonariæ, cretariæ, arenariæ, etc., quæ sunt in fundo alicujus privati, non sunt res nullius, sicut thesauri, ac proinde non fiunt primi occupantis, sed ad dominum fundi pertinent, vel tanquam pars fundi qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque ad centrum terræ, vel saltem tanquam ejus fructus, art. 552 Cod. civil.

2. Idem dicendum foret de fodinis ferri, plumbi, cupri, necnon de venis metallicis, etc., spectato *solo Jure naturali* et gentium ; sed *Jure civili* in variis locis, et nominatim in Gallia, ob bonum commune, statutum est tam jure novo quam antiquo, ad Principem solum pertinere jus effodiendi hæc metalla, necnon concedendi privatis facultatem ea inquirendi etiam in agris alienis, et eruta fisco applicandi, ad sustinenda communitatis onera, compensato solo damno quod agro infertur. Unde non solum dominus fundi prohibetur fodinas metallicas quæ in suo fundo sunt, absque Principis concessione, effodere; sed etiam potest Princeps jus fodinas illas effodiendi extraneo concedere, reservata domino compensatione damni quod ei inferri potest.

NUMERUS II

De Bonis nuper amissis.

109. — *Quæritur* quænam sint bona nuper amissa, et a·l quid teneatur eorum inventor?

Resp. 1. Per *bona amissa* intelligimus *ea quæ quocunque modo amissa sunt, nolente domino.*

Certum est *non statim* fieri inventoris, sed remanere illius quæ ea amisit, cui proinde necessario restituenda sunt, si fieri possit, et nisi restituantur, in cujuscunque manus transierint, potest, dominus ea vindicare. Vide tamen art. 2279, 2280.

2. Inventor *saltem ex caritate* tenetur ad inquirendum do-

minum cum diligentia pretio rei proportionata, quia in pari occasione idem sibi fieri unusquisque censetur velle. Dixi, *saltem ex caritate*, quia plurimi Theologi cum Collatore Ambianensi, ut valde suspectum injustitiæ habent eum, qui omittit hujusmodi disquisitiones : adest enim quasi contractus, quem vocant *gestionis*, vi cujus inventor, eo ipso quod rem apprehendat et in custodiam accipiat, suscipit in se illius curam, ac proinde obligationem dominum quærendi, ut ipsi eam reddere valeat. Si has disquisitiones facere nollet, tunc res non erat apprehendenda. Hoc satis rationi consentaneum est, et imo ultra omne dubium, si, disquisitiones omittendo, rem inventu difficiliori eam reddat, prout ordinarie accidit, cum inventor rem apprehendens, causa sit vel cur dominus recordans loci in quo eam perdidit, eam frustra hoc in loco quærat, vel cur res amissa non inveniatur ab alio, qui dominum diligenter inquisisset.

110. — *Quæritur* 2° ad quem pertineant bona nuper amissa, si, facta sufficienti inquisitione, dominus inveniri non possit?

Resp. Silet circa hanc quæstionem Jus civile. Quoad jus naturale, controvertitur. Alii putant res inventas erogandas esse pauperibus, vel in pios usos expendendas. Hæc sententia communior est, præsertim apud veteres Theologos, atque adstruitur auctoritate et ratione.

1° *Auctoritate* quidem. Namque illam sententiam tenent tum S. Thomas, fere omnes Theologi usque ad Soto, ipso fatente, et, post illum, longe major pars Theologorum ; tum Catech. Rom., Conc. Mediolan. IV sub S. Carolo, decreta plurium Episcoporum ; tum communiter fideles, qui illa bona tanquam pauperibus debita et persuasione et praxi habent.

2° *Ratione*. Ille qui rem amisit, servat ejus dominium, et proinde ex ejus voluntate præsumpta determinari debet jus aut obligatio inventoris : atqui hæc voluntas domini præsumitur esse ut res inventa impendatur in usus pios; ergo, etc.

Major constat. Etenim, ex una parte, qui rem amisit, vult servare dominium in rem illam, sive quia spes remanet eam recuperandi, sive quia, ratione illius voluntatis, qui rem inveniet, tenebitur eam impendere juxta domini præsumptam voluntatem; ex altera parte, illa voluntas domini in rem amissam juri proprietatis consonat, nec alterius jura lædit, et ideo vere efficax est, eo sensu quod vere retinet præfatæ rei dominium. Et revera comparente domino, omnibus conscientia dictat rem ipsi esse reddendam : quod signum est amissum non fuisse dominium; ergo, qui rem amisit, nihilominus servat ejus dominium.

Minor quoque certa videtur, scilicet, voluntas præsumpta ejus qui rem amisit, est, ut res inventa impendatur in usus pios. Namque voluntas saltem præsumpta omnium vere sensatorum est ut res sua amissa adhibeatur modo sibi et bono publico utiliori : atqui talis est impensio rei amissæ in usus pios, ut per se patet; ergo, etc.

Alii vero tenent inventorem, post inquisitiones sufficientes, acquirere dominium rei, saltem *conditionatum*, id est, cum obligatione restituendi, si forte postea compareat dominus, et res exstet in se, vel in æquivalenti.

Namque non desunt Theologi qui stant pro ista opinione; aliunde Theologi prioris sententiæ nituntur præcipue intentione præsumpta eorum qui res amiserunt : porro nostris temporibus paucissimi sunt qui rem inventam pauperibus erogent; et ideo persuasio et praxis plerorumque, etiam illorum qui rem amiserunt, favet inventoris dominio. Hoc modo servatur æquitas, siquidem periculum amittendi compensatur per spem inveniendi.

Tandem, qui rem amisit, servat quidem metaphysice dominium, eo sensu quod, si detegatur, res ipsi reddenda erit; non vero illud servat practice, seu physice, ita ut illo dominio uti possit; ac proinde qui rem invenit, de ea disponere potest. Huic interpretationi passim favent jurisperiti; n. 199.

111. — *Quæritur* 3° quid in praxi circa præfatam controversiam tenendum sit?

Resp. 1. Si in quadam regione notorie recepta esset doctrina secundæ opinioni consentanea, posset in praxi admitti, quia merito præsumeretur talem esse intentionem ejus qui rem amisit.

2. Res inventæ erogari possunt pauperibus, vel in usus pios; utrumque enim prodesse potest ei qui rem amisit, nec censetur dominus libertatem inventoris intra arctiores limites restringere velle. Attamen.

Satius esset ut res inventa detur alicui communitati, v. g., xenodochio, quod in se suscipiet obligationem rem aut ejus pretium domino reddendi, si compareat : sic enim res ipsius melius geruntur, et illius utilitati magis consulitur.

3. Si ipse pauper sit inventor, absolute potest sibi rem inventam applicare; communiter tamen consuli debet confessarius, ut inventor propriæ deceptionis fugiat periculum.

112. — *Quæritur* 4° quid agendum si, postquam res inventa erogata fuerit pauperibus vel in pios usus expensa sine cautione, *compareat dominus*, jam elapsis tribus annis a die qua rem suam amisit?

Resp. 1. Si res adhuc subsistat in se vel in suo pretio, reddenda est domino, quia dominus est, et hæc distributio censetur facta nisi sub conditione, quod non compareat. dominus, re adhuc integra.

3. Si res sit omnino consumpta, et facta fuerit sufficiens inquisitio domini ante distributionem, qui rem inventam acceperint, non tenentur ad restitutionem, nisi in quantum ditiores facti sunt.

3. Si sufficiens inquisitio domini non fuerit adhibita ab inventore, probabiliter tenetur ipse restituere æquivalens, pro gravitate negigentiæ, quia in culpa est, et propter ejus culpam dominus non debet re sua privari, n. 109.

Dicitur *pro gravitate negligentiæ*, quia cum agatur hic de negotio, in quo inventor nullam habet utilitatem, de culpa levi tantum teneri videtur, n. 268, 3.

NUMERUS III

De Bonis derelictis.

113. — *Quæritur* quænam sint bona *derelicta*, et ad quem pertineant?

Resp. Bona *derelicta*, dicuntur *quæ dominus ea mente abjecit, ut in numero rerum suarum illa esse nolit.*

Dicitur, *quæ dominus ea mente abjecit*, etc., quia duo requiruntur ut res pro derelicta habeatur : 1. ut dominus rem illam amplius suam esse nolit; 2. ut rem revera abjiciat aut deserat.

Bona derelicta, cum sint *res nullius*, jure naturali et gentium fieri deberent primi occupantis; sed ex Jure gallico immobilia saltem ad Rempublicam pertinent, art. 539.

Ex dictis autem patet non haberi pro derelictis res amissas naufragio, aut per inundationem abreptas, quia domini earum dominium non abjecerunt, easque libentissime recuperarent; unde furti rei sunt qui illa sibi subripiunt. Cæterum varia exstant statuta huic materiæ propria, quæ videre est apud Jurisperitos.

NUMERUS IV

De Bonis vacantibus.

114. — *Quæritur* quænam sint bona *vacantia*, et ad quem pertineant?

Resp. Bona *vacantia* dicuntur *quæ dominum non habent*, et inter ea numerantur, 1° bona illius qui decedit sine testamento et sine hæredibus, qui juxta legem ei ab intestato succedant; 2° hæreditates derelictæ.

Apud nos, ex art. Cod. civ. 539, hæc bona ad Statum pertinent; sed ne ipse gravetur ære alieno, et aliunde ad servanda uniuscujusque jura, sequendæ sunt regulæ art. 769 et 770 insertæ, tum de sigillorum appositione et confectione inventarii, tum de possessione obtinenda. Attamen accidere potest ut hujusmodi bona ab ipso Statu repudientur propter onera quibus gravantur, et tunc hæreditati vacanti curator nominatur, juxta præscripta Cod. judic. in art. 993 et 999. Hic autem agere debet consentanee art. 1000 ad 1002. ejusdem Codicis.

Quoad bona extraneorum qui in Gallia decedunt absque hæredibus legitimis in *eodem regno* natis, olim pertinebant ad regem, jure, ut aiebant, albinatus, *par droit d'aubaine;* sed jus illud post varias mutationes definitive sublatum est lege 14 julii 1819.

ARTICULUS II

De Accessione.

115. — Vi et potestate rei nostræ sive mobilis, sive immobilis, acquirimus, 1. omne quod ex ea re nascitur aut provenit: 2. quod ei unitur et consolidatur, sive naturaliter sive artificialiter; et jus illud vocatur *accessio*, art. 546.

§ I

De Accessionis genere quo acquiritur quod ex re nostra nascitur aut provenit.

116. — *Quæritur* quid sint fructus naturales, industriales, civiles, fœtus animalium, quos per accessionem acquirimus, art. 547?

Resp. Fructus *naturales* sunt illi *quos natura producit sine ullo aut fere ullo hominum labore*, ut fœnum, lignum, poma, art. 583.

Fructus *industriales* illi sunt *qui cultura majori indigent*, ut segetes, vinum, legumina.

Fructus *civiles* ii sunt; *qui non ex re ipsa proveniunt*, sed *occasione rei*, ut pensiones ædium locatarum, imo et prædiorum rusticorum quæ conducta sunt, usuræ pecuniarum quando legitime percipi possunt, art. 584.

Per fœtus animalium intelligimus *ea quæ ex animalibus dominio nostro subjectis nata sunt.*

Observandum est tamen fœtum non patris dominium sequi, sed matris, cujus viscerum quasi quædam portio esse videbatur, antequam nasceretur. L. 6, § 2, ff de Rei vind.

Fructus autem quoscunque qui ex re nostra proveniunt, non acquirimus nisi sub onere solvendi expensas, quæ quærendorum, colligendorum, conservandorum eorum gratia factæ sunt, art. 548; quæ etiam ante alia debita solvendæ sunt, art. 2102; nec immerito, nam sine iis impensis fructus non fuissent, et nemo fieri debet locupletior cum detrimendo et injuria alterius, L. 206, ff de div. reg. Jur.

§ II

De Accessionis genere, quo nobis acquiritur quod rei nostræ unitur et consolidatur.

117. — Hoc genus acquisitionis fieri potest vel ope *solius naturæ*, vel ope *solius industriæ*, vel ope naturæ *simul* et industriæ; unde triplex distinguebatur a Jurisconsultis Romanis accessionis species, scilicet, accessio naturalis, industrialis, et mixta.

Altera distinctio nobis proponitur in Codice civili; ibi enim accessionis jus spectatur tum relative *ad res mobiles*, tum relative *ad res immobiles*. Huic distinctioni adhærentes, de jure accessionis duobus numeris disseremus.

NUMERUS PRIMUS

De Jure Accessionis relative ad res mobiles.

118. — Juxta omnes, admodum difficile est generales et certas regulas ponere quoad jus accessionis relative ad res mobiles. Quamobrem in art. 565, ex una parte statuitur jus illud, quando spectat duas res mobiles ad duos dominos pertinentes, principiis æquitatis naturalis omnino esse regendum, et ex altera parte quædam ad exemplum proponuntur regulæ, ut Judex ex illis cognoscere possit quid decernere debeat in casibus particularibus et non prævisis.

Illæ autem regulæ versantur circa tres accessionis industrialis species quæ a Doctoribus agnoscuntur; nempe *adjunctionem, specificationem* et *commixtionem*. De his singulatim agendum est.

I. *De Adjunctione.*

119. — *Quæritur* quid sit adjunctio, et quænam regulæ servandæ circa adjunctionem?

Resp. Adjunctio est *unio duarum rerum ad diversos dominos pertinentium, quarum una est principalis et altera accessoria.*

Circa adjunctionem tenendæ sunt regulæ consignatæ in art. 566-569, Cod. civ.

II. *De Specificatione.*

120. — *Quæritur* quid sit specificatio, et quid statuendum circa specificationem?

Resp. Specificatio est *novæ speciei confectio ex aliena materia.* Circa specificationem servanda sunt quæ statuuntur in art. 570-572, Cod. civ.

III. *De Commixtione.*

121. — *Quæritur* quid sit commixtio, et quænam sint circa illam regulæ servandæ?

Resp. Commixtio est *conjunctio duarum rerum æque principalium, ad diversos dominos pertinentium;* quæ, si solidæ sint res conjunctæ, *commixtionis* nomen retinet; si autem res conjunctæ liquidæ sint vel liquefactæ, *confusio* vocatur.

Circa commixtionem et confusionem, sequentes servandæ sunt regulæ

1. Si res conjunctæ separari possint, ut oves ad plures dominos pertinentes, dominus quo inscio commixtio facta fuit, potest separationem petere et res suas vindicare, quia singula corpora commixta, in sua substantia durant, art. 573.

2. Si tamen difficilis et periculosa sit alio modo quam utriusque voluntate, tunc res conjunctæ fiunt communes utriusque domini, pro rata parte quantitatis, qualitatis et pretii suæ materiæ. Ibidem.

3. Si materia unius ex dominis valde superaret materiam alterius quantitate et pretio, præstantioris materiæ dominus totam rem commixtam vel confusam repetere posset, solvendo alteri ipsius materiam, art. 574.

122. — Præter regulas jam allatas, quæ speciales sunt unicuique ex casibus propositis, quædam sunt communes contentæ in art. 575-577, Cod. civ.

NUMERUS II

De Jure Accessionis relative ad res immobiles.

123. — Sub nomine immobilium veniunt ædificatio, plantatio et statio; 2° alluvio et vis fluminis; 3° alvei mutatio; de quibus singulis agendum est.

I. *De Ædificatione, Plantatione, etc.*

124. — *Quæritur* ad quem pertineant ædificationes, plantationes super aliquod solum factæ?

Resp. 1. Generaliter dominium soli secum trahit quod est *supra* et *infra* positum. *La propriété du sol emporte la propriété du dessus et du dessous*, art. 552. Hinc dominus soli potest quaslibet plantationes *supra* facere, quæcunque semina terræ mandare et ædificia exstruere, salvo tamen jure servitutum, si quæ constitutæ sint. Potest etiam *infra*

quaslibet constructiones facere, fossiones perficere, et ex illis fructus quoslibet percipere, salva tamen legum dispositione, tum circa fodinas de quibus jam egimus, tum circa civium securitatem. Ibid.

2. Omnis ædificatio, plantatio, et alia opera *super* solum vel *infra* posita, spectanda sunt tanquam impensis domini soli confecta; ac proinde ad ipsum pertinentia, nisi contrarium probetur; salvo tamen dominio quod quis per præscriptionem acquirere posset vel potuisset, sive cellæ subterraneæ infra alienum ædificium, sive cujuscunque alterius partis ædium, art. 553.

3. Dominus fundi qui ædificavit vel plantavit, vel alia opera confecit ex aliena materia, hujus pretium solvere tenetur, imo et condemnari potest ad resarciendum damnum, si quod domino materiæ intulerit; iste autem materiam suam vindicare non potest, art. 554.

4. Si ædificationes, plantationes, vel alia opera ab aliquo tertio ex sua materia confecta sint, dominus fundi facultatem habet vel retinendi opera, vel cogendi ædificantem aut plantantem ad ea tollenda; et in hoc posteriori casu, non solum opera tolluntur impensis ædificantis aut plantantis, sed iste damnari potest ad reparationem damni quod dominus fundi passus est. In priori vero, id est, si dominus soli malit intacta servare opera, solvere debet pretium materiæ et mercedes fabrorum, nulla habita ratione majoris utilitatis quam fundus ex dictis operibus accipere poterit, art. 553.

Notandum tamen quod si constructiones vel plantationes factæ sint a tertio evicto, *par un tiers évincé*, qui propter bonam fidem non condemnatus fuisset ad restitutionem fructum, tunc dominus soli non potest exigere ut opera tollantur, sed pro libito valet vel solvere pretium materiæ et mercedes fabrorum, vel tantum refundere quanto res pretiosior facta est.

II. *De Alluvione.*

125. — *Alluvio* est *incrementum latens quod flumen ita paulatim agro nostro adjicit, ut intelligi non possit quantum quoquo temporis momento adjiciatur.* Art. 556. Hæc acquiritur iis qui præ-

dia possident prope ripam fluminis sive navigabilis, sive non, relicto tamen itinere ad navigiorum tractum, juxta legum præscripta, si flumen sit navigabile. Idem dicendum de fluvio gallice dicto *rivière flottable*, et aliis, art. 556.

Quod si vis fluminis partem aliquam notabilem ex prædio vicino detraxerit et nostro prædio attulerit, palam est ejus permanere cujus erat ante detractionem; ideoque potest eam vindicare intra annum, imo post annum elapsum, nisi possessionem ejus nacti fuerimus. Sed si dominus eam intra annum non vindicaverit, possumus eam occupare et dominum eam jam occupatam vindicantem repellere, art. 559.

III. — *De Alvei mutatione.*

126. — Si naturali alveo in universum derelicto, flumen ad aliam partem fluere cœperit, sive sit navigabile aut vulgo dictum *flottable*, sive non, alveus derelictus titulo indemnitatis fit eorum, quorum agri a flumine occupati sunt, pro modo latitudinis et longitudinis cujusque agri a flumine occupati, art. 563 Cod. civ.

ARTICULUS III

De Præscriptione.

127. — *Quæritur* quid sit præscriptio, et quotuplex ejus effectus?

Resp. Præscriptio est *modus acquirendi dominium, vel se liberandi ab aliqua obligatione, per certum temporis lapsum, sub conditionibus a lege præfixis*, art. 2219.

Unde duplex est præscriptionis effectus : unus est *acquisitio* dominii; sic v. g., aliquis possidet agrum per tempus a lege præfixum : ipsi proprietas acquiritur vi solius possessionis, etiamsi nullum titulum validum habeat, modo quædam adimpleantur conditiones. Alter est *liberatio* seu exemptio a quadam servitute obligatione; sic, v. g., aliquis non exercuit, per tempus lege definitum, jus itineris aut stillicidii quod habebat in agrum meum; adversus eum præscribo, et me redimo a jure quod habebat. Prior præscribendi modus dicitur gallice *prescrire un droit* et posterior nuncupatur *prescrire contre un droit*.

Circa præscriptionem duo præcipue sunt inquirenda, 1° an vere per præscriptionem acquiratur in foro conscientiæ dominium rei alienæ; 2° quænam requirantur conditiones ut legitima sit præscriptio.

§ I

De valore Præscriptionis in foro conscientiæ ad acquirendum dominium rei alienæ.

128. - Præscriptionem vim habere in foro conscientiæ negaverunt nonnulli veteres Scholastici; postea tamen, inquit Card. Gerdil, unanimi consensu affirmarunt Theologi, quamvis ex parte bonæ fidei aliquid exigant ultra id quod ex lege seu in foro civili requiritur.

PROPOSITIO

129. — *Præscriptio, debitis vestita conditionibus, vim habet in conscientia ad transferendum rei dominium.* Certum est.

Prob. 1° *Ex Jure civili.* Ut præscriptio revera vim habeat in conscientia, duo requiruntur et sufficiunt : nempe ut Princeps potuerit, et voluerit vim illam ipsi conferre : atqui revera Princeps potuit et voluit; ergo, etc.

I. *Potuit* quidem; nam Princeps, vi dominii alti quod habet in bona subditorum, potest illud operari, quod nullius jura lædit, nec proinde æquitati repugnat; et quod aliunde bono publico valde favet, imo est moraliter necessarium : atqui talis est præscriptio qualis in propositione intelligitur, id est, quatenus in ipsa conscientia vim habet. 1. *Nullius jura lædit.* Ut enim judicetur de præscriptionis æquitate, consideranda non est tantum in casu particulari, verum generaliter et ante omnem eventum. Porro sic considerata, nullius jura lædere perspicitur; tunc enim unusquisque pariter habet timorem amittendi, et spem lucrandi. 2. *Bonum publicum promovet.* Etenim præscriptione præcaventur lites innumeræ, conservantur plerumque veri domini jura, et excitatur uniuscujusque in res suas vigilantia; hæc porro omnia multum sane ad bonum publicunt conferunt. Hinc mirum non est quod dixerit Cassiodorus : « Tricennalis humano generi patrona præscriptio. » Ergo revera potuit legislator vim præscriptioni tribuere in foro conscientiæ.

II. *Voluit* legislator per præscriptionem, non tantum denegare actionem in foro externo, sed etiam vere domi-

nium transferre in conscientia : quod deducitur *ex verbis* quæ adhibet : *dominium acquiri, transferri;* verba sunt omnino generalia : porro ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Ex ejus motivis. Ultimato reducuntur ad pacem et securitatem publicam : porro si præscriptio non valeat in conscientia, locus semper dabitur anxietatibus quoad personas vere pias; sicque vix audebunt expensas facere suis bonis proportionatas, cum de suo jure illa bona metuere possint. Deinde illi contra quos præscriptum fuerit, si persuasum habeant sè jus in conscientia habere ad sua bona, variis forsan utentur mediis ad ea recuperanda, v. g., compensatione occulta, vel aliis ejusmodi, et sic perturbabitur pax publica.

Ex interpretatione communi. Fere omnes Juristæ ita semper senserunt; ita tulit semper consuetudo, teste S. Raymundo : et quamvis tempore illius plures Theologi aliter sentirent, Legislatoris voluntatem, sicuti potestatem propugnarunt duo scholæ principes, S. Thomas et Scotus; et postea Theologi, sive auctoritate Juristarum adducti, sive rationibus, sive consuetudine, paulatim in eam sententiam communiter devenerunt, quam a longo tempore propugnant, ut ab initio diximus. Porro hæc sunt maximi momenti, et etiam hodie invocari possunt, quia legislator hodiernus eadem verba adhibuit, et iisdem motivis ductus fuit, ac priscarum legum conditores. Ergo revera legislator *voluit;* aliunde potuit; ergo, etc.

2° *Ex Jure canonico.* Vis illa tribuenda est præscriptioni, quam agnoscit Jus canonicum, tum quia maxima est ipsius auctoritas; tum quia vix ullibi melius colligi potest quid leges operentur in foro interno : atqui Jus canonicum vim præscriptionis in conscientia agnoscit : quod potest deduci : 1. *ex generalitate verborum* quibus utitur. In Jure enim asseritur præscriptionem *excludere omnem prorsus actionem;* bona præscripta *quiete et sincere teneri :* porro hæc et alia similia respicere debent etiam forum internum, cum sint generalia. 2. *Ex iis quæ statuit circa bonam fidem,* quibus supponitur admitti præscriptionem in conscientia.

Nam statuit *Concilium Lateranense* IV « *ut nulla valeat absque bona fide præscriptio :* » porro, si etiam cum bona fide non valeret in conscientia, ad quid inserviret hæc decisio? Ergo Jus canonicum supponit, etc.

130. — Dixi 1 : *Ad transferendum rei dominium :* sed quæstio moveri potest de fructibus illius rei, perceptis ante completam præscriptionem; an, scilicet, ille qui præscripsit rem immobilem, possit retinere fructus perceptos currente præscriptione, si postea detegat rem fuisse alienam, et sibi acquisitam tantum vi præscriptionis. Illud difficultate non caret, quia, currente præscriptione, nondum erat dominus rei, sed tantum possessor bonæ fidei, cum non fiat dominus nisi post elapsum tempus a lege statutum. Sed quidquid sit de jure naturali, locus esse non potest quæstioni sub jure nostro, ratione habita eorum quæ statuuntur, sive quoad præscriptionem rerum mobilium, sive quoad jura *possessori bonæ fidei concessa;* n. 148, 149, 204.

Dixi 2 : *Debitis vestita conditionibus;* non tantum iis quæ per legem civilem requiruntur, sed illis etiam quæ, licet in foro externo minime requisitæ, in foro tamen conscientiæ necessariæ ostenduntur, et quarum ope corrigi potest quod alioquin in præscriptione ab æquitate alienum aliquando occurreret.

131. — *Quæritur* quotuplex sit præscriptionis origo?

Resp. Præscriptio in se fundatur in jure naturali, et, quoad conditiones, præsertim in jure civili.

Et quidem 1. in se seu quoad existentiam, fundatur in jure *naturali,* eo sensu quod, posita bonorum divisione, quædam debuit existere præscriptio. Nam sine illa nimis incertæ remanerent proprietates : sæpe enim tituli amittuntur, et si longissima possessio non sufficeret, nihil amplius foret in humanis societatibus securum. Præscriptio igitur, saltem immemorialis, vim suam habet ex ipso jure naturali. Hinc præscriptio ubique viguit, excepto populo Judaico, apud quem non erat recepta propter peculiarem

hujusce reipublicæ constitutionem; et etiamnum ubique viget.

2. Quoad modum seu conditiones, præscriptio fundatur præcipue in jure *civili*. Etenim cum jus naturale varias præscriptionis conditiones in specie non determinet, nec præsertim tempus quod sufficere potest ad præscribendum, illa determinatio pertinet ad leges civiles : porro hinc concludi potest solas leges civiles vim, saltem completam, si ita loqui fas est, dare posse præscriptionibus quæ apud varios populos vigent; seclusa enim legis civilis dispositione, quomodo agnoscetur an adsint omnia requisita quoad titulum, possessionem, tempus, etc.?

§ II

De conditionibus requisitis ad legitimam Præscriptionem.

Aliæ requiruntur conditiones ad præscribendum dominium rei alienæ, aliæ ad prescribendam liberationem a propria obligatione.

NUMERUS PRIMUS

De Conditionibus requisitis ad Præscriptionem Dominii rei alienæ.

132. — *Quæritur* quotnam sint conditiones requisitæ ad præscriptionem dominii rei alienæ?

Resp. Quatuor sunt, nempe *possessio, bona fides, titulus coloratus*, et *tempus* lege definitum. Quæ conditiones his versiculis exprimuntur :

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque :
Si res apta, fides bona, sit titulus quoque justus;
Possideas juste, completo tempore legis.

PUNCTUM PRIMUM

De Possessione.

133. — *Quæritur* 1° quid sit possessio, de qua agitur, an sit necessaria, et quænam esse debeat?

Resp. 1. Possessio in genere est *detentio rei corporalis, vel juris exercitium*, sive per nosmetipsos, sive per alios qui pro nobis et nostro nomine rem illam detinent, aut jus illud exercent, art. 2228.

2. *Possessio necessaria est ad prescriptionem,* ex reg. 3ª Juris in Sexto : *Sine possessione, præscriptio non procedit;* et ex tit. Cod. civ., *de Præscrip.*, 2229.

3. Omnis autem possessio non sufficit, sed ad legitimam præscriptionem requiritur possessio dominativa, continua, quieta, publica et non ambigua, art. 2229. Unde

134. — *Quæritur* 2° quid sit possessio *dominativa,* et an requiratur ad præscriptionem?

Resp. Dominativa possessio illa est, quæ fit animo domini, ita ut quis rem suo nomine tanquam *suam* occupet.

Porro hujusmodi possessionem omnino requiri ad præscriptionem per se patet. Namque in præscriptione per possessionem agitur de acquirendo dominio ; ac proinde possessio inniti debet idea dominii, alioquin ex axiomate juris : *Tantum præscriptum, quantum possessum;* nunquam præscriberetur dominium.

Hinc præscribere non possunt quicunque rem alienam non suo, sed alterius nomine possident, v. g., colonus, depositarius, usufructarius, etc., quia possident tantum naturaliter, non animo dómini, art. 2236, neque hæredes eorum, art. 2237; qui enim ex persona auctoris utitur, uti debet cum sua causa suisque vitiis.

Sed præscriptio competit iis qui a colono, vel depositario, vel quocunque alio precario possidente, rem acceperunt ex titulo particulari, habili ad transferendum dominium, sive oneroso, sive gratuito, v. g., ex emptione, vel donatione, vel legato, art. 2239.

Imo colonus, depositarius, et quicunque alii precario rem detinent, eam præscribere possunt, cum titulus possessionis eorum interversus est, vel ex causa a tertia persona procedente, vel ex contradictione quam ipsi juri domini opposuerunt, palam recusantes eum agnoscere, art. 2238. Licet enim is qui incipit possidere nomine alterius, censeatur possidere semper eodem titulo, nisi aliud probetur, art, 2231, et nemo possit contra suum titulum præscribere in eo sensu quod nemo possit sibi mutare causam et originem possessionis, art. 2240 ; hæc principia

tamen non obstant quominus quis, dimissa priori possessione, ejusdem rei denuo ex alia causa possessionem nanciscatur, aut per contradictionem juri proprietarii oppositam, præscribendi facultatem obtineat.

135. — *Quæritur* 3° quid sit possessio *continua*, an requiratur ad præscriptionem, quotuplici modo interrumpi possit?

Resp. 1. Continua possessio ea est quæ non sistit in uno facto, sed *per seriem factorum* adstruitur.

2. Porro, deficiente hujusmodi serie factorum, eo ipso deficit sive possessio cum animo domini per tempus requisitum, sive bona fides in foro conscientiæ; et ideo omnino impossibilis est præscriptio. Unde effectus interruptionis est ut *tempus elapsum ante interruptionem pro nihilo habeatur*, ac denuo incipere debeat præscriptio.

3. Duplici modo interrumpi potest vel naturaliter, vel civiliter. art. 2242.

Naturaliter interrumpitur præscriptio, 1. cum quis desiit possidere, per annum et diem, sive ex facto prioris domini, sive ex facto alterius, art. 2243, etiamsi de possessione vi dejectus sit, vel ei res erepta fuerit; 2. cum jus proprietarii a possessore agnitum est, art. 1248.

Civiliter præscriptio interrumpitur per interpellationem judiciariam, etiam coram judice non competente, art. 2246, et per alis modos in art. 2244 et 2245 enumeratos : sed observandum est quod si interpellatio non sit juridica, vel si petitionem suam auctor deserat aut perimi patiatur, vel si petitio rejiciatur, interruptio pro nihilo habetur; ac proinde currit præscriptio perinde ac si interrupta non fuisset, art. 2247.

136. — Aliquando autem non interrumpitur, sed *suspenditur* præscriptio, ita ut *tempus præcedens* suspensionem *cum subsequente jungatur :* et in hoc suspensio differt ab interruptione, ex qua tempus antecedens pro nihilo habetur.

Porro suspenditur seu non currit præscriptio 1. adversus minores,

et eos quibus bonis interdictum est, salva exceptione in art. 2278 consignata, et exceptis aliis casibus lege definitis, art. 2252; — 2. inter conjuges, 2253; — 3. adversus uxorem constante matrimonio, quoad alienationem fundi in dotem constituti sub regimine dotali, art. 1561, neque quoad actiones quas uxor exercere non potest, nisi postquam electionem fecerit de acceptanda vel repudianda communitate, vel quoties maritus qui vendidit propria bona uxoris suæ absque ejus consensu, quidquid incommodi est præstare tenetur, et in cunctis aliis casibus, in quibus uxoris actio in maritum redundaret, art. 2255 et 2266; — 4. contra hæredem beneficiarium quoad propria credita, quæ habet adversus hæreditatem, art. 2258; — 5. adversus creditum conditionale donec conditio evenerit, nec adversus actionem gallice dictam *en garantie*, donec resevicta fuerit, neque quoad creditum in diem certum, donec dies venerit, art. 2257.

137. — *Quæritur* 4° quid sit possessio *quieta, publica, non ambigua,* et an requiratur ad præscriptionem?

Resp. 1. *Quieta* possessio ea est quæ vi non contigit; *publica* talis est naturæ, ut potuerit ab eo cognosci, contra quem præscribitur; *non ambigua*, quando dubium non est an fuerit animo domini, an vero titulo precario.

Jam vero ad præscriptionem requiritur possessio *quieta,* quia vis non potest esse fundamentum possessionis, quæ præscriptionem operetur, art. 2233; sed postquam vis cessaverit, possessio utilis incipere potest.

2. Sed etiam *publica* seu non clandestina. Namque unum ex motivis legis fuit punire negligentiam domini, qui tempore opportuno non reclamavit; alterum autem, quod præsumi potest dominum voluisse juri suo renuntiare : porro illæ rationes locum non habent, quando dominus possessionem alterius non potuit cognoscere; ergo possessio debet esse publica.

3. Tandem *non ambigua* circa animum domini; alioquin possessio non esset certe dominativa, nec proinde vere præscriptiva. Si tamen dubium exurgat circa naturam possessionis, in foro conscientiæ agendum est ut mox dicemus, ubi de *bona fide* ad præscriptionem necessaria : in foro autem externo, juxta quasdam præsumptiones in articulis 2230-2254 consignatas,

PUNCTUM II

De Bona Fide.

138. — *Quæritur* quotuplex sit bona fides?

Resp. Duplex est, alia *juridica* seu in sensu legis, alia *theologica.*

Bona fides juridica adest, quando possessor rem *possidet tanquam proprietarius vi tituli translativi proprietatis, cujus vitia ignorat,* ex art. 550; cessat illa bona fides statim ac ei nota sunt hæc vitia. Hinc bonam fidem *juridicam* non habet, 1. qui novit eum a quo rem accipit, non esse illius dominum, vel laborare incapacitate legali; nec 2. qui vitia quidem tituli ignorat, sed ex errore *juris*, v. g., quia ignorat minorem non esse capacem alienandi; testamentum debere totum propria manu scribi; nec 3. qui succedit, titulo universali, possessori malæ fidei. In istis casibus possessor semper præsumitur non ignorare legem quæ actum invalidat, n. 143, et ideo coram judice reputatur malæ fidei; etsi vere et sincere credat rem, quam possidet, esse suam, ita ut sit bonæ fidei coram Deo, sicque habeat bonam fidem theologicam.

Bona fides theologica est *sincera persuasio qua quis prudenter judicat rem quam possidet, esse suam, vel saltem juste ab eo possideri, etsi forte sua non sit.* Unde hæc bona fides stare potest cum titulo vitioso, aut cum possessione contra aliquam legem quæ ignoratur. Proinde existere potest bona fides theologica absque bona fide juridica; et similiter bona fides juridica sine theologica, v. g., in eo qui detegit vitia tituli quæ ignorabat initio possessionis, dum bona fides theologica requiritur per totum prescriptionis decursum, ex statim dicendis.

139. — I. *In foro externo,* locus *est præscriptioni decem* aut *viginti annorum, si possessor fuerit bonæ fidei initio possessionis.* Sic statuit art. Cod. 2269. Insuper *bona fides semper præsumitur in possessore,* nisi ab adversario probetur eum fuisse malæ fidei, art. 2268.

Imo si agatur de *præscriptione 30 annorum,* is qui præs-

criptionem opponit repelli non potest exceptione malæ fidei, *etiam ab initio possessionis suæ*, art. 2262.

140. — II. *In foro conscientiæ, ad legitimam præscriptionem, præter bonam fidem juridicam*, requiritur theologica, *non solum initio possessionis, sed toto tempore ad præscribendum requisito.*

Constat 1° *Traditione*, scilicet, tum regula juris in 6° secunda : *Possessore malæ fidei ullo tempore non præscribit*, tum Conc. Later IV, quod sic habet : « Quoniam, inquit, omne *quod non est ex fide, peccatum* est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis; cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet ut qui præscribit, in *nulla temporis parte* rei habeat conscientiam alienæ. »

Porro, ex una parte, in illis textibus clare exigitur bona fides tum initio, tum in toto decursu possessionis; et ex alia vero, Ecclesia hic pronuntiat in materia sibi subjecta, cum constituta sit uti supremus interpres juris naturalis et divini; ergo bona fides theologica requiritur toto tempore ad præscribendum requisito. Huic doctrinæ suffragantur omnes Theologi et Canonistæ.

2° *Ratione*. Illa conditio ut necessaria habenda est, quæ æquitate et justitia exigitur : atqui talis est bona fides. Nemini enim fraus et mala fides patrocinari debent; alioquin incitarentur fures, sicque bonum publicum, nedum promoveretur præscriptione, magnum e contra damnum pateretur.

Hinc leges civiles, quatenus non inquirunt circa bonam fidem, vel noluerunt attingere forum internum, vel si voluerunt, vi carent, utpote oppositæ juri naturali et divino : sed satius est dicere legislatorem non intendisse sub hoc respectu forum conscientiæ, sed existimasse nimis difficile obtinendum fore finem præscriptionis, si admitteretur in *foro externo* hujusmodi investigatio.

141. — *Quæritur* 1° an ad vim prescriptionis in conscientia sufficere possit bona fides *theologica?*

Resp. Disting. Non sufficit in præscriptionibus in quibus lex exigit bonam fidem : cum enim vis præscriptionis oriatur a lege, necessario servandæ sunt conditione lege præscriptæ, ac proinde exigenda bona fides juridica. In præscriptionibus vero in quibus lex non exigit bonam fidem, sufficit bona fides theologica : ea enim posita et legi et conscientiæ satisfit, ut patet.

Ex hac distinctione, quam non satis attenderunt plures Theologi, ait Carrière, educuntur consectaria magni momenti. Scilicet, hujus ope determinatur an valere possit præscriptio cum ignorantia juris, cum mala fide auctoris, cum titulo precario, etc. : uno verbo, in variis casibus in quibus adest bona fides theologica, non vero juridica. Itaque,

142. — *Quæritur* 2° an præscribat qui malam habet fidem, sed solum ex ignorantia, v. g., quia falso credit non licere sibi rem possidere tanquam proprietario, cum tamen ipsi hoc licitum esset?

Resp. Negative, tum quia lex decernit præscriptionem non procedere in hoc casu; tum quia possessor non est in bona fide quæ requiritur ad prescriptionem; non enim possidet *animo domini*.

143. — *Quæritur* 3° an et quis error impediat præscriptionem?

Nota. Certum est præscriptionem omnem fundari in aliquo errore; fundatur enim in fide, qua per errorem existimamus id esse nostrum, quod nostrum non est. Duplex autem est error : alter *juris*, cum ignoratur ipsa lex, ut si quis nesciat requiri auctoritatem tutoris, ut aliquid valide ex pupillo accipiatur; alter *facti*, cum lex quidem cognoscitur, sed ignoratur hoc factum legi esse contrarium, ut si scias illicitum esse emere a fure, sed nescias eum a quo emis, esse furem : his præmissis,

Resp. 1. Error vincibilis *juris* aut *facti* impedit præscriptionem. Ratio est quia reipsa bonam fidem impedit; nemo

enim censetur bona fide ignorare id quod scivisset de facto, si sufficientem diligentiam adhibuisset.

2. Error inculpatus *facti* præscriptionem non impedit, sed facit; ut patet ex natura præscriptionis, quæ semper aliquid erroris supponit.

3. Error, etiam invincibilis, *juris clari* impedit præscriptionem ordinariam, seu decem annorum, quia juris ignorantia non prodest acquirere volentibus. Art. 2267.

Dicitur *præscriptionem decem annorum* impediri, quia ignorantia *juris* nullo modo obest præscriptioni 30 annorum, ex dictis n. 139; et sane in foro externo judicaretur ex art. 2262.

De ignorantia autem invincibili *juris dubii* seu *obscuri* controvertitur inter Theologos. Sed juxta multos et quidem verius, etiam in hoc casu præscribetur in foro conscientiæ, quia lex præscriptionis est favorabilis. Attamen sententiæ judicis in tali dubio standum esse omnes fatentur, quia ad eum pertinet dubia hujusmodi solvere.

144. — *Quæritur* 4° an dubium legitimum impediat præscriptionem?

Resp. Vel dubium præcedit possessionem, vel possessioni bona fide inchoatæ supervenit. Si 1um, fatentur omnes bonam fidem ea dubitatione impediri, nec proinde cum ipsa præscriptionem inchoari posse. Nisi tamen succedat possessor auctori bonæ fidei; tunc enim eadem censetur possessio, et dubium ut superveniens, non autem ut præcedens habetur.

Si 2um, alii censent, si diligenti inquisitioni dubium excuti nequeat, eo ipso cessare bonam fidem sub aliquo respectu, et ideo possessorem rem totam non posse retinere sibi, sed teneri vel dividere pro ratione dubii, vel aliquam cum altero compositionem inire. Sed alii volunt tale dubium non obstare bonæ fidei ad continuandam possessionem sufficienti, tum quia hic valet regula Juris : *in pari causa, potior est conditio possidentis;* tum quia possessor ille, post diligenter veritatis inquisitionem, non habet rei alienæ conscientiam, ignoratque se possidere alienam, quod

sufficit ex S. Aug., cap. *si virgo*, causa 34ª, quæst. 1ª, ut bonæ fidei possessor rectissime dicatur, ac proinde prudenter judicet in praxi se posse rem ut suam retinere. Sic Navarrus, Covarruvias, Silvius, Billuart, coll. Andeg., Pontas, S. Ligorius.

Revera tunc etiam res possideretur animo domini, seu nomine proprio, quia allatum principium possessori tribuit jus proprietatis, licet resolubile, si alter ante præscriptionem jus suum probet; unde possessio non est tantum precaria.

Attamen qui dubitat post inchoatam bona fide possessionem, peccat et non præscribit, nisi debitam diligentiam adhibeat ad tollendam dubitationem; quia tunc non est in bona fide, sed in mala.

PUNCTUM III

De titulo ad Præscriptionem requisito.

145. — *Quæritur* 1° quid et quotuplex sit titulus?

Resp. 1. Titulus est *causa propter quam aliquid possidemus*, v. g., occupatio, accessio, donatio, successio, emptio, etc.

2. Quadruplex distinguitur titulus : verus, putativus, invalidus et vitiosus. Titulus *verus* ille est qui habet omnes conditiones requisitas ad dominium transferendum. Titulus *putativus*, seu *existimatus*, ille est qui adesse creditur, licet revera non adsit, v. g., si credam me emisse quod non emi. Titulus *invalidus* simpliciter, ille est qui ex natura sua ad dominium transferendum aptus est, sed qui, ob aliquem defectum, vim suam non obtinet, v. g., venditio ab eo facta qui non erat rei proprietarius : unde dicitur etiam titulus *coloratus*. Titulus *vitiosus* ille est qui ex natura sua aptus non est ad dominium transferendum, licet totam vim suam obtineret, v. g., titulus quo res non acquiritur nisi precarie, ut locatio, commodatum, etc. Hinc titulus vitiosus valde differt ad invalido, ut patet.

146. — *Quæritur* 2° an et qualis requiratur titulus ad præscriptionem?

Resp. 1. *Ad præscriptionem decem vel viginti annorum*,

requiritur titulus, art. 2265. Porro non intelligitur titulus verus, id est, titulus a vero domino procedens; is enim si adesset, opus non esset præscriptione; sufficit titulus *coloratus*, seu apparens, qualis est donatio aut venditio ab eo qui putabatur esse dominus, quamvis reipsa dominus non esset; sed debet esse juridictus, id est, juxta solemnitates præscriptas ad ejus validitatem; nam titulus non rite confectus, non prodest ad hujusmodi præscriptionem, art. 2267. Ilic autem titulus non præsumitur, sed probari debet quoties agitur de præscriptione decem aut viginti annorum.

2. *Non requiritur titulus ad præscriptionem* 30 *annorum;* possessio enim tam longa locum habet tituli, et merito, quia verus titulus innumeris modis per tempus adeo longum perire potuit.

3. *Si exhibeatur titulus ex quo appareat possessionem fuisse ab initio vitiosam*, v. g., eum qui prescriptionem opponit, vel *precario* possedisse, vel *alieno nomine*, *tunc is censetur semper eodem titulo possedisse*, art. 2231; ac proinde præscriptioni locus non est, nisi probetur causam possessionis legitime *interversam* fuisse, et 30 annos effluxisse ab hac interversione : unde hæc sententia tam communis in foro : *melius est non habere titulum, quam habere vitiosum.*

PUNCTUM IV

De Tempore lege constituto.

147. — Inter res quæ prescribi possunt, aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles n. 20. Itaque seorsim dicendum est de tempore requisito in præscriptione *mobilium* et in præscriptione *immobilium*.

148. — I. *Quoad res mobiles*, ex art. 2279, *possessio pro titulo habetur, ac proinde nullum tempus ad præscribendum requiritur*, nisi agatur *de re nuper amissa* vel *furtiva*, quam vindicare potest dominus, ut jam diximus, intra triennum a die amissionis vel furti.

Ilinc sequitur quoad mobilia, in foro civili non esse locum præscriptioni proprie dictæ, cum nulla requiritur tem-

poris mora, quæ tamen in idea præscriptionis includitur; sed hanc suppleri per dispositionem art. 2279.

149. — *Quæritur* utrum possessor de quo agitur in art. 2279, fiat proprietarius etiam in foro conscientiæ?

Quæstio est utrum, in foro conscientiæ, *tertius* detentor *bonæ fidei*, possit dominum a vindicatione rei mobilis repellere, ex *solo facto possessionis, conditionibus expositis vestitæ*, si agatur de re nec furtiva aut amissa; et, si agatur de re furtiva aut amissa, posito insuper quod triennium effluxerit a die quo amissa aut furto sublata fuerit.

Duplex est opinio : prima *absolute* pronuntiat valere statim in conscientia possessionem, exceptis duobus præfatis casibus; secunda triennium exigit *in omni casu*. Prima opinio jam apud Theologos communior evasisse videtur. Unde

Resp. — *Possessor de quo agitur* art. 2279, probabilius *fit proprietarius in foro conscientiæ, saltem si rem obtinuerit titulo oneroso.*

Nam ad hoc sufficit ut legislator *potuerit* ac *voluerit* jus possessoris confirmare : atqui utrumque satis constat. 1. *Potuit.* Illa dispositio vix alium casum respicit, nisi rei quam quis bona fide accepit a commodatorio, depositario, oppigneratore, hærede putativo, minore, uxore legaliter incapaci, vel a fure aut inventore post tres annos. Atqui dispositio sic restricta nihil iniqui præ se fert. Non nimis gravat dominum, qui scit ad quem recurrere debeat, et sibi imputare debet quod elegerit depositarium infidelem : et merito favet ei qui bona fide accepit, et forsan soluto pretio, ab eo qui potuisset aliam rem similem tradere; favet insuper securitati commercii et stabilitati conventionum, quæ tanti intersunt ad bonum publicum; tandem ante eventum omnibus æque prodest.

2. *Voluit.* Etenim hic est sensus obvius articuli 2279, et satis apertum videtur voluisse legislatorem sancire doctrinam eorum e veteribus jurisperitis, qui in mobilibus necessariam non esse præscriptionem sentiebant.

Et revera, si admittantur actio domini contra possesso-

rem, certe debet intra quoddam temporis spatium limitari : atqui nullum per legem determinatur. Non quidem triennium; siquidem articulus non agit de illo spatio nisi quoad rem furtivam aut amissam, nullatenus autem quoad alias. Non etiam decennium: quia art. 2265, in quo assignatur illud tempus, non respicit nisi immobilia, et hujusmodi præscriptio nunquam applicata fuit rebus mobilibus. Superesset ergo tricennium; quod nec ipsi adversarii admittent; quia ridiculum esset ut possessor rei mobilis inquietari posset per tam longum temporis spatium, majus quam quoad immobilia. Et ita fert recentior jurisprudentia.

Dixi : *saltem si rem acquisierit titulo oneroso;* nam opinio quorumdam qui distinguit inter acquisita titulo oneroso et possessa titulo gratuito, satis videtur æquitati conformis, nec habet incommoda secundæ; unde in hoc sensu, juxta nonnullos, restringenda esset vis legis circa præscriptionem mobilium. Et vero, legitimitas præscriptionis tota desumitur, ut jam diximus, ex necessitate vel commodo societatis : porro bonum societatis non videtur exigere præscriptionem instantaneam rerum gratuito traditarum ab illo qui non est dominus; attamen triennalis præscriptio valet, quia tricennalis non potest rationabiliter exigi; et ea quæ sufficit ad rem *furtivam*, sufficere debet ad omnes alias quæ nunquam sunt pejoris conditionis. Donatarius tamen, juxta istos Theologos, gaudet omnibus juribus possessoris bonæ fidei.

150. — II. *Res immobiles inter præsentes decennio, inter absentes vicennio, cum titulo et bona fide, præscribuntur,* art. 2265.

Dicitur *inter præsentes,* et tales hodie intelliguntur, non ii qui degunt sub jurisdictione ejusdem Curiæ, gallice, *Cours d'appel,* sed ii qui degunt sub jurisdictione Curiæ *in cujus territorio situs est fundus de cujus præscriptione agitur;* unde patet qui intelligantur per absentes. Si quis vero diversis temporibus sub jurisdictione et extra jurisdictionem hujus Curiæ domicilium suum habuerit, duplicandi sunt anni quibus commoratus est extra jurisdictionem. Sic,

v. g., si verus proprietarius fundi præscribendi, post transactos quinque annos sub jurisdictione Curiæ in cujus territorio situs est fundus, in aliam domicilium suum transtulerit, quinque anni superstites duplicari debent; art. 2266.

Res immobiles, *Jure civili*, ex art. 2262, sine titulo et sine bona fide, præscribuntur per 30 annorum possessionem, modo possessio illa non fuerit ab initio precaria, vel alieno nomine inchoata, art. 2236 et 2237; imo in illo casu præscribi possunt, si legitime *interversa* fuerit causa possessionis, per possesionem 30 annorum a die interversionis, art. 2238. Interversa autem causa possessionis dicitur, quando *actus veri domini continuè et absque reclamatione per debitum tempus* exercitos fuisse probatur.

Ad præscribendas autem res et jura Ecclesiæ, satis est tricennaria præscriptio. Si vero Ecclesia in ineundo contractu læsa fuerit, requiritur præscriptio longissimi temporis seu centenaria. In hunc sensum accipienda est constitut. Urbani VII, *Romanus Pontifex*, hac super re emanata. Denique Ecclesiæ onus incumbit comprobandi læsionem tempore initi contractus acceptam. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 104, 110.

151. — *Quæritur* an, ad complendam præscriptionem, possint *conjungi tempora inter possessorem et auctorem?*

Resp. Affirmative, ex art. 2235. At magnum est discrimen quoad effectus illius conjunctionis inter forum externum et forum conscientiæ; et inter successores universales, quales sunt hæredes et donatarii universales, et eos qui succedunt titulo particulari.

1. Si *ad forum externum attendamus*, possessio quæ prodesse cœperat defuncto, proderit hæredi ad complendam præscriptionem, modo defunctus bona fide *cœperit possidere*, cum sufficiat in foro civili ad præscriptionem perficiendam bona fides *ab initio;* ideoque mala fides hæredis non impediet accessionem sive continuationem possessionis ac temporis. Similiter bona fides hæredis non sustinebit præscriptionem a defuncto mala fide inchoatam; repræsentat

enim defuncti personam et vitium : porro hujus repræsensentationis est effectus, quod omnia commoda et incommoda, virtutes et vitia quæ in defuncto fuerunt, transeant in successorem.

At in foro *conscientiæ* res aliter se habet, quia Jure canonico necesse est ut is, qui præscriptione uti desiderat, sive is auctor fuerit, sive hæres illius, *in nulla temporis parte conscientiam rei alienæ habuerit;* attamen si hæres auctoris malæ fidei ipse bona fide possesserit per triginta annos, præscribet, quia tunc diversa censeri poterit illius possessio.

2. *Si agatur de successore titulo particulari, in utroque foro* constat malam fidem auctoris ei non nocere, in eo sensu quod, si bonam fidem habeat, præscribere possit, non quidem prædecessoris sui possessione computando, sed incipiendo præscriptionem *a propria sua possessione;* sed si malæ fidei fuerit, hæc est differentia inter forum externum et forum conscientiæ, quod in foro externo, successor particularis possit præscribere per possessionem 30 annorum, tum ex sua parte, tum ex parte auctoris sui, dum in foro conscientiæ nullo tempore præscribit.

NUMERUS II

De Conditionibus requisitis ad præscribendam liberationem a quacumque obligatione.

152. — *Quæritur* 1° quotuplex sit, ex Jure civili, præscriptio ad se liberandum?

Resp. Triplex, nempe longi, brevis, et brevissimi temporis.

1° *Præscriptio longi temporis.* Quæcunque actiones, tam reales quam personales, tolluntur per præscriptionem 30 annorum, sine titulo et bona fide, art. 2262. Hæc autem præscriptio suspendi vel interrumpi potest; et quod jam diximus de suspensione vel interruptione præscriptionis ad acquirendum dominium, hic applicari debet, n. 135, 136.

Præterea, si agatur de censu annuo, gallice *rente*, debi-

tor, post elapsos 28 annos a die ultimi tituli, novum cogi potest expensis suis constituere in favorem creditoris, ut census ille præscriptioni non subjaceat, art. 2263.

2° Præscriptio *brevis temporis*, seu quinque annorum ea est quæ respicit summas solvendas *modo periodico*, prout fert art. 2277; scilicet 1. reliquias censuum, sive perpetuorum, sive vitalitiorum; 2. reliquias pensionis alimentariæ; 3. pretia locationum pro domibus et bonis ruralibus; 4. usuras pro summis mutuo acceptis; 5. generatim quæcunque sunt solvenda annuatim, vel alio modo periodico per modum fructuum civilium, non autem summas capitales quæ per partes epochis quibusdam periodicis essent exigibiles.

3° Præscriptio *brevissimi temporis* completur spatio minori, scilicet duorum annorum, unius anni, vel sex mensium. Varii casus enumerantur, art. 2271 et seq. Exstat etiam præscriptio quædam quinque annorum, art. 2273 et 2276 enuntiata, quæ nihilominus ad tertiam istam speciem refertur, quia iisdem est motivis inducta et iisdem etiam regenda est regulis.

153. — *Quæritur* 2° utrum in conscientia valeant præscriptiones liberativæ *longi* et *brevis* temporis?

Resp. 1. *Affirmative*, quoad præscriptiones *longi temporis*, modo adsit *bona fides theologica*. Etenim, ut jam diximus de præscriptione necessaria ad acquirendum dominium rei alienæ, *neque per triginta annos, neque per centum, præscriptioni locus est in favorem debitoris malæ fidei;* ac proinde si creditor certo tempore non exigat debitum, licet postea ei denegetur actio in judicio, non tamen præscribit debitor contra illum, si noverit debitum, sed tenetur illud totum solvere : nam habuit conscientiam debiti, quod sua sponte solvere tenebatur, et sic caruit bona fide ad præscribendum.

Quoad liberationem a censibus et aliis quibuscunque juribus, quibus prædium gravari potest, quotiescunque prædii possessor hujusmodi jura non cognovit per 30 annos, hæc præscriptio valet, etiam in foro conscientiæ. Si vero

possessor jura cognoverit antequam præscriptio adimpleretur, posset quidem præscriptionem opponere quoad forum externum, non autem in foro conscientiæ, nisi forte agatur de servitutibus, vel de iis censibus qui a creditore peti debent, gallice, *rentes quérables*.

2. Quoad præscriptiones *brevis temporis*, seu quinque annorum, probabilius etiam valent in conscientia, si adfuerit bona fides per totum quinquennium. Ratio desumitur ex scopo legis, qui fuit præsertim impedire ne ex multiplicatis hujusmodi reliquiis, debitores ad inopiam redigerentur, et sic dilaberentur familiarum fortunæ : porro finis ille non obtineretur, si onerata remaneret debitoris conscientia; ideo nulla admittitur probatio in gratiam creditoris. Ergo legislator voluit; aliunde potuit; ergo.

154. — *Quæritur* 5° quid sentiendum de præscriptionibus *brevissimi temporis* quæ vetant ne mercatores, mercenarii et multi alii, elapso certo tempore, mercium suarum pretium aut stipendia laborum repetere possint, et specialiter de articulis Cod. civ. 2271 et 2274?

Resp. Intentio legislatoris in hujusmodi legibus et articulis, non est ut qui certi sunt aliorum se esse debitores, non solvant; istud enim injustum foret; sed ut operarii aliive ultra certum tempus *actionem in foro externo non habeant*, quod est æquitati consonum : tum ut unusquisque sollicitus sit de postulando quod sibi debitum est; tum ut ii quibus aliquid mercis vel operæ præstitum est, non subeant periculum semel et iterum solvendi, quia minuta debita, sicut et eorum solutio, facile excidunt e memoria.

Hæc autem intentio legislatoris certe patet per dispositionem art. 2275 Cod. civ., ex quo qui præscriptionem opponunt, tenentur jurare (si id postulaverint ii quibus præscriptio opponitur), vel debitum revera solutum fuisse, si de eorum facto agatur, vel se ignorare rem esse debitam, si agatur de facto eorum quorum loco sunt.

PARS SECUNDA

DE JURIS VIOLATIONE, SEU DE INJURIA

In duplici capite dicemus de injuria in genere, et in specie.

CAPUT PRIMUM

DE INJURIA IN GENERE

158. — *Quæritur* 1° quid et quotuplex sit *injuria?*

Resp. 1. Injuria in genere est *juris alieni violatio.* Aliquando etiam vocatur *injustitia;* sed ista vox melius designat habitum seu vitium virtuti justitiæ oppositum; injuria vero designat ipsummet actum injustum.

2. Injuria, sicut et justitia, est *stricta* vel non *stricta*, prout læditur jus strictum vel non strictum, n. 7. In hoc Tractatu agitur tantum de juris stricti violatione.

Injuria *stricta* est formalis vel *materialis*, prout fit scienter et voluntarie, vel absque cognitione et consensu.

Injuria *materialis* est vel injusta *detentio* rei alienæ, ex qua detentor ditior evadit; vel simplex *damnificatio* seu destructio vel imminutio rei alienæ, sine proprio lædentis emolumento.

Tandem res detenta, vel damnificatio ac proinde injuria est *gravis* vel *levis*, prout ex illa detentione vel damnificatione proximus in suis bonis graviter aut leviter tantum læditur.

159. — *Quæritur* 2° an juris stricti violatio a Deo per *legem naturalem prohibeatur?*

Resp. Affirmative. Etenim, attenta hominis natura, Deus vult hominem vivere in statu sociali, sine quo nec vitam physicam servare, nec facultates intellectuales et morales evolvere possit : atqui status socialis nititur in jure stricto, ut probatum est, n. 38; ergo jus strictum in ipsa natura hominis, ac proinde ejus violatio jure naturali prohibetur.

160. — Hinc 1. læsio juris alieni est peccatum grave *ex genere suo*.

Nam ex dictis in Tract. *de Peccatis*, n. 11, peccatum est grave ex genere suo, quoties gravem difformitatem habere dignoscitur ex Scriptura vel ratione : atqui, ex dictis n. 38, jus strictum adeo fundatur in recta ratione, in ordine sociali, imo et in lege Dei positiva, ut sine hujusmodi jure et status socialis et ipsum genus humanum corruerent; ergo juris stricti læsio est peccatum grave ex genere suo.

Per accidens autem injuria fit levis, quando materia ex natura sua, vel ex hominum æstimatione non est apta ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam, seu ad caritatem mutuam dissolvendam.

Finis enim justitiæ est pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuum consensum et amorem per conservationem æqualitatis jurium servare ac promovere; ergo gravis censetur illa injuria cujus materia ex natura sua vel hominum æstimatione mutuum amorem dissolvere cum pacis communis jactura, seu tristitiam difficile sedandam causare potest.

161. — Hinc 2. *scienti et efficaciter ac valide volenti, non fit injuria.*

Qui enim consentit, cedit e jure suo, ac proinde jus non servat, adeo ut se ridiculum exhiberet, si in tali casu de damno vel injuria conquereretur.

Ut autem tollatur jus et obligatio, tres conditiones requiruntur ex parte consensus, scilicet 1. ut *plene sit liber*, quatenus ex metu injusto, ex errore, vel dolo non procedit, atque læsus vult præcise renuntiare juri suo; 2. ut detur *a persona habili*, et circa rem cujus habet *liberam* dispositionem; 3. ut consensus sit *lædenti notus*, alioquin hic non excusaretur ab injustitia saltem affectiva, cum velit injuriam committere : imo videri potest non excusari etiam ab injustitia effectiva, quia læsus non censetur velle absolute renuntiare juri suo, nisi illa renuntiatio alteri nota sit. Attamen sufficere potest consensus præsumptus, modo sufficientibus rationibus nitatur hæc præsumptio,

atquæ lædens sit dispositus ad damnum reparandum, si comperiat dominum fuisse revera invitum. Ita auctores plerique.

162. — Hinc 3. non fit injuria domino *irrationabiliter invito*, quando ex *justitia stricta* tenetur non esse invitus. Tunc enim jus verum et strictum existit non in domino, sed in altero. Sic, in extrema necessitate, potest quis sine injuria rem alterius occupare, domino etiam invito.

Aliter autem dicendum est si dominus non esset invitus teneatur ex justitia non stricta seu ex caritate; ea est enim juris imperfecti natura, ut invito domino exerceri nequeat, cum illius juris limites sint omnino indeterminati, n. 7. ac proinde semper timendum sit ne plus accipiatur, quam debitum est.

Attamen, quando ad applicationem deveniendum est, non semper stare videntur auctores illi rigori principiorum; forsan quia obligatio caritatis ex parte domini dat locum præsumendi eum de facto consentire, cum non supponatur deesse suæ obligationi, licet admittatur eum non fore irrationabilem in eo quod velit ut alter non accipiat, ipso invito.

163. — *Quæritur* 3° an *intentio* agentis influat in injustitiam actus externi?

Resp. 1. Quando quis ponit opus externum *de se* quidem alteri *nocivum*, sed ad quod agens positive jus habet, non peccat contra justitiam, etiamsi agat ex prava intentione. Patet; alioquin peccaret contra justitiam judex juste damnando ad mortem ex odio.

2. Quando quis ponit opus externum alteri quidem nocivum, sed quod *per se materialiter non lædit* jus ejus, non peccat contra justitiam, etiamsi agat ex intentione nocendi. Patet eadem ratione ; ubi enim non læditur jus alterius, non potest esse injuria. Unde qui recusat succurrere alteri, quando ex justitia succurrere non tenetur, non peccat contra justitiam, quacunquə ducatur intentione.

3. *Si non sit connexio probabilis inter actum externum et nocumentum proximi, et agens ponat tamen actum ex inten-*

tione hujus nocumenti, si forte sequatur, controvertitur an ille agens censeri debeat talis nocumenti causa. Sic aliquis venenum aut laqueum ponit in loco quo rarissime transit inimicus, adeo ut non adsit probabile periculum; sed ea intentione, ut, si forte transeat, occidatur; vel etiam, qui emittit sagittam, adhibita diligentia morali ut constet esse feram, sed neglecta diligentia extraordinaria eo præcise fine, ut, si sit inimicus interficiatur.

Alii negant agentem, de quo agitur, esse causam illius nocumenti, quia, ex una parte, actus externus non est ex se injustus, cum mera damni alieni possibilitas in rebus humanis attendi non debeat; ex altera vero, non efficitur injustus ratione intentionis, quæ non influit in efficaciam causæ seu in periculum. Ita Lessius, Vogler, etc.

Alii affirmant, quia illud nocumentum est in se contra justitiam, nec excusatur nisi quatenus involuntarium : porro intentio illud voluntarium reddit, quia hæc intentio facit ut effectus malus sit cum voluntate causam ponente connexus; ergo, etc. Ita Salmantic., de Lugo, Carrière, etc., quibus assentimus.

CAPUT II

DE INJURIA IN SPECIE

164. — Tot sunt injuriarum species, quot species jurium seu bonorum; ac proinde dicendum esset de injuriis circa bona corporis, circa bona famæ et honoris, circa bona fortunæ. De injuriis autem in bonis corporis, honoris et famæ jam actum est in quinto et octavo Decalogi præceptis. Unde hic disserendum superest de injuriis in bonis fortunæ, scilicet, de furto et de causis a furto excusantibus.

ARTICULUS PRIMUS

De Furti natura et gravitate

165. — *Quæritur* 1° quid sit *furtum,* et quænam ejus species distinguantur?

Resp. Furtum in genere *est acceptio rei alienæ, invito rationabiliter domino.*

Dicitur 1 : *acceptio,* quo nomine includitur etiam injusta detentio, et distinguitur furtum ab injusta damnificatione.

Dicitur 2 : *rei alienæ,* sive ipsi locatæ, commodatæ, oppigneratæ : non enim fur est solum qui rem alterius aufert, sed ipse etiam rei dominus, si rem suam ab eo auferat qui jus habet fruendi, vel utendi, vel retinendi.

Dicitur 3 : *invito rationabiliter domino;* quibus innuuntur tum conditio sine qua non esset furtum proprie dictum, tum causæ a furto excusantes.

Triplex distinguitur furti præcipua species, nempe, *furtum simpliciter*, si fiat occulte seu nesciente domino; *rapina*, si fiat aperte cum violentia facta domino; *sacrilegium*, si res ablata sit sacra, vel, juxta plures, si sit in loco sacro.

166. — *Quæritur* 2° an furtum sit peccatum, et quidem ex natura sua grave?

Resp. Affirmative. Etenim furtum specialiter prohibetur septimo Decalogi præcepto, et a Scriptura recensetur inter ea quæ excludunt a regno cœlorum : « *Non furtum facies...* Neque *fures*, neque *rapaces regnum Dei possidebunt.* » I Cor. 6, v. 10.

Revera furtum opponitur tum caritati, qua tenemur proximum in se et in suis tanquam nosmetipsos diligere; tum justitiæ, quæ inclinat ad reddendum, aut relinquendum unicuique quod suum est, tum bono publico, quod per furta et rapinas turbatur; imo per ea dissolvitur pax et societas humana.

167. — *Quæritur* 3° quænam *materia* censeatur *gravis* in furto?

Resp. Ad hoc determinandum, ratio habenda est quantitatis rei ablatæ, quæ quidem quantitas considerari debet in se, in ordine ad damnum quod inde patitur dominus, et ad dispositionem personæ læsæ.

Et quidem 1. *in se*, id est, admittenda est quantitas in se et absolute gravis, quæ ad peccatum mortale sufficiat respectu quorumcunque, etiam ditissimorum; alioquin,

cum homines sint divitiarum cupidissimi, frequentissima fierent furta erga divites, et sic brevi tempore maximum detrimentum afferretur etiam ditissimis et principibus.

Juxta S. Ligorium, communior sententia est decem aut quinque francos existimari materiam absolute gravem. Pecunia autem tunc temporis, utpote rarior, erat etiam pretiosior; et ideo hodie materia *in se* gravis comprehendi videtur inter viginti et triginta francos, ut ait d'Annibale, p. 2, n. 201; et ita hodie sat communiter auctores.

2. *In ordine ad damnum quod inde patitur dominus.* Eo enim gravius est peccatum, quo infertur damnum relative majus. Ad gravem vero materiam relative spectatam, attentis præcipuis Europæ locis et temporum nostrorum adjunctis, requiri videtur circiter valor trium francorum relative ad pauperes, et aliquando minus pro majori gradu necessitatis; circiter quatuor vel quinque franci relative ad operarios qui labore diurno victum sibi comparant; circiter decem franci relative ad homines mediocriter divites; quindecim aut viginti franci relative ad divites ordinarios et ad personas morales.

Attendendum est etiam *ad dispositionem personæ læsæ*. Furtum enim requirit, ut res auferatur invito domino; ergo si dominus sit minus invitus, minus grave erit furtum.

168. — Hinc 1. certum est apud omnes ex parte filiorum erga parentes, et uxoris erga maritum majorem requiri quantitatem ad gravem materiam constituendam, quam ex parte extraneorum. Parentes enim nolunt ita stricte jus suum servare erga filios, nec maritus erga conjugem, quam erga extraneos. Quidam dicunt requiri summam duplo majorem pro iis quam pro extraneis; sed nulla regula generalis assignari potest; hoc enim a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque pendet.

169. — Hinc 2. in furtis famulorum erga dominos, quoad esculenta et poculenta communia, quæ sumunt in usus proprios, major etiam requiritur quantitas quam pro extraneis; quia quoad illa non censentur domini ita inviti

et sæpe, si peterent, ipsis concederent. Juxta multos, per illa furta minuta generatim non devenitur ad mortale, modo illa alimenta non vendantur aut e domo non educantur, aut non sint pretii extraordinarii,

Si autem famuli furentur res sedulo custoditas, pecuniam, vestes. etc., non requiritur quantitas major ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios, Imo hujusmodi furta severius lege civili puniuntur, ob fiduciæ defectum qui in illis intervenit. S. Ligor. *Hom. Apost.*, n, 32, 34.

170. — *Quæritur* 4° an et quandonam in furtis *minutis*, licet in se levibus, adsit peccatum mortale?

Resp. In hujusmodi furtis potest adesse peccatum mortale ratione intentionis, vel complementi summæ notabilis, vel cooperationis.

Et quidem 1. *ratione intentionis*. Scilicet, qui minuta furta committit erga *eamdem* personam, intendens per hæc pervenire ad summam notabilem, in *singulis* furtis peccat *mortaliter*. Voluntas enim fertur ad objectum grave, ac proinde est in se mortalis.

Idem verum est si illa furta fiant *diversis* personis; alioquin, absque gravi peccato, possent homines ditescere ex furtis eo modo factis; et sic grave damnum inferretur societati, et ipsismet privatis, qui mox grave damnum a diversis paterentur.

Attamen licet furta minuta fiant eidem personæ, major quantitas ad gravem materiam requiritur, quam si simul et semel res gravis surriperetur. Damnum enim sic interpolatum non adeo sentit dominus, ideoque minoris illud æstimat, estque minus invitus. Juxta communem sententiam, materia erit gravis, quando dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam.

Si furta minuta fiant diversis personis, major adhuc quantitas ad gravem materiam requiritur, quam si uni; quia singuli domini non tam grave damnum patiuntur, ideoque sunt minus inviti. In hoc casu materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo major quam summa ob fur-

tum grave communiter requisita. Ita S. Ligor. et alii multi.

2. *Ratione complementi summæ notabilis.* Scilicet, ille qui plura levia furta commisit, etiam sine intentione ad notabilem summam perveniendi, peccat mortaliter in ultimo furto quo complet summam notabilem, si illud advertat, et varia furta eidem personæ facta sint. Ita fere omnes, ait de Lugo. Eo ipso enim quod vult complere notabilem summam, vult inferre grave damnum huic personæ.

Idem affirmant multi, si agatur de furtis erga diversos; attamen in hoc casu requiritur ut ea furta inter se moraliter uniantur : quod difficilius accidet, quam ubi fiunt eidem personæ.

Juxta alios, distinguendum est : peccat graviter qui ultimo furto complet summam notabilem, si non habeat verum propositum restituendi summam gravem jam possessam; secus vero, si tale propositum habeat, ita Billuart.

3. *Ratione cooperationis* ad alia furta. Scilicet, si plura minuta furta eidem a diversis personis fiant communi consilio, auxilio, vel concursu, singuli furantes peccant mortaliter; singuli enim consentiunt in totum damnum et ad illud totum moraliter cooperantur. Ita omnes.

Probabilius est autem non adesse peccatum grave, ubi singuli quid leve furantur, *sine communi consilio,* vel *auxilio,* etiamsi furantes advertant damnum notabile inferendum per minuta furta. Ille enim tantum mortaliter peccat, qui vel notabile furtum committit, vel in illud influit : atqui in illo casu neutrum adest.

ARTICULUS II

De causis a Furto excusantibus.

Duplex est hujusmodi causa, nempe necessitas et occulta compensatio.

§ I

De necessitate a Furto excusante.

171. — *Quæritur* 1° quotuplex sit necessitas ratione bonorum fortunæ?

Resp. Triplex est necessitas, nimirum *extrema,* in qua

periclitatur vita, aut gravissimum malum imminet; *gravis* in qua periclitatur sanitas aut status, vel in qua vita valde molesta dicitur; *communis*, quam passim pauperes patiuntur. Cæterum quælibet necessitatis species non ita determinatis circumscribitur limitibus, ut cum altera aliquando confundi non possit; v. g., necessitas aliquando est ita gravis, ut extremæ aliquatenus æquivaleat.

172. — *Quæritur* 2° an *extrema necessitas* a furto excuset?

Resp. Qui versatur in extrema necessitate potest alienum surripere, ut sibi subveniat, nisi tamen dominus sit in eadem necessitate. Etenim res externæ potissimum creatæ sunt in usum hominum et ad servandam vitam; ergo unusquisque a natura jus habet iis utendi ad hunc finem : porro homines, introducendo dominium fixum et permanens, non potuerunt huic juri renuntiare; ergo ubi agitur de servanda vita, jus primarium reviviscit, et omnia fiunt communia.

Attamen si dominus sit in eadem necessitate, melior est conditio possidentis, ac proinde nemo potest illius bonum usurpare.

173. — Hinc 1. pauperi in extrema necessitate posito, plus auferre non licet, quam sibi necessarium est; ac proinde, si sufficiat solus rei usus, v. g., equi, cessante necessitate, obligatio restituendi manet.

174. — Hinc 2. si ille qui re indigebat, bona alibi haberet, vel spem habendi, non potuit aliena usurpare, nisi sub onere restitutionis, quia non ultra urgebat necessitas.

An vero restituere teneatur, qui absolute erat pauper cum rem alienam sumpsit, sed postea dives evadit, controvertitur. Alii negant, si ille, cum rem alienam consumpsit, nullam habuit spem fore ut aliquando restituere posset; ita S. Ligor., etc. Alii vero affirmant, nisi res adeo exigui esset valoris, ut merito præsumi posset dominum non exigere restitutionem. Facultas enim alienum accipiendi, cum

oriatur ex necessitate, restringenda est ad ipsius necessitatis mensuram; porro, in casu præsenti, necessitati sufficit, ut res concedatur ad usum cum onere restitutionis; ergo, etc.

175. — Hinc 3. licet rem alterius surripere ad subveniendum necessitati etiam *alienæ*. Tunc enim qui rem surripit, veluti gerit vices indigentis, et ostendit se diligere proximum sicut seipsum. Ita S. Th. 2. 2, q. 66, a. 7.

176. — Hinc 4. quæ de extrema necessitate dicuntur, possunt etiam dici de necessitate quasi extrema seu *gravissima*. In hoc enim casu necessitas extrema jam est moraliter præsens.

Et vero necessitas gravissima tunc adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam, aut subeundi pœnam triremium, vel gravissimum aut perpetuum damnum.

177. — Controvertitur autem an, in extrema aut quasi extrema necessitate, liceat rem *gravis momenti* surripere. Alii negant, quia dives non tenetur proximo, etiam in extrema necessitate constituto, sucurrere cum gravi suo dispendio. Alii vero affirmant, quia in casu extremæ necessitatis omnia fiunt communia. Alii tandem distinguunt, scilicet, si agatur de re quæ naturalem habeat aptitudinem ad sublevandam extremam necessitatem, licitum est illam auferre cujuscumque sit valoris, juxta principium : « In extrema necessitate, bona redeunt in statum communitatis primævæ. » Si vero res ad sublevandam necessitatem non habeat aptitudinem nisi ex humanis institutionibus derivatam, v. g., pecunia; non licet sumere grandem valorem, tum quia in eodem casu quin cesset jus domini obstare videtur bonum publicum, quod præsertim attendendum est in hujusmodi quæstionibus.

178. — *Quæritur* 3° an *gravis* necessitas excuset a furto?

Resp. Negative. Constat ex damnatione hujusce propositionis ab Inn. XI : « *Permissum est furari,* non solum in *extrema* necessitate, sed etiam in *gravi.* » Et vero, cum gravis necessitatis frequentes sint casus, et facillimum sit eam fingere, omnia furtis et furibus replerentur, si in tali casu liceret alienum surripere; ac proinde majora exinde sequerentur, quam præcaverentur incommoda: ergo non censentur homines ita voluisse statuere.

A fortiori a furto non excusat necessitas communis, ob rationem jam allatam.

§ II

De occulta Compensatione.

179. — *Quæritur* 1° quid sit *compensatio?*

Resp. Duplex est compensatio, *legalis* scilicet, et *extra legalis :* prior locum habet quando duæ personæ, erga se invicem debitrices, rem alteri debitam reciproce servant; sic, si tibi debeam 100 fr. pro vino, et tu 100 pro pane mihi debeas, utrumque debitum compensatione extinguitur.

Posterior vero est *recuperatio debiti per rei alienæ invasionem.* Dicitur *occulta,* quia plerumque fit clam et inscio debitore : potest tamen aliquando esse manifesta. Locum non habet, nisi quando invaditur aut retinetur res aliena: si enim rem meam adhuc in specie et in individuo apud alium exstantem subripio, non est præcise compensatio, sed recuperatio.

180. — *Quæritur* 2° an occulta compensatio generatim spectata possit esse licita?

Resp. Affirmative, modo adsint conditiones requisitæ. Etenim, positis conditionibus, per compensationem nulla fit debitori injuria, cum, ex hypothesi, nihil nisi certo meum accipio; nec prætermittitur ordo juris, siquidem supponitur judicem adiri non posse, saltem sine graviori incommodo, vel eum nolle aut non posse læsæ parti jus suum tribuere; nec periclitatur societas, cui satis consulitur per cautiones in conditionibus apponendis.

Quatuor autem requiruntur conditiones, ut occulta compensatio fiat licita. Scilicet, necesse est 1. *ut debitum sit certum :* iniquum enim esset pro debito incerto certam solutionem propria auctoritate sumere. Attamen in dubio dari potest compensatio pro rata parte dubii : quod est in praxi plenum periculi.

2. *Ut debitum non possit aliter recuperari,* saltem sine graviori incommodo, alioquin creditor facit injuriam potestati publicæ, et peccat contra ordinem a jure constitutum.

3. *Ut sumatur res in eadem specie,* si fieri potest : secus enim res debitoris sine ejus consensu ac proinde injuste permutaretur.

4. *Ut damnum debitoris præcaveatur,* scilicet, procurando ut debitor non exponatur periculo bis idem solvendi, nec manendi in mala fide et statu peccati, retinendo voluntatem non solvendi.

181. — Hinc non licet famulis, ancillis, operariis, etc., uti occulta compensatione, licet credant operam suam esse majorem stipendio promisso.

Tunc enim agerent contra pactum, atque via innumeris furtis aperiretur. Unde damnata est ab Inn. XI sequens propositio : « Famuli et famulæ domesticæ *possunt occulte* heris suis surripere ad *compensandam operam suam,* quam *majorem* judicant *salario,* quod recipiunt. »

Attamen, si operas augeat ex voluntate domini sive expressa sive tacita, tunc mercenarius dignus mercede sua de jure censetur, et quadam compensatione uti potest.

Idem dicendum est si quis a judice damnatur ad solvendum debitum quod certo non contraxit, vel cui certo jam satisfecit.

182. — Cæterum occultæ compensationes semper sunt *periculosæ.* Nam semper timendum est ne ex iis oriantur scandala, infamia, periculum duplicis solutionis, suspiciones, judicia temeraria, imputando aliis furtum, v. g., famulis, uxori, filiis, etc. Itaque in praxi 1. Pastor aut Con-

fessarius nunquam aut saltem rarissime suadebit occultam compensationem; 2. propter periculum scandali, petenti an sit licita, ordinarie respondebit Theologos communiter affirmare in recensitis circumstantiis, sed periculosissimam esse; 3. si pœnitens propria auctoritate ea usus sit, examinabit an occurrerint supradictæ conditiones, an bona fide id fecerit; et his perpensis, secundum varias circumstantias suam agendi rationem moderabitur.

PARS TERTIA

DE RESTITUTIONE

183. — In prima parte actum est de jure seu de fundamento et objecto justitiæ : in secunda autem, de obligatione jus non violandi; in hac demum tertia parte de obligatione injuriam illatam reparandi, seu de restitutione disserendum superest.

Duplex erit caput, de restitutione in genere, et de restitutione in specie.

CAPUT PRIMUM

DE RESTITUTIONE IN GENERE

In quatuor articulis dicemus 1° de notione et necessitate restitutionis; 2° de ejusdem radicibus: 3° de restitutionis circumstantiis; 4° de causis excusantibus a restitutione.

ARTICULUS PRIMUS

De notione et necessitate Restitutionis.

184. — *Quæritur* quid sit restitutio, et in quonam differat a satisfactione et a solutione?

Resp. Restitutio definiri potest : *Actus justitiæ commutativæ, quo res aliena redditur, vel damnum injuste illatum compensatur.*

Dicitur 1 : *actus justitiæ;* qua voce significatur genus

proximum restitutionis, quod illi commune est cum aliis actibus virtutis justitiæ, et per quod distinguitur ab actibus aliarum virtutum, quibus solvitur proximo quod ipsi debetur, sed non ex motivo justitiæ; v. g,, quando aliquid redditur proximo propter obligationem voti, vel juramenti, vel caritatis, etc.

Dicitur 2 : *actus justitiæ commutativæ,* ut distinguatur ab actibus justitiæ distributivæ et legalis; nam actus isti non debentur proximo ex stricto jure, ut videbimus.

Dicitur 3 : *quo res aliena redditur,* id est, res alterius, seu ad quam alter habet jus.

Dicitur 4 : *quo damnum injuste illatum compensatur,* quia si juste, v. g.. auctoritate publica, vel necessaria defensione damnum inferatur, nulla est restituendi obligatio.

Itaque restitutio differt a *satisfactione*, sive late, sive stricte sumpta. Nam satisfactio *late* sumpta, est quid generalius, et complectitur tum restitutionem, tum etiam quamlibet reparationem, et subitionem pœnæ pro offensa alteri illata : satisfactio vero sumpta *stricte,* est inhonorationis ac contumeliæ illatæ reparatio, et sic spectat personam. At restitutio est rei alienæ redditio, vel damni compensatio, vel debiti solutio, et spectat res, non personas : nec semper supponit injuriam formalem, ut satisfactio. Ea tamen quæ de restitutione dicentur, applicari debent satisfactioni *late sumptæ,* et reparationi famæ, honoris, et aliorum bonorum, cum sit eadem ratio ac regula pro his omnibus.

Restitutio differt etiam a *solutione;* nam solutio non est semper actus justitiæ strictæ, v. g., cum solvimus ea quæ debemus ex voto, juramento, caritate, misericordia; restitutio autem supponit semper aliquam violationem, saltem materialem, justitiæ. Attamen vox illa aliquando, nec omnino incongrue, accipitur pro redditione rei debitæ ex *mutuo,* ex *commodato deposito,* aut alio quocunque contractu *precariam* tantum possessionem conferente,

Circa restitutionem quæritur utrum et quomodo sit necessaria. Sit igitur

PROPOSITIO

185. — *Datur præceptum justitiæ, obligans ex se sub mortali peccato, ad restituendum quidquid debetur proximo.* Certum est.

Prob. 1° *ex Script.* Tob. 2. v. 21 : *Videte ne* (hœdus) *forte furtivus sit : reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* — Item Ezech. 33, v. 14, 15 : *Impius si egerit pœnitentiam... rapinamque reddiderit... vita vivet.* Item Luc. 19. v. 8, Zachæus satis ostendit restituendi necessitatem, dum Christum Dominum sic alloquitur : *Domine, si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Jacobus 5, v. 4 : *Ecce merces operariorum quæ fraudata est a vobis clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

2° *Traditione.* « Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur : si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum. » S. August. Epist. 153. Quæ ultima verba in Jure canonico recepta sunt inter regulas Juris.

Ita omnes Patres et Theologi, et sensus hominum communis.

3° *Ratione.* Etenim, injuria non reparata est injuria continuata; siquidem, qui non restituit, cum possit, rem alienam indebite retinet, ac violat jus strictum, quod habet rei dominus, ut rem illam hic et nunc possideat : atqui ex dictis n. 159, 160, violatio juris stricti ex se prohibetur sub mortali peccato per legem naturalem; ergo datur præceptum justitiæ, obligans ex se sub mortali peccato ad restituendum quidquid debetur proximo. S. Th. 2. 2, q. 62, a. 8.

186. — *Quæritur* 1° utrum præceptum restitutionis sit *affirmativum* vel *negativum?*

Resp. Illud præceptum est quidem *negativum*, quatenus, scilicet, obligat ad rem alienam voluntarie non retinendam, unde ex se semper et pro semper obligat; sed est etiam et

præsertim *affirmativum*, quatenus præcipit ut alteri reddatur quod ipsi stricto jure debitum est. S. Th. *ibid.* ad 1.

187. — Hinc 1. præceptum restitutionis obligat ad *statim* reddendum rem alienam, sive agatur de animi præparatione, qua quisque statim intentionem habere debet quamprimum rei alienæ restituendæ, sive agatur de ipsa exsecutione, quæ ex integro fieri debet statim ac commode fieri potest. Qui vero totum restituere non potest, partem quam potest, tenetur statim restituere.

188. — Hinc 2. qui non restituit, cum potest et debet, peccat toto omissionis tempore; hujusque peccati gravitas eo magis crescit, quo magis restitutio differtur. Imo peccata illius numero multiplicantur, quoties expresse vel tacite renovat propositum non restituendi : expresse quidem, ut si positive statuat alienum detinere; tacite vero, ut cum advertit se alienum detinere, nec tamen restituere proponit.

189. — Hinc 3. pœnitens, qui ad restitutionem tenetur, declarare debet a quo tempore rem alterius detineat; an voluntatem ejusdem retinendæ pluries iteraverit.

190. — *Quæritur* 2° utrum obligatio restituendi oriatur solum ex justitia commutativa?

Resp. Oritur solum ex justitia commutativa; quia, ut jam diximus, obligatio restituendi oritur tantum ex violatione juris *stricti*, *determinati*, *permanentis*, *independentis* a qualitate personæ, et ad *æqualitatem* reparabilis : atqui hæc omnia pertinent solum ad justitiam commutativam; ergo, etc.

191. — Hinc 1. non adest ulla restituendi obligatio ex violatione alterius cujuscunque virtutis, neque fidei, neque spei, neque caritatis, sive in Deum, sive in proximum : similiter nulla oritur obligatio restituendi ex virtute religionis, neque pietatis, nisi adjuncta sit violatio justitiæ

commutativæ, v. g., laicus non tenetur ad restitutionem, quia pauperibus eleemosynam non dedit : item, qui non extinguit incendium ab altero excitatum, nisi ad hoc teneatur, non solum ex caritate et aliis virtutibus, sed etiam ex justitia commutativa, v. g., si teneatur ex officio, ut dicemus.

192. — Hinc 2. non oritur obligatio restituendi ex violatione solius justitiæ *distributivæ*, præcise loquendo, scilicet, quando non servatur justa distributio in bonis quæ directe sunt in Status commodum, et ad quæ privati non habent jus strictum : v. g., quando, prætermissis dignioribus, dantur Officia vel Beneficia dignis. Ratio est quia illa bona *stricto* et *rigoroso* jure nulli debita sunt; ergo, etc.

193. — Dixi : *oriri obligationem restituendi ex violatione solius justitiæ commutativæ, per se loquendo;* quia violando justitiam distributivam, violatur aliquando etiam commutativa, et tunc est obligatio restituendi, ut contingit quando non servata justa distributione, violatur jus strictum vel privatorum, vel ipsius Status. Unde

1. Obligatur ad restitutionem qui ex injusta distributione onerum, v. g., tributorum, *aliquos nimis gravat* : item dux belli qui, accepto *mandato* dividendi spolia *secundum meritum et dignitatem militum*, injustam tamen divisionem facit. Ratio primi exempli est, quia proximus plus gravatur, quam fert obligatio stricta ipsi a Statu imposita. Ratio secundi exempli est, quia singuli milites jus strictum habent ad suam portionem, ex donatione Principis.

2. Obligatur ad restitutionem erga Statum, qui *omnino indignis et incapacibus* confert Beneficia, vel Officia, et similia bona communia; quia qui hujusmodi bona confert indignis censetur causa injusta damni quod illi indigni inferunt, et Status jus strictum habet ne sibi provideatur de indignis rectoribus : unde Prælatus, v. g., qui præfecisset indignum parochum, teneretur in ea parochia propriis sumptibus constituere probum vicarium.

Sed de his iterum infra, quando agemus de prima con-

ditione requisita ut actio vel omissio inducat obligationem reparandi damnum ex ea secutum,

ARTICULUS II

De radicibus Restitutionis.

194. — *Quæritur* quid sit radix restitutionis, et quotuplex?

Resp. Radix restitutionis est *causa propter quam adesse potest obligatio restituendi.* Duplex est, possessio rei alienæ, vel injusta damnificatio.

§ I

De Possessore rei alienæ.

195. — Possessor, de quo agitur, est ille qui rem alienam detinet tanquam suam. Triplex distinguitur, prout rem detinet cum *bona*, vel *mala*, vel *dubia* fide.

NUMERUS PRIMUS

De Possessore bonæ fidei.

196. — Possessor *bonæ fidei* ille est qui *invincibiliter* seu *post adhibitam moralem diligentiam, ignorat rem esse alienam*, vel *prudenter suam esse credit;* vide art. 550. Dicemus de obligationibus et juribus possessionis bonæ fidei 1. ratione rei detentæ, 2. ratione fructuum, 3. ratione impensarum.

PUNCTUM PRIMUM

De obligatione Possessoris bonæ fidei, ratione rei detentæ.

197. — I. Possessor bonæ fidei non *peccat* contra justitiam rem alienam retinendo, minoris vendendo, dissipando quamdiu durat ipsius bona fides; et elapso tempore ad præscriptionem constituto, eam acquirit, vel ejus pretium, si rem vendiderit. Constat ex dictis circa præscriptionem, n. 140, 241.

198. — II. *Possessor bonæ fidei, ubi primum novit rem esse alienam, tenetur statim eam restituere, alioquin fiet possessor malæ fidei.*

Etenim *res aliena* ubicunque sit, *clamat pro domino*, id

est, ipsi obstricta est, et ab eo tanquam sua occupari potest : unde alius sine injustitia eam retinere nequit. Deinde non est æquum aliquem ex alieno et cum alterius damno ditescere : quod tamen fieret, si possessor bonæ fidei non teneretur restituere rem alienam, ubi primum novit eam non esse suam. Itaque, si non reddat ubi primum potest commode, incipit esse possessor malæ fidei, et subinde ut talis ad restitutionem damni erit obligandus, saltem in foro interno.

Præterea, rem alienam, etiamsi *emerit*, gratis restituere tenebitur, statim ac cessaverit bona fides. Nisi tamen eam in foro publico, vel in venditione publica, vel ex mercatore talia vendente emerit; tunc enim restituere non tenetur nisi prius accepta a domino restitutione pretii, cum impensis quas fecit in rei conservatione; ita ex art. 1381, 2280.

Tenetur autem rem *eamdem* si eam adhuc habeat, domino restituere, nec licet pecuniam vel aliud pro illa, sine consensu domini dare; quia res in individuo est domini, nec iste sine injuria potest invitus cogi rem suam vendere aut commutare, cum habeat jus illam possidendi ac retinendi, ut constat ex III Reg., c. 21, ubi de vinea Naboth, et ex Cod. civili, art. 1243.

Si vero rem ipsam amplius non habeat, v. g., quia vendidit, tenetur *ejus pretium* quod habet, domino restituere quale ex venditione percepit, art. 1380. Quod si neque rem, neque pretium habeat, sed res consumpta sit aut dissipata, tunc vel inde rebus suis pepercit, vel non : si prius, tenetur restituere quantum propriis rebus pepercit, quia in eo factus est ditior ex re aliena; si posterius, ad nihil tenetur.

199. — *Quæritur* 1° si res ab uno ad alium, aut etiam ad plures successive transmissa fuerit, ad quid teneantur varii possessores bonæ fidei.

Resp. Distinguendum est : vel locus est evictioni, quia nempe res exstat, et domino competit jus et possibilitas eam evincendi ab ultimo detentore; vel non est locus evictioni, quia nempe res est præscripta, amissa, aut alio quovis modo consumpta, actioque in foro externo denegatur.

Sit locus sit evictioni, tunc ultimus detentor tenetur rem reddere domino, cui proinde cæteri possessores nihil debent. Sed si res fuerit ab uno vel a pluribus transmissa *titulo oneroso*, datur ultimo detentori recursus contra alios : si vero titulo gratuito acceperit, recursum adhuc habet, quatenus exercens jura donatoris, qui ipse rem *emerat*, vel ab alio emptore cum simili jure acceperat.

Si locus non sit evictioni contra ultimum detentorem, tunc hæc statui possunt :

1. *Primus* e possessoribus *qui rem vendidit*, tenetur erga dominium rei de pretio recepto, quatenus ex eo ditior factus est; sed ad nihil tenetur erga alios possessores. Quidam addunt ipsum etiam ad nihil teneri, quando emptor ab evictione immunis factus est propter *præscriptionem*.

2. Possessores *intermedii* ad nihil tenentur erga dominum nec erga se invicem, quia nec damnum intulerunt, nec ditiores facti sunt. Ita communius.

Ultimus detentor. si rem titulo *oneroso* acquisierit, ad nihil tenetur erga dominum; si autem titulo *gratuito*, distinguendum est : vel mediate aut immediate jus suum habet ab aliquo emptore, vel non : si prius, idem est ac si ipse emisset, quia successit in jura sui auctoris; si posterius, quia nempe res semper transmissa fuit titulo gratuito, res reddenda est domino, nisi fuerit legitime præscripta.

200. — *Quæritur* 2° utrum ille qui rem furtivam bona fide emit, et eam furtivam esse detegit *ante elapsum tempus præscriptionis*, possit eam reddere furi ad recuperandum pretium?

Resp. Controvertitur. Alii sentiunt *rem in eo casu posse reddi furi;* quia emptor non tenetur cum pari damno suo avertere domini damnum, quod ex sua actione sequitur tantum per accidens, seu propter pravam furis dispositionem. Aliunde emptor rem reddendo furi eam reponit tantum in statu quo erat antea; ergo dominus non potest conqueri; idem est quoad illum, ac si nihil a possessore peractum fuisset. Ita Lessius, de Lugo, etc.

Alii vero docent *rem restituendam esse domino, nec posse reddi furi.* Ita Dom. Soto, Sylvius, Billuart, Carrière, etc., quibus subscribimus. Nam possessor, rem furi reddendo, *damno proximum inferret*, rem illius dejiciendo e meliori statu in quo nunc reperitur, idque per *actum positivum*, scilicet, non tantum non impediendo ne fur denuo rem subripiat, sed eam ipsi reddendo; et per *actum injustum*, contrarium nempe juri et voluntati præsumptæ domini, qui *si præsto esset*, posset, *ex omnium confesso*, rem suam vindicare; nec amittit jus suum, eo quod sit absens. Aliunde damnum quod emptor patietur, si rem domino restituat, non orietur præcise ex hac restitutione, sed jam ortum est ex facto furis, qui pretium accepit pro re, cujus dominium transferre non potuit. Hinc ipsæ leges civiles hanc redditionem non admitterent; art. 2280 : quotiescunque enim possessori nihil speciali concedunt, supponunt eum debere simpliciter rem reddere domino : porro non debent ampliari favores jam latissimi per legem possessori concessi. Vide n. 264.

Inter hæc, duo satis certa videntur : 1. si quis velit primam opinionem amplecti, non debet eam extendere ad possessorem malæ fidei. Id agnoscunt multi ex illius opinionis patronis. Accipiendo enim rem mala fide, in se suscepit onera possessoris malæ fidei, factus est ipse furti particeps, nec potest postea a sua obligatione se liberare, aliter quam per restitutionem, ut intelligitur ex dicendis in sequenti articulo.

2. Si emptor *bona fide* rem furi reddiderit ad recuperandum pretium, jam ad nihil tenebitur : neque titulo possessionis ut patet; neque titulo damnificationis, cum non fuerit culpabilis, ex hypothesi.

PUNCTUM II

De juribus et obligationibus Possessoris bonæ fidei, ratione fructuum.

Nomine *fructuum* intelligitur utilitas omnis quæ ex aliqua re colligi potest. Fructus autem dividuntur in naturales, industriales et civiles. Vide n. 116.

201. — I. *Possessor bonæ fidei non tenetur fructus mere industriales restituere.* Certum est.

Nemo enim tenetur restituere id quod suum est : atqui fructus mere industriales sunt illius cujus industria prodierunt.

Itaque, qui alterius instrumento usus est ad opus aliquod artificiale peragendum, opus illud sibi retinere potest. Et hoc extenditur etiam ad possessorem malæ fidei : unde si quis ex aliena pecunia, etiam inique parta, lucratus sit ludendo, vel mercaturam exercendo, non tenetur ad restitutionem hujusce lucri.

202. — II. *Possessor bonæ fidei tenetur*, ex jure naturali *restituere fructus naturales, si exstant : si vero non exstant, restituere debet id quo factus est ditior.*

Prob. 1. *pars :* quia res quælibet domino suo fructificat : atqui possessor bonæ fidei non est dominus rei, quæ ex hypothesi est aliena ; ergo res illa non fructificat huic possessori, sed vero rei domino ; ergo fructus ei restitui debent, sive adhuc pendeant, sive jam collecti sint, modo adhuc exstent. Deducendæ tamen sunt expensæ, quæ præmitti solent ut fructus colligantur.

Prob. 2. *pars :* quia nemo juste ditior fieri potest ex alienis bonis ; ergo id quo quis factus est ditior, restituendum est, quia alioquin possideretur res aliena, saltem in *æquivalenti.*

Ditior autem factus censetur, qui adhuc habet valorem, vel qui consumendo rem alienam, *pepercit suæ*, aut *sumptibus* quos ex propriis fecisset. Si quis vero occasione rei alienæ, quam suam esse putabat, majores fecerit sumptus quam alioquin fecisset, si se credidisset minus divitem, non tenetur ad restituendum, quia nec habet alienum, nec ex alieno ditior factus est.

203. — *Quæritur* an, qui rem alienam bona fide vilius emit a fure, et bona fide carius revendidit, teneatur pretii excessum restituere rei domino?

Resp. Si excessus pretii a sola industria provenerit, nulla

est obligatio restituendi, ut patet ex dictis : si vero excessus non industriæ solum, sed etiam rei venditæ fructus sit, id solum retinere potest, quod vir prudens judicaverit industriæ et labori respondere.

204. — III. *Ex jure Gallico, possessor bonæ fidei facit omnes fructus suos, modo collecti fuerint durante bona fide juridica.*

Sic *generatim* statuitur, art. 549, possessorem bonæ fidei facere fructos suos : item, pro *casu speciali* illius qui possidet hæreditatem alienam, art. 138; et illius qui rem indebitam bona fide accepit, art. 1578.

Porro, quamvis nonnulli hanc dispositionem juris restringant ad forum externum, existimamus, cum communiori sententia, eam habere vim in ipso conscientiæ foro. Etenim lex illa 1. *nullius jura lædit;* nam ante omnem eventum, quilibet idem timendum et sperandum habet. 2. *Unicuique privato magis favet;* ea enim admissa, quilibet secure poterit impensas suas determinare juxta suos reditus; dum, e contrario, in alia sententia fieri posset ut omnino inculpate quis redigeretur ad statum miseriæ. 3. *Bonum publicum magis promovet;* et vero, si lex hujusmodi non exstet, expendendum erit in quolibet casu quatenus possessor evaserit ditior : porro nemo non videt quantis difficultatibus hæc investigatio obnoxia sit, et quot litibus januam aperiat : hæc autem incommoda præcaventur per legem, de qua agimus. Ergo nihil vetat quominus lex illa vim habeat in foro conscientiæ. Ita etiam jus antiquum in *Inst.*, lib. 2, tit. 1, § 35, et S. Cong. regul., 1 febr. 1867. Vide *Acta S. Sedis*, t. 8, p. 144.

205. — Dixi *modo collecti fuerint durante bona fide juridica;* nam ut possessor bonæ fidei proprietatem illorum fructuum acquirat, duo necessaria sunt, 1. ut fructus sint collecti, id est, separati a radice, si agatur de fructibus naturalibus, vel correspondentes temporibus elapsis, gallice *échus*, annumerando de die in diem, si agatur de fructibus civilibus. Id deducitur maxime ex art. 585, 586, qui etsi

usufructuarium potissimum respiciant, possessori bonæ fidei applicari debent; is enim jure alteri æquiparatur. 2. Ut rem possiderit bona fide *juridica*, id est, virtute tituli proprietatis translativi, cujus vitia ignorantur, art. 550. Ideo qui rem possidet absque ullo titulo, etiam cum bona fide theologica, fructus prædictos non posset sibi vindicare. Jus enim retinendi fructus oritur tantum ex lege positiva : atqui lex positiva non adjudicat fructus ei qui est tantum in bona fide theologica, seu qui non habet titulum natura sua dominii translativum; ergo, etc.

PUNCTUM III

De obligationibus Possessoris bonæ fidei, ratione impensarum.

206. — *Quæritur* 1° quotuplicis generis sint impensæ?

Resp. Duplicis generis, nempe, aliæ ordinariæ, aliæ extraordinariæ.

Ordinariæ sunt quæ fiunt sive ad rem conservandam, sive ad fructus percipiendos, sive ad solvenda alia onera, quæ ab usufructuario communiter solvuntur.

Extraordinariæ sunt vel *necessariæ*, id est, sine quibus res periret aut saltem deterioraretur; vel *utiles*, id est, quæ rei valorem augent; vel *voluptuariæ*, id est, quæ fiunt tantum ad ornamentum rei.

207. — *Quæritur* 2° an impensæ ordinariæ, necessariæ, utiles debeantur possessori bonæ fidei?

Resp. 1. *Impensæ ordinariæ, seu usufructuariæ, generatim non debentur possessori bonæ fidei.*

Illæ enim ipsis fructibus compensantur; nam, ex axiomate, fructus non intelliguntur nisi deductis impensis. Dixi, *generatim*, quia si fructus nondum collecti fuerint, et ideo ad proprietarium rei debeant redire, possessor bonæ fidei jus habet exigendi illas impensas, alioquin proprietarius ditesceret ex bono alterius.

2. *Impensæ extraordinariæ vere necessariæ debentur integro possessori bonæ fidei.* Ratio est quia eas prudens proprietarius ipse fecisset, nec debet plus quam suum est recipere. Ita omnia Jura.

3. *Possessor bonæ fidei impensas extraordinarias utiles exigere potest, saltem in quantum augent valorem fundi,* quia nemo ditari debet ex re aliena.

Sub nomine autem impensarum *utilium* veniunt plantationes et constructiones quæ, ex communi æstimatione, venalem fundo valorem addunt. Hæ autem a proprietario solvi debent ex art. 555, etiamsi forte actu ipsi non proficiant. Non veniunt autem res mere voluptariæ, nec ea quæ sine deterioratione possunt auferri, ut statuæ, etc.

Dixi, *saltem in quantum augent valorem fundi;* quod si expensæ, juxta morem, majores sint melioratione, dominus non tenetur compensare illum excessum, quia pauperior fieri non debet ob bonam fidem alterius; si tamen de facto expensæ minores suut melioratione fundi, non ideo dominus tenetur illas restituere juxta valorem meliorationis, quia augmentum valoris est fructus prædii ad ipsum pertinentis. In his et similibus dominus, ex art. 555, habet optionem solvendi vel pretium meliorationis, vel pretium impensarum.

208. — *Obj.* Impensæ sive necessariæ, sive utiles *aliquatenus* saltem per fructus perceptos compensantur; ergo non debentur ex *integro* possessori bonæ fidei.

Resp. — Contrarium statuit expresse Codex civilis quoad impensas tum necessarias, tum utiles. 1. Quoad impensas necessarias. Nam ex art. 862, donatarius qui rem ad successionem refert, potest hujusmodi impensas repetere, quamvis ex art. 856 fructus faciat suos : atqui huic æquiparandus est possessor bonæ fidei; ergo. 2. Quoad impensas utiles. Id deducitur sive ex art. 861, qui determinat donatarium ac proinde per analogiam, possessorem bonæ fidei jus habere ad impensas : sive art. 555, qui versus finem affirmat absque restrictione, possessorem bonæ fidei posse exigere impensas ex quibus auctus est valor rei; ergo fructus percepti haberi non possunt tanquam indemnitas impensarum extraordinariarum, n. 62.

NUMERUS II

De Possessore malæ fidei.

209. — *Quæritur* quis sit possessor *malæ* fidei in foro civili vel in foro interno?

Resp. 1. In *foro civili* possessor *malæ* fidei ille dicitur,

art. 550, *qui non ignorat vitia tituli ex quo possidet*, et tenetur, ex art. 549, rem cum fructibus domino restituere, non solum a die interpellationis juridicæ, sed etiam a die qua novit rem esse alienam. Verum, ex art. 2268, mala fides probari debet ab eo qui eam proponit, et possessor præsumitur esse bonæ fidei, quandiu non constat de mala fide ipsius.

2. *In foro interno* possessor malæ fidei dicitur *qui bonum alienum retinet, suæ injustitiæ conscius;* hic itaque titulo possessoris *rei alienæ* addit reatum culpabilis *damnificationis*. Unde illi applicanda sunt et quæ jam diximus de obligationibus possessoris bonæ fidei, et quæ mox de injusto damnificatore dicemus. Istius enim omnia ipsi incumbunt onera, nec illius ulla privilegia sibi vindicare potest.

PUNCTUM PRIMUM

De obligationibus Possessoris malæ fidei, ratione rei.

210. — *Quæritur* 1° quænam sint obligationes possessoris malæ fidei, ratione rei?

Resp. 1. Possessor malæ fidei, ratione *rei acceptæ, debet restituere rem ipsam, vel rei æquivalens, si rem jam non habeat, et eam quocunque modo consumpserit.*

Et quidem *rem ipsam* restituere debet quia domino clamat. ut patet; vel *rei æquivalens* si rem non habeat, alioquin locupletaretur ex re aliena, et verum damnum inferret domino.

2. *Possessor malæ fidei tenetur dominum præstare indemnem scilicet, reparare omne damnum proxime et directe ortum ex injusta detentione.* Sequitur ex dictis, n. 185. Hinc, si res apud ipsum deteriorata fuerit, debet vel rem ipsam restituere, addito valore deteriorationis, vel rem servando, totum ejus valorem, pro optione domini, refundere. Ratio est evidens, et infra fusius exponetur ubi de damnificatore.

211. — *Quæritur* 1° utrum possessor malæ fidei teneatur ad restitutionem, si res apud ipsum *casu fortuito* perierit?

Resp. Vel res apud dominum casu eodem peritura erat,

vel non; si *posterius*, tenetur possessor malæ fidei ad restitutionem, etiamsi vel ante, vel post casum fortuitum res apud dominum peritura fuisset; nam *eo instanti* quo apud possessorem malæ fidei res perit, jus strictum dominus habet ad pretium, quod jus nullo casu fortuito superveniente perit.

Si *prius*, id est, si res peritura fuisset apud dominum *eodem* tempore et casu quo periit apud furem, controvertitur : sed ex jure naturali probabilius videtur non adesse obligationem restituendi. Etenim res domino perit, nisi ejus interitus alteri imputari debeat : atqui, in casu posito possessor non est causa vere efficax interitus rei, qui casui fortuito omnino tribuendus est; ergo possessor tenetur solummodo compensare lucrum cessans et damnum emergens domino ex privatione rei suæ per certum tempus.

212. — Dixi : *ex jure naturali;* nam ex art. 1302, casus fortuitus a restitutione furem non excusat. « De quelque manière que la chose volée ait péri, ou ait été perdue, sa perte ne dispense pas celui qui l'a soustraite, de la restitution du prix. » Sed cum clausula sit pœnalis, non obligat ante sententiam Judicis.

213. — *Quæritur* 2° utrum possessor malæ fidei teneatur ad restitutionem *summi valoris?*

Resp. Tenetur, in triplici casu, nempe quando res fuit vendita, vel a fure consumpta, vel casu fortuito imputabili perdita, vel a domino vendenda, *eo tempore quo erat majoris valoris;* tunc enim venditione vel consumptione, valor summus fuit domino acquisitus, vel culpabili detentione damnum fuit domino illatum. Vide tamen infra, *de damnificatore*, n. 227.

Si vero res perierit apud furem, vel fuerit consumpta aut vendita *tempore quo erat minoris pretii, et quo a domino fuisset vendenda vel consumenda,* tunc ad hoc minus pretium restituendum solummodo tenetur possessor malæ fidei, quia revera ipse ditior non est factus, nec dominus ullum damnum exinde passus est.

PUNCTUM II

De obligationibus Possessoris malæ fidei, ratione fructuum.

214. — *Quæritur* quænam sint obligationes possessoris malæ fidei ratione *fructuum?*

Resp. 1° *Titulo rei alienæ, possessor malæ fidei restituere debet fructus omnes tum civiles, tum naturales et etiam mixtos, qua parte naturales sunt vel civiles,* quia res domino suo fructificat; soli industriales ad ipsum pertinent, quia res aliena est eorum occasio vel medium, non vero causa proprie dicta.

2° *Titulo damnificationis, possessor malæ fidei tenetur restituere* 1. *fructus omnes perceptos,* etiamsi fuerint consumpti quin ipse ditior evaserit, quia eo ipso quo producti sunt, statim domini fuerunt; 2. *fructus a domino percipiendos,* alioquin indemnis non fieret dominus.

Quoad fructus quod nec ipse detentor percipit, nec dominus de facto fuisset percepturus, quamvis percipere potuisset bonus paterfamilias, *in foro externo* teneretur quidem illos restituere, quia lex semper præsumit dominum rem suam gesturum cum diligentia communi; sed in *foro interno* non videtur teneri, saltem ante sententiam Judicis, quia dominus nullum damnum reipsa passus est.

PUNCTUM III

De juribus Possessoris malæ fidei, ratione impensarum.

215. — *Quæritur* quid ratione *impensarum* exigere possit a domino possessor malæ fidei?

Resp. Juxta communiorem sententiam, possessor malæ fidei a domino exigere potest 1. impensas *usufructuarias;* nam fructus non intelliguntur nisi deductis hujusmodi impensis; 2. impensas *necessarias* ad conservationem rei; 3. impensas etiam mere *utiles,* sed tantum juxta valorem qui ex iis fundo accessit, vel juxta pretium materiæ et mercedem laborum, pro libito domini; sic enim iste non ditescit cum detrimento possessoris, nec ullum patitur

damnum. 4. Quoad impensas mere *voluptuarias*, nullum jus habet possessor illas exigendi; potest tantum auferre res quæ sunt mobiles.

Nota. Quoad plantationes et constructiones, *ex jure civili* dominus jus habet vel eas retinendi, vel exigendi ut tollantur; in priori casu, restituere debet possessori malæ fidei pretium materiæ et mercedes fabrorum, sive res facta sit pretiosior, sive non; in posteriori, tolluntur opera, *sumptibus possessoris* malæ fidei, qui potest præterea condemnari ad damnum resarciendum, quod inde domino rei illatum est, art. 555.

NUMERUS III

De Possessore dubiæ fidei.

216. — Possessor dubiæ fidei dicitur *ille qui rem occupat aut detinet, dubitans an sit sua.*

Hinc duplex hypothesis, prout, nempe, dubium possessioni bona fide inceptæ supervenit, vel illam præcedit.

217. — I. *Quando dubium possessioni bona fide inceptæ supervenit, 1° si, post accuratam inquisitionem, dubium stricte dictum perseveret, possessor potest in foro conscientiæ rem retinere.* Ita communiter, tum ex præsumptione legitima quæ possessionem sequitur, tum præsertim ex dispositione legis, quæ præsumptionem hujusmodi sancivit tanquam generalem agendi regulam, et statuit ut, non obstante dubio, res tota, et non solum pars pro rata dubii, possessori tribuatur : porro lex illa ex motivo ordinis publici lata, et omnibus pariter favens, sufficit ad informandam conscientiam; hinc axioma : *In dubio melior est conditio possidentis*

Dixi : *potest rem retinere*, id est, ea *uti* et eam *alienare*, cum hac tamen restrictione quod, si ante tempus præscriptionis dominus certo detegatur, res, si supersit in se vel æquivalenter, illi restituatur; et si venditio fiat, emptor de dubio moneatur.

2° *Si possessor, post inquisitionem factam, detegat rem esse* probabilius *alienam*, scinduntur Theologi. Alii existimant

partem rei restituendam esse pro ratione majoris illius probabilitatis; alii vero asserunt, juxta *praxim et interpretationem tribunalium*, possessorem bonæ fidei non esse deturbandum, nisi *moraliter* constet de jure alterius.

3° *Si possessor detegat rem certo vel saltem probabilissime non esse suam*, tunc 1. tenetur rem totam restituere; 2. si fuerit graviter negligens in discussione dubii, assimilandus est possessori malæ fidei, ratione rei, fructuum et impensarum; 3. si negligentiam graviter culpabilem non admiserit assimilatur, quoad jura et privilegia, possessori bonæ fidei, excepto quod si res perierit ex ejus *gravi incuria*, videtur teneri ad restitutionem, quia eam communi saltem diligentia servare tenebatur.

218. — II. *Si dubium præcessit possessionem*, tres possunt fingi casus. 1° Si rem quis occupaverit a *nemine occupatam*, dubitans utrum ad aliquem jure quodam pertineat, an sit nullius, an a domino pristino derelicta; non licet huic rem retinere nisi conditionate. Dubio vero post inquisitionem remanente, si illud dubium determinetur ad certam aliquam personam, cum ea res dividenda erit; secus, vel tota retineri poterit, vel pars pauperibus erit eroganda, pro opinione quam quisque tenuerit circa res inventas.

2° Si quis, dum rem ab alio accepit *titulo emptionis vel donationis*, dubitavit an ille a quo accipit, sit legitimus rei possessor, restituere debet pro rata dubii domino probabili. Ratio est quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur teneri ad totum restituendum, quia possessio certa alteri non favet, ex hypothesi.

3° Qui dubius an res quam alius possidet, ad se pertineat, eam sibi usurpat *spoliando alium* sua possessione, assimilatur possessori malæ fidei : in dubio enim melior erat alterius conditio, qui, ex jam dictis, rem sibi poterat retinere.

4° Qui dubius an alius sit ipsius debitor, utitur compensatione, juxta plures uti ea potest pro rata dubii, si non est alius modus jus persequendi, quia, aiunt, debitum

incertum majus reducitur in debitum certum minus; hoc tamen plenum esse periculi omnes fatentur.

219. — *Quæritur* quid de eo dicendum qui dubitans an res aliena esset, eam emit, non animo retinendi, sed eam domino, si postea compareat, reddendi?

Resp. 1. Non tenetur de casu fortuito, sed solum de culpa lata, cum se habeat ut depositarius, qui rem servat in utilitatem domini. 2. Potest exigere pretium quod pro servandis alteri rebus suis impendit; non enim tenebatur proprii boni dispendio alterius jacturam avertere. In his tamen habenda est ratio circumstantiarum : qui enim justo, aut etiam majori pretio rem a fure emeret, reddendam domino de ea nihil vel parum curanti, utiliter domini ejus negotia non gereret; unde tunc sufficiet ut dominus partem pretii refundat ad arbitrium viri prudentis : secus esset, si rem pluris emisset, quia noverat eam domino gratissimam esse, aut valde necessariam.

§ II

De secunda radice Restitutionis seu de Damnificatione.

220. — *Quæritur* quis sit damnificator?

Resp. Damnificator dicitur ille qui damnum alteri infert sine proprio emolumento, seu sine retentione rei alterius. Porro aliquis damnum inferre potest vel per seipsum et *immediate*, et tunc vocatur *injustus damnificator* simpliciter; vel per alium, aut cum alio, et tunc dicitur *injustus cooperator*. Damnum autem causari potest proximo, illum vel bonis jam obtentis privando, vel impediendo a consecutione alicujus boni. Hinc dicemus : 1. de injusto damnificatore; 2. de injusto cooperatore; 3. de iis qui alium impediunt a consecutione alicujus boni.

NUMERUS PRIMUS

De injusto Damnificatore.

Tres requiruntur conditiones ut ex damno illato oriatur reparandi obligatio, scilicet, actio 1. injusta, 2. per se damnificativa, 3. aliquo modo voluntaria.

PUNCTUM PRIMUM

De injustitia actionis damnificativæ.

PROPOSITIO

221. — *Actio damnificativa ad restitutionem requisita debet esse stricte injusta, id est, contra jus strictum alterius, nec sufficit violatio juris imperfecti.*

Colligitur ex ipsa natura juris imperfecti, et ex scopo restitutionis. Enim, ex jam dictis, n. 7, jus imperfectum non fundatur in titulo absoluto, seu relatione permanenti et determinata, sed in necessitate quadam actuali proximi, cui, sine coactione et pro facultate, quisque sponte subvenire tenetur : porro si illa necessitas cessaverit, cessat ratio debiti; si perseveret, tunc obligat ad actum ut nunc debitum, non vero ut antea omissum : ergo non est vera restitutio. Attamen jus illud plus minusve obligabit, prout jam hujusmodi debitis data occasione satisfactum erit.

Hinc non est injusta, nec ad restitutionem obligat, actio nociva quæ est exercitium *proprii juris strictis;* alioquin darentur jura hinc et inde opposita, quod repugnat. Vide etiam n. 243 et seq.

PUNCTUM II

De Efficacia requisita in actione damnificativa.

PROPOSITIO

222. — *Actio ad reparationem damni obligans, debet esse damnificativa per se, talis,* scilicet, *quæ damnum reipsa induxerit, et quidem vi propria.*

Etenim eatenus nobis adest obligatio restitutionis, quatenus damnum revera fuit illatum, et nobis ut veræ causæ tribui potest : atqui, quando actio non est *per se* efficax, damnum agenti tribui non potest. Itaque non sufficiunt ad restitutionem causæ quæ vocantur *sine qua non*, occasionales, vel per *accidens*. Sic, v. g., non censetur causa efficax qui sine malitia aliquem induxit in viam ubi a latrone occisus est; item qui ponit actionem ex qua alter se *sponte* determinat ad damnum inferendum; nec etiam qui aliquo modo suspicatus damnum esse possibile, sibi *prudenter*

persuasit non esse hic et nunc probabile. Dixi *hic et nunc*, scilicet, attentis circumstantiis : nam quod ordinarie non causat damnum, potest efficaciter in peculiaribus adjunctis gravius inducere periculum, et tunc non dici debet causa per accidens, ut patet.

223. — *Quæritur quandonam* autem actio damnificativa sit *per se* efficax?

Resp. Non ita facile in pluribus casibus determinatur. Hæc tamen statui possunt : 1. damnum censetur sequi *per se* ex aliqua actione, quando *ut plurimum ex illa sequi constat;* et illam passim homines adhibent, quoties hujusmodi effectum obtinere volunt. Sic, v. g., quando quis per applicationem ignis comburit domum, vel per explosionem catapultæ, aut per jactum lapidis, occidit hominem, etc.

2. Damnum censetur sequi tantum *per accidens*, quando ex tali actione *ut plurimum sequi non videtur*, ideoque eam homines ut medium non adhibent ad similes effectus, et necesse est intervenire aliquid aliud, quod sit causa physica vel moralis talis damni, v. g., si avarus moriatur propter thesaurum, sibi ablatum; si quis admodum leviter vulneratus moriatur propria incuria, aut medici inscitia, etc. In his casibus ille qui abstulit thesaurum, vel qui leviter vulneravit, non est causa mortis per se, sed tantum per accidens; unde tunc non obligatur ad restitutionem damni per mortem illati, saltem si non præviderit se illud damnum procurare per talem actionem; si enim prævidisset, actio hujusmodi censeri posset causa efficax damni. Sed evidens est causam merito dici efficacem, quamvis, illa deficiente, damnum eventurum fuisset; ineptum esset enim hoc ratiocinium : Si ego damnum non intulissem, intulisset alius; ergo non sum efficax causa damni.

PUNCTUM III

De Culpa requisita in actione damnificativa.

224. — *Quæritur* 1° quid sit et an sufficiat *culpa mere juridica*, vel etiam *casus fortuitus*, ut damnificator ad restitutionem obligetur?

Resp. 1. Culpa *mere juridica* communiter a Theologis definitur : *Omissio diligentiæ legibus requisitæ, qua alterius damnum caveri potuit;* scilicet, actio vel omissio nociva alteri, in damnificante quidem *involuntaria,* sed quæ talis a lege non præsumitur, quia vitare potuit per diligentiam, quam generatim homines possunt et debent adhibere. Unde coram legem reus, et etiam graviter, quandoque habetur, qui ab omni culpa gravi, aut etiam levi, plane immunis est coram Deo.

Casus *fortuitus* designat eventum *qui per humanum et communem diligentiam seu prudentiam præcaveri non potuit.*

Unde culpa mere juridica quoddam medium tenet inter culpam theologicam et casum fortuitum.

2. Ex *Jure civili,* quisque tenetur ad reparandum omne damnum sua culpa illatum, scilicet, ex negligentia aut imprudentia, sive per seipsum, sive per res illi proprias, sive per personas illi commissas illatum fuerit. Art. 1382-1386, 1797-1799 et 1994, 1952 et 1953, 1735, etc.

Sed lex civilis non obligat ad reparandum damnum illatum ex *casu fortuito;* et ut fortuitum habet effectum qui a nullo vel nonnisi a vigilantissimo vitari potuisset. Insuper aliquando lex ita præsumit culpam, ut probatio in contrarium non admittatur, art. 1384, 1385, 1952; aliquando vero admittatur, art. 1732, 1733, 1384. His positis,

I. *Attento solo jure naturali, non adest obligatio reparandi damnum illatum ex culpa mere juridica.* Ita fere omnes Theologi. Et revera, quamvis aliquatenus videatur æquitati consonum ut qui damnum, etiam involuntarie intulit, detrimentum patiatur, potius quam alter, attamen illa obligatio admittenda non est : 1. quia multa haberet incommoda; nam cum homines sint obnoxii hujusmodi inadvertentiis, innumeris locus daretur anxietatibus, et plures a publicis vel privatis rebus regendis amoverentur; 2. quia non est necessaria bono societatis et privatorum; ea enim non admissa, sufficienter providetur securitati dominiorum, cum unusquisque in se suosque invigilare debeat diligentia communi, alioquin futurus esset theologice culpabilis.

Idem a fortiori dicendum de casu fortuito, qui nullatenus ab homine pendet, et nec remote quidem potest illi imputari. Igitur, *seclusis hominum pactis, et statutis legum*, de quibus infra, culpa mere juridica et casus fortuitus nullam inducunt obligationem strictam restituendi. Dicitur *obligationem strictam;* nam ut ait Zallinger, æquitati aliquatenus consonum videtur ut damnificator, si dives sit, læso pauperi aliquid pro damno rependat.

II. *Leges civiles*, quæ decernunt obligationem reparandi damnum illatum *ex culpa mere juridica, obligant in conscientia, sed tantum post sententiam Judicis, aut, ad summum post petitionem læsi.*

Etenim leges hujusmodi quatenus generales et spectatæ ante omnem eventum, non sunt injustæ, siquidem omnibus pariter favent, et maxime utiles sunt, quia homines diligentiores reddunt, et lites innumeras ac plerumque inextricabiles solvunt. Nam, quomodo judices de internis culpis, vel de advertentiæ gradibus tuto pronuntiarent? Ergo illæ leges obligant in conscientia.

Sed ad scopum illarum sufficit ut obligent *tantum post sententiam Judicis*. Sic enim sufficienter homines stimulantur, nec aliud exigitur vi verborum, quæ in hodiernis legibus non magis aperta sunt quam in veteribus sic communiter interpretatis; tandem ita fert consuetudo, optima legum interpres.

Si autem *res omnino clara sit, et læsus petat reparationem*, non videtur posse sine injustitia cogi ad expensas inutiles. Ille enim jus habet strictum ex lege, quo uti potest in conscientia, nulla habita ratione excusationis alterius. Hoc postulare videntur æquitas et scopus legis.

III. Quoad casus *fortuitos*, ordinarie nec ex naturali, nec ex civili jure ad illos reparandos ullus tenetur.

Advertendum tamen dari nonnullos casus in quibus aliquis obligari potest ad compensandum damnum etiam *ante sententiam Judicis*, licet oriatur ex eventu fortuito. Et 1. quidem si *intercesserit pactum* de restituenda ea re, quomodocunque fortuito perierit. 2. Si res periit, cum detentor esset in *mora graviter culpabili* restituendi, quia scili-

cet statuto tempore non restituit, cum tamen posset ac deberet, et dominus nullo modo consentiebat circa hujusmodi moram. Excipe tamen si res æque periisset apud dominum. 3. Si res periit in alio usu vel loco quam fuerat conventum, v. g., si quis equum ad unum iter concessum, ad aliud valde diversum duxit; vel si vas argenteum commodatum ad usum domus suæ, foras extulerit, neque reipsa dominus consenserit, nec consensurus legitime præsumi potuerit, quia, v. g., gravius erat in illo itinere et vasorum externo usu periculum. Attamen in commodato, usus vel locus non ita stricte ordinarie determinantur. Tunc enim nullum damnum dominus reipsa passus est.

vide no 230

225. — Hinc 1° qui *inculpabiliter* causam damni posuit, et postea non impedit cum impedire posset, tenetur ad restitutionem.

Nam quisque pari jure tenetur impedire et ne effectus malus ex sua actione sequatur, et ne secutus perseveret. Et vero unusquisque cavere debet ne res vel personæ suæ tutelæ hominis commissæ damnum cuiquam inferant : porro quid magis tutelæ hominis committitur quam sui ipsius actio? Attamen si damnum impediri non possit sine proprio graviori aut saltem æquali incommodo, permitti poterit.

226. — Hinc 2° si quis culpabiliter posuerit causam efficacem damni *determinati*, et in specie prægogniti, factusque pœnitens, antequam causa effectum produxerit, velit sed non possit impedire, tenetur ad restitutionem. Satis enim concurrunt in hoc casu voluntas et effectus : ita communiter.

Si vero causam damni *indeterminati* deinde retractaverit sed inefficaciter, tenetur juxta plurimos ex rigore principiorum ad restitutionem. Vide tamen dicta in Tract. *de actibus humanis*, ubi de ignorantia invincibili.

227. — Hinc 3° errans invincibiliter circa gravitatem damni quod infert, probabilius saltem speculative, non te-

netur ad reparandum excessum invincibiliter ignoratum. Sed in praxi sæpius reparandum erit totum damnum utpote voluntarium saltem in confuso.

228. — Hinc 4° error circa personam læsam totam injuriæ malitiam ab actione lædentis non aufert. Ita communius. Adest enim injuria materialis, ut patet; nec abest formalis. siquidem damnificator *cognoscit* se *jus alterius lædere*, et *libere agit*. Nec obstat ejusdem voluntas interpretativa; nam actus præsens plane liber remanet. Error igitur solum tollere potest malitiam *accidentalem* : sic percussio clerici ignoti non esset sacrilegium.

229. — Hinc 5° quoad damnum per animalia, vel per personas alicui commissas illatum, si dominus illud prævidit vel prævidere debuit, et moralem non adhibuit diligentiam ad illud impediendum, tenetur ad reparationem, etiam aliquando ante sententiam Judicis. Si vero absque ulla domini culpa theologica, animal vel persona damnum intulere, nihilominus dominus, vel is qui animali utitur, vel ille cui cura personæ incumbit, tenetur post sententiam Judicis damnum reparare, sive animal aut persona remanserit sub ejus custodia, sive illam evaserit. Cod. pœn. 471 475, 479. Quod si agatur de animalibus sub cujusdam custodia positis, v. g., de ovibus, pastor tenetur ante dominum. Vide insuper art. 1386, ex quo dominus tenetur de damno illato ob ædificium collapsum reparationis defectu, vel vitio constructionis.

230. — *Quæritur* 2° qualis requiratur culpa *theologica*, ut quis ad restitutionem teneatur ante sententiam Judicis?

Resp. 1. Nulla est difficultas circa culpam quæ mortalis dicitur a Theologis. Sane non sufficienter dominiorum securitati provisum fuisset, si culpa hujusmodi non sufficeret : et revera illo casu nullam excusationem habet damnificator.

2. Si culpa sit venialis ex *defectu consensus* seu ex *imperfectione advertentiæ*, controvertitur. Juxta plures, pec-

catum *veniale* sufficit ut quodlibet damnum injusta actione illatum, totum, vel saltem ex parte, restituendum sit. Etenim, aiunt, ibi reperitur injusta et vere voluntaria damnificatio: aliunde restitutio damni non habenda est ut pœna delicto proportionanda, sed ut medium restaurandi *æqualitatem* et dominorum jura protegendi; æquum non est etiam ut innocens totum damnum patiatur, et ille qui vere coram Deo reus est, ad *nihil* teneatur; tandem actio hujusmodi culpæ mere juridicæ et casui fortuito assimilari nequit.

Plures autem negant obligationem totum damnum, vel etiam partem illius reparandi. Sic autem argumentantur : si aliquid restituendum foret, vel esset pars notabilis, vel pars minor et veniali peccato correspondens : porro neutrum dici potest. 1. *Non pars notabilis;* nam debet esse proportio inter obligationem et causam illius obligationis : atqui nulla esset, si pars notabilis ex culpa veniali restitui deberet; ergo. Aliunde commercium et relationes societatis ob conscientiarum anxietates perturbarentur, si gravis esset obligatio reparandi damnum ex culpa veniali ortum. 2. *Non pars peccato veniali correspondens;* nam ut adsit obligatio restituendi, objectum restituendum debet esse vel determinatum, vel saltem determinabile : atqui in hoc casu objectum restituendum nec est determinatum, nec determinabile; nam objectum restitutionis esset pars proportionata parti advertentiæ vel consensus; porro illa pars est indeterminabilis, siquidem innumeri sunt et indistinguibiles gradus advertentiæ vel consensus sufficientis ad peccatum veniale; ergo. Insuper obligatio restituendi introducta fuit, ut conservationi dominiorum uniuscujusque sufficienter provideretur : atqui satis providetur conservationi bonorum, posito quod quis ad restitutionem teneatur, quando culpæ mortalis reus est.

Opinio negans obligationem restituendi totum vel etiam partem notabilem damni, communior videtur apud Theologos, Contraria vero Jurisperitis magis placet, solaque in tribunalibus civilibus viget : et sane, si in foro civili culpa mere juridica præstatur, quanto magis theologica, licet venialis, præstari debet.

Cæterum, docent omnes fere auctores, *in dubio* an peccatum sit veniale vel mortale, cum posita fuit actio graviter damnificativa, *ordinarie* culpam mortalem præsumendam esse, quia in operibus externis graviter periculosis, nisi subitanea sit et vehemens passio vel habitualis aliqua mentis infirmitas, raro contingit ut quis excusetur a mortali propter inadvertentiam; opera enim illa periculum suum statim et facile ingerunt, et mentis attentionem excitant. Dixi *ordinarie*, quia si damnificator sit vir timoratus, præsumptio generalis cedit præsumptioni particulari in illius favorem. In similibus casibus melius est disceptationem amicabili transactione componi.

Si culpa sit venialis ex sola *levitate materiæ*, tunc ve agitur de unica culpa, vel de pluribus. In primo casu, restitutio fieri debet, sed tantum sub levi, nisi ex mutatis circumstantiis damnum leve, tempore quo fuit illatum, grave per accidens evaserit. In secundo casu, qui grave damnum intulit *eidem personæ* per plures culpas veniales deliberate commissas, tenetur *probabilius* sub gravi reparare totum damnum. Etenim aiunt, certe adest restitutionis obligatio, siquidem damnum fuit omnino voluntarie illatum : porro obligatio restituendi est semper gravis in materia gravi, nisi supponatur creditorem non esse graviter invitum, quod in casu supponi non potest; ergo.

Si vero damna minuta *pluribus personis* illata fuerint, major adest dubitandi ratio; nam, ex una parte, nemo grave damnum patitur, et ex alia, damnificator non ditescit, nec debita illa moraliter uniuntur. Insuper facilius præsumitur creditores non esse graviter invitos.

vide No 225 bis

NUMERUS II

De injusto Cooperatore.

231. — *Quæritur* quid sit cooperator, et quotuplici ratione quis possit cooperari ad alterius damnum?

Resp. Per *cooperatorem* hic intelligitur ille qui proximo damnum infert, vel agendo immediate cum alio, vel solum mediate per alium.

Porro duplici ratione aliquis potest cooperari ad damnum alterius : 1. *positive* et *directe*, quando scilicet per actionem positivam et directam est causa cur alteri dam-

num inferatur, v. g., jubendo, consulendo, participando ; 2. *negative* et *indirecte*, quando scilicet non influit positive in damnum illatum, sed cum posset et ex justitia deberet illud impedire, non tamen impedit, v. g., tacendo, non manifestando, non obstando.

Novem sunt modi quibus homo censetur cooperari damno proximi, et hoc disticho comprehenduntur :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ex illis autem novem modis, sex primi *directe* et *positive* concurrunt ad injustam damnificationem proximi. Tres vero ultimi modi *indirecte* tantum et *negative*.

Dicemus 1. de cooperantibus positive; 2. de cooperantibus negative.

PUNCTUM PRIMUM

De Cooperantibus positive ad damnum proximi.

Cooperatio positiva adest, quoties quis vel physice vel moraliter influit in damnum proximi : *physice* quidem, si actionis damnificativæ particeps fiat; *moraliter*, si quemquam ad damnum inferendum determinet. Utrum et quandonam cooperatio inducat obligationem restituendi, exponendum est.

PROPOSITIO

232. — *Quicunque positive cooperantur ad damnum, ita ut sint causa efficax, injusta et culpabilis cur alteri ab aliquo damnum inferatur, tenentur ad restitutionem, sicut damnificator simpliciter dictus.* Certum est.

Etenim, qui sic cooperantur, sunt revera causa damni illati, quamvis non nisi per alium vel cum alio illud intulerint; ideo damnum est ipsis imputabile. Et vero, in moralibus eodem loco ponuntur *inducere ad damnum* et *illud efficere :* unde dicitur in Jure Can. decret 1, 5, cap. *de Injuriis :* « Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt, jure super his

satisfacere te oportet. » Propterea Inn. XI hanc profligavit propositionem : « Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni. » Consonat Cod. civ. 1382. et Cod. pœn. 59-63 et 75.

Dixi 1 : ita ut sit *causa efficax damni*, scilicet, ut damnum sequatur ex vi *cooperationis;* si enim aliquis consuleret alicui personæ id quod jam facere talis persona *omnino* decrevit, et æque faceret sine tali seu simili jussione aut consilio, tunc jubens aut consulens non teneretur ad restitutionem : sed sedulo examinandum est utrum hujusmodi consilium aut jussio non aliquatenus influat in damnum; in hoc enim casu jubens et consulens ad restitutionem teneri possent.

Dixi 2 : *ita ut sit causa culpabilis*, quia, ut jam diximus, si nulla esset culpa neque theologica, neque juridica, ad nullam restitutionem in utroque foro teneretur.

Cum vero multiplici modo aliquis in damnum positive influere possit, nec omnis cooperatio inducat eamdem obligationem, de singulis modis injustæ cooperationis seorsim agendum est.

Jussio.

253. — Jubens seu mandans ad restitutionem tenetur, si mandato suo causa fuit cur alter damnum intulerit proximo, sive expresse mandaverit, sive solum tacite, scilicet verbis ac nutibus non expressis, sed ex quibus famulus, v. g., satis colligat rem sibi mandari et hero gratum fore : sic enim mandans seu jubens est causa efficax damni.

E contra, non tenetur ad restitutionem, si ante exsecutionem penitus mandatum *simplex* retractaverit, idque mandatario, v. g., famulo sufficienter innotescat ante exsecutionem mandati.

Item non tenetur ad restitutionem qui nullatenus mandavit, sed *ratum* solummodo habuit damnum suo nomine factum : ratio est, quia in utroque casu mandans non est causa efficax damni, ut patet.

Cavendum tamen ne ratihabitio alium a restitutione avertat, vel ad iterandum impellat.

Consilium.

234. — Consulens tenetur restituere, quoties suo consilio, absque bona fide causa est cur alter patiatur damnum, sive 1. hortando id fecerit, scilicet, precibus aut promissionibus; sive 2. instruendo, v. g., docendo occultum nocendi modum; sive 3. proponendo utilitatis et honoris rationes in illatione damni.

Quando consulens non solum hortando, sed etiam *rationes suggerendo, et media indicando*, dedit consilium, tenetur ad restitutionem, *licet consilium revocaverit*, si, non obstante tali revocatione, consilium sit causa cur alter damnum inferat, commotus, scilicet, rationibus sibi propositis, vel commoditate damni inferendi ab alio sibi manifestata. Ratio est, quia tunc consulens fuit causa damni efficax et injusta; nam post revocatum consilium, semper eædem rationes damni inferendi, quas ipse proposuit, subsistunt. Secus vero dicendum, si in precibus solummodo, vel promissionibus hæserit consulens; etenim tale consilium, hoc ipso quod retractatur, influere desinit, nec amplius moraliter perseverare censetur.

235. — Hinc, si consilium nullo modo influit in damnum, tunc consulens ad restitutionem non tenetur; unde, secundum sententiam communem, qui consulit minus damnum alicui inferre, ne *eidem* majus inferatur, v. g., si quis consulat Petri percussionem, ne occidatur, non tenetur ad restitutionem; tunc enim non censetur damnum proximi causare, sed potius avertere aut minuere.

Advertendum tamen illum teneri ad restitutionem, qui ad vitandum majus damnum unius personæ consulit minus malum *alterius* personæ designatæ, v. g., si quis volenti occidere Petrum, *positive consulat* ut percutiat Paulum. Si autem alia persona non sit designata, sed indeterminata, v. g., si dicatur; *potius est furari diviti quam huic pauperi;* vel *occide alium, potius quam hunc patrem-familias;* tunc

censetur ab uno avertere, non autem ad aliud impellere.

Dixi *si positive consulat* : porro non videtur sic consulere qui diceret : *minus malum est percutere Paulum quam Petrum*. Sed cavendum est ab hujusmodi locutionibus, quæ facile ut consilium haberentur.

236. — *Nota*. Juxta plures Theologos, pravum exemplum æquiparandum est consilio, et pariter inducit obligationem restituendi, saltem quando agens *prævidit* exemplo suo alios incitandos fore ad damnum inferendum; quia in hujusmodi casibus est causa efficax damni, non minus, nec aliter quam consulens; nam *verba movent, sed exempla trahunt*. Sed negatur communius, quia pravum exemplum est ex se mera occasio, non causa, quæ, *saltem generatim*, non satis proxime et efficaciter influit in damnum, præsertim si agens nullo modo intendit alios ad nocendum impellere, sed solum suæ cupiditati indulgere.

237. — *Obj*. Non est potior ratio cur mandans seu jubens non teneatur ad restitutionem damni a mandatario illati, revocato mandato, teneatur vero consulens, revocato consilio; ergo vel uterque tenetur ad restitutionem, vel neuter.

Resp. Magna est disparitas, quia ea quæ facit mandatarius, facit tantum ut exsequatur voluntatem jubentis; proindeque, posteaquam mandatum revocatum est, ipse mandatarius non dicitur amplius exsequi voluntatem jubentis; propterea tunc iste non tenetur ad restitutionem damni, eo quod censetur influxum revocasse.

Quæ vero consultus facit, non facit ut exsequatur voluntatem consulentis, illique gratius fiat, sicut mandatarius respectu mandantis: sed facit in bonum et gratiam sui : consequenter consulens tenetur ad restitutionem, etiamsi conetur revocare consilium, eo quod non revocat influxum, quia consultus adhuc movetur verbis consulentis ad damnum inferendum in bonum et gratiam sui ipsius.

Consensus.

238. — Consentiens, seu dans suffragium vel approbationem ad aliquod damnum inferendum, tenetur ad restitutionem, si suo suffragio vel approbatione vere fuit causa efficax illius damni : unde, v. g., Judex, qui in Curia dat suffragium ad sententiam injustam, tenetur ad restitutio-

nem; similiter Canonicus qui in Capitulo suscripsit alicui actui injusto, v. g., perniciosæ electioni, tenetur etiam ad restitutionem; et id verum est, etiamsi Judex et Canonicus scirent plures esse in numero sufficienti *daturos* suffragium pro damno inferendo. Hinc consentiens, pro variis casibus, æquiparatur jubenti, participanti, aut consulenti.

Dubitatur autem quando major pars suffragiorum jam *data* est, et sufficit ad rem injustam decernendam, utrum posteriores qui suffragium ferunt pro sententia injusta, teneantur restituere. Aliqui negant, quia inquiunt, illi posteriores suo consensu non sunt causa efficax damni, cum jam sufficiens causa posita sit. Alii vero melius affirmant, quia contendunt omnium nomine, saltem ordinarie, damnum inferri.

Cæterum, omnes Doctores consentiunt, 1. quod, quando posteriores sua auctoritate aut rationibus possunt priores a sententia injusta dimovere, si non faciant, teneantur restituere, quia ex officio tenebantur injustam sententiam pro viribus impedire; 2. omnes pariter docent quod, quando ad sententiam ferendam omnia suffragia necessaria sunt, si sententia sit injusta, quilibet restituere teneatur.

Palpans, seu adulator.

239. — Palpans, seu adulator, tenetur ad restitutionem, si laude, adulatione, vel etiam irrisione et exprobatione ignaviæ, alium impulit ad damnum proximo inferendum, quod alias non fecisset; tenetur autem ad restitutionem eo modo quo consulens; unde etiamsi postea conetur revocare adulationem, vel irrisionem, adhuc tenebitur ad restitutionem, si alius reipsa damnum inferat *ex vi* impulsionis datæ.

Quatuor supra positivi cooperatores *moraliter* tantum in damnum influunt : duo sequentes *physice* cooperantur.

Recursus seu Receptans.

240. — Receptans, seu recipiens malefactorem, vel ipsius prædam asservans, tenetur ad restitutionem, si malefactorem recipiat *ut talem*, eique ut tali auxilium præbeat,

illum occultando vel ipsius prædam asservando, ita ut malefactor inde sumat occasionem damni inferendi vel *retinendi* rem alienam, v. g., sartor qui res furtivas scienter recepit a famulis, vel caupo qui scienter recepit pecunias furtivas a filiis-familias. Vid. Cod. pœn., art. 61, 62, 73, 99, 288.

Hinc injustitiæ rei sunt advocati, qui contra conscientiam *civiliter* defendunt furem, adeo ut eximatur a restitutione. Vide Tract. *de Oblig.*, n. 135.

Advertendum autem eum non teneri ad restitutionem, qui receptat malefactorem *ut amicum, consanguineum*, etc., et nullo modo advertit malefactorem hoc receptaculo incitari ad damnum inferendum : similiter non tenetur restituere, qui occultat furem ne comprehendatur a lictoribus, *dummodo non illi det spem refugii in posterum :* sic enim non est causa damni, nisi forte aliquando per accidens.

Participans.

241. — Participans tenetur ad restitutionem, si 1. particeps sit *prædæ*, seu rei acceptæ et ablatæ proximo; tunc enim est possessor rei alienæ : unde de eo ratiocinandum est, sicut supra diximus de possessore bonæ vel malæ fidei; si 2. sit particeps *actionis injustæ* per quam illatum est damnum, scilicet, dando auxilium ad perpetrandam actionem injustam, v. g., agendo excubias, scalas applicando, furem comitando defendendi causa, etc., sive necessaria fuerit illa cooperatio ad damnum inferendum, sive non.

Ratio est, quia sic participans cooperatur culpabiliter et efficaciter alterius damno; ergo tenetur ad restitutionem, sicut injustus damnificator.

Advertendum 1. juxta multos Doctores excusari tam a peccato quam a restitutione, qui ex *metu gravi*, v. g., mortis vel mutilationis, *remote* et *mediate* participant actioni injustæ in bonis fortunæ, v. g., subministrando instrumenta ad militum prædas jam factas transvehendas.

Advertendum 2. juxta eosdem Doctores excusari a peccato, qui metu mortis aut gravis mali etiam *proxime* participant actioni injustæ furti, dummodo habeant animum

compensandi seu reparandi damnum; tunc enim dominus non est rationabiliter invitus : v. g., si quis metu mortis arcam in qua reconditus est thesaurus, aperiret, animo compensandi damnum; imo si metus gravis incutiatur ei propter thesaurum, non tenetur compensare damnum, quia non tenetur cum tanto sui damno servare bonum alienum.

Sed *nulla ex causa* licitum est cooperari directe et immediate ad occisionem injustam, etiam ad servandam propriam vitam, ut dictum est in Tract. *de Decalogo*, n. 273. Insuper non licet immediate cooperari ad mutilationem injustam, nisi, forte, pro servanda vita ipsius mutilati.

PUNCTUM II

De Cooperantibus negative ad damnum proximi.

242. — *Negative* cooperatur, ut jam dictum est, qui non impedit damnum alterius, etsi possit et debeat illud impedire. Causa mere negativa nullum per se loquendo tenetur damnum proximi reparare; alioquin tenerentur omnes jure naturali et ex justitia bonum proximi curare et malum ejus avertere, quod nemo dixerit; sed ad hoc potest quis per accidens obligari, scilicet ex contractu vel quasi contractu; unde sit

PROPOSITIO

243. — *Negative cooperans ad damnum alterius, scilicet, illud non impediendo, toties tenetur ad restitutionem, quoties ex negligentia graviter culpabili non impedit damnum, cum id deberet ex pacto, vel officio.*

Prob. Talis enim censetur causa moralis et injusta damni; nam hoc ipso quod tenetur ex officio vel contractu impedire damnum alterius, iste jus strictum habet ut damnum impediatur; ac proinde, qui negligit impedire, facit alteri injuriam damnosam. Et vero iste damnum patitur ob omissionem operæ debitæ ad illud impediendum; ergo, qui talis omissionis reus est, cooperatur efficaciter et culpabiliter contra justitiam damno alterius, quod merito illi imputatur; ergo tenetur ad restitutionem.

Dixi 1 : *culpabiliter;* requiritur enim culpa vel theologica

vel saltem juridica; unde qui nullo modo potest impedire damnum, nullatenus tenetur ad restitutionem, quia nullam culpam commisit. Similiter, qui potest impedire, non semper ad restitutionem tenetur, quando nempe habet justam causam non impediendi, v. g., ad vitandum grave damnum.

Et vero, si omnes qui aliorum damnum impedire tenentur, ad id strictius et semper, cum qualicunque suo damno obligarentur, viri timoratæ conscientiæ removerentur ab officiis in quibus talis contrahitur obligatio. Ex hoc autem quantum detrimentum societati immineret!

Dixi 2 : *cum ex pacto* vel *officio debet impedire*, id est, ad illud obligatur ex *stricta justitia*, non vero ex sola caritate, vel alia virtute, etiam justitiæ annexa, v. g., gratitudine, fidelitate, imo justitia legali. Unde aliquando, sed non semper, ad restitutionem tenentur Principes, Duces exercitus, Magistratus, Domini, qui negative cooperantur ad damnum proximi. Similiter famuli qui non *expresse* ad rei alienæ custodiam sese obligarunt.

De tribus modis cooperandi negative ad damnum alterius seorsim agendum est.

Mutus.

244. — Mutus, qui tacet, cum loquendo posset impedire damnum alterius, et ad id tenetur ex *officio* vel *pacto*, ad restitutionem damni obligatur : unde quidam superiores restituere debent damnum quod inferiores inferunt, quando præcepto vel reprehensione non utuntur ad impediendos subditos, ne damnum inferant. Similiter consultor *ex officio*, qui tacet vel non consulit ut necesse est ad impediendum damnum. Item custos qui non clamat, nec strepitum edit, quando illud necesse est ad conservationem rei quam custodit. Quoad Confessarium, vid. Tract. *de Pœnit.*, n. 361, ad 3um.

Non obstans.

245. — Non obstans, seu qui vi non impedit damnum alterius, licet possit et teneatur impedire ex officio vel pacto, ad restitutionem tenetur. Unde Principes, Magistratus, etc., tenentur aliquando ad restitutionem damnorum

Status quæ non impedierunt, cum possent et deberent, etiam cum periculo propriorum bonorum, imo et propriæ interdum vitæ. Tenentur etiam interdum de damnis *privatorum*, quæ impedire possent et deberent; est enim eorum officium : sed tamen ad id non tenentur cum suo majori vel æquali damno. Similiter famuli tenentur restituere, si, cum expresse deputantur, non impediunt fures bona dominorum suorum furantes. Vide insuper. art. 1384, juxta quam tenentur parentes de damno illato a famulis, etc.

E contra, non tenentur ad restitutionem qui non impediunt damnum, si ad illud impediendum non teneantur ex officio vel pacto, v. g., qui cum posset impedire ne bona proximi diripiantur, vel ne ignis domui apponatur, tamen non impedit ex malevolo animo; hic peccare quidem potest gravissimo peccato contra caritatem, non tamen contra justitiam, quia neque ex *officio*, neque ex *pacto* illud damnum impedire tenetur, ut supponimus.

Idem dicendum multi Doctores censent, de eo qui ex prava intentione motus, alteri obligato ex caritate, non vero ex justitia, et parato ad impediendum furem, suasit ut non eum impediat a damno inferendo; non tenetur, inquiunt, ad restitutionem, nisi fraude suaserit vel ipse ex *officio* vel *pacto* damnum impedire tenerentur. Verum in hoc casu, cum illud peccatum sit gravissimum saltem contra caritatem, ideo ordinarie aliqua restitutio pœnitenti injungenda erit pro satisfactione et pœnitentia sui peccati, præsertim cum ille qui passus est damnum, pauper est. Vide dicenda in sequenti numero.

Non manifestans.

246. — Non manifestans, sine ratione sufficienti, obligatur ad restituendum, si tempestive manifestando malefactorem, ante vel post illatum damnum, potuerit istud impedire vel reparare, et ad id obligatus erat ex *officio* vel *pacto*, v. g., custodes silvarum, stagnorum, vectigalium, etc., qui dissimulant et non accusant eos, quos deprehendunt injuste scindere ligna, venari, piscari, aut vectigalia defraudare, etc.

NUMERUS III

De injuste Impediente consecutionem alicujus boni.

247. — Duplex distingui potest jus strictum, scilicet, *proximum* et *remotum*.

Jus strictum *proximum* est quando quis habet jus in re vel ad rem, de quibus supra, n. 5.

Jus strictum *remotum* illud est quod quisque habet ne impediatur vi vel fraude ab assecutione boni alicujus, quod legitime potest obtinere.

Certum est autem illum teneri ad restitutionem, qui quocunque modo, sive vi, sive fraude, sive etiam solis precibus aut suasionibus, alium impedit a consecutione alicujus boni ad quod *jus strictum proximum* habet sive in re, sive ad rem. Ratio est evidens, quia ille violat jus strictum alterius, et proinde, cooperatur positive ad damnificationem.

Itaque difficultas tantum esse posset de eo qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, ad quod non habet quidem jus strictum proximum in re vel ad rem, sed tantum jus *remotum*.

PROPOSITIO

248. — *Ratione injustæ damnificationis, tenetur ad restitutionem, quicunque vi vel fraude alium impedit a consecutione alicujus boni, quod legitime obtinere poterat.*

Qui enim sic impedit, violat jus strictum alterius; omnes enim concedunt quod quilibet homo habet jus strictum, ne vi vel fraude impediatur a consecutione legitima alicujus boni; ergo qui sic impedit, tenetur tantum compensare quantum pro læso valebat *spes* boni consequendi, si impeditus non fuisset; hoc autem judicio viri prudentis et spectatis omnibus circumstantiis æstimari debet, quia bonum in spe, v. g., lucrum a mercatore faciendum in aliqua negotiatione, non tanti valet et æstimatur quanti bonum in re, idque propter periculum, laborem, expensas, quibus subjicitur.

249. — Hinc 1. *tenetur* ad restitutionem, qui impedit alium per vim ne prosequeretur quod *legitime* consecutus fuisset; similiter si illum impedivit per fraudes, mendacia et dolum, v. g., qui fraude impedivit, ne quis testamento suo aliquid amico suo legaret. Item, ad restitutionem tenetur qui per vim, vel fraudem, vel mendacium impedivit Collatorem ne Beneficium vel Officium alicui conferret.

250. — Hinc 2. *non tenetur* ad restitutionem qui alium impedivit a consecutione boni quod legitime possidere non poterat, sive ex bono zelo, sive ex pravo affectu, v. g., si quis ex odio impediat ne Beneficium conferatur indigno vel minus digno, ut scilicet conferatur digniori.

251. — Hinc 3. *non tenetur* ad restitutionem, qui alium a consecutione boni ex justitia non debiti impedivit tantummodo per preces, blanditias et suasiones, quia preces et suasiones non sunt *in se* injustæ.

252. — *Quæritur* ad quid teneantur damnificatores dubii? *Resp.* Dubium spectare potest existentiam, injustitiam, culpabilitatem et efficaciam actionis. Probabilistæ censent dubitantes quoslibet ad nihil teneri, probabilioristæ illos obligant ad restituendum pro rata dubii, saltem si dubium non versetur circa existentiam actionis.

ARTICULUS III

De circumstantiis Restitutionis.

Præcipuæ restitutionis circumstantiæ his verbis exprimuntur : quantum et quo ordine restitues, cui, quo loco, quo tempore, quomodo? Unde.

§ I. *Quantum sit restituendum, et quo ordine.*

253. — Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptæ, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in injuriam proximi, ut patet ex dictis. De sola

autem solidaritate speciales occurrunt difficultates, et ideo de ea solum specialiter agemus.

Solidaritas seu obligatio restituendi *in solidum*, est onus incumbens variis cooperatoribus integrum damnum erga læsum reparandi

Duplex distinguitur solidaritas, scilicet, *absoluta*, quæ locum habet quando quis tenetur solus damnum reparare; *conditionata*, ex qua singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis singulis cooperatoribus deficientibus. His positis, sit

PROPOSITIO PRIMA

254. — *Damnificatores qui ad injustam damnificationem* etiam sine conspiratione, ita concurrerunt, ut a singulis æque provenerit effectus, singuli in solidum ad totius damni reparationem obligantur. Certum est.

Etenim unusquisque tenetur ad reparationem damni in quod influxit : sed in his casibus singuli influxerunt in totum damnum, cum omnium actio una et eadem sit moraliter; ergo, etc.

Dixi 1 : in propositione, *qui ad injustam damnificationem concurrerunt;* nam si quis fuit tantum particeps prædæ, nullo autem modo sit causa injustæ acceptionis, v. g., qui comedit cum aliis cibos furtivos, si ad eorum furtum non cooperatus est, tenetur tantum restituere partem quam comedit.

Dixi 2 : *etiam sine mutua conspiratione;* quia, ex hypothesi, unusquisque fuit causa necessaria ad totum damnum; et ideo ad totum reparandum tenetur unusquisque.

Dixi 3 : *singuli in solidum*, ita ut si nullus restituere velit aut possit excepto uno, ille unus tenebitur restituere centum aureos, etiamsi cum decem hominibus damnum intulerit, salvo tamen recursu contra alios.

Extra hunc casum, controvertitur. Juxta plures, simplex concursus non sufficit ad obligationem in solidum, quoties cooperans *non influxit in determinationem aliorum, et quoties sine illius ope, vel alterius similem præstantis, nihilominus damnum ab aliis illatum fuisset*. Cæterum in foro civili

ad restitutionem in solidum tenentur omnes complices quicunque sint, modo efficaciter et culpabiliter actioni damnificativæ cooperati sint; nec solventi datur actio in alios complices quicunque sint.

Attamen, ut observant auctores, rudibus, si sint tantum causæ secundariæ, etsi teneantur in solidum, raro in praxi expedit manifestare obligationem ad totum, quia difficillime isti sibi persuadent sese teneri ad restituendam etiam partem a sociis suis ablatam. Imo, in hoc casu satis præsumi etiam potest dominos ipsos quibus restitutio facienda est, libenter consentire ut singuli restituant partem propriam, cum bene percipiant valde timendum esse ne restituant nihil omnino, si obligentur ad totum.

PROPOSITIO II

255. — *Damnificatores qui obligantur in solidum ad restitutionem, tenentur hoc ordine :* 1. *qui injuste rem detinet;* 2. *jubens seu mandans;* 3. *exsequentes;* 4. *omnes aliæ causæ positivæ;* 5. *denique negativæ causæ.*

Prob. 1ª *pars,* scilicet, eum qui *rem injuste detinet,* primario teneri ad restitutionem : quia injusta acceptio, et detentio est prima radix obligationis restituendi : si autem rem consumpsit, licet ex ea non sit factus ditior, tenebitur tamen primario et præ cæteris restituere. quia nova injuria non potest eum liberare a præcedenti obligatione.

Prob. 2ª *pars,* quod scilicet, post eum qui injuste accepit et detinet, *jubens* teneatur primario ad restitutionem totius damni; quia jubenti seu mandanti tota actio injusta tribuitur tanquam agenti et causæ principali, cum fiat ejus nomine; neque enim justum est ut ille obligationem et onus restituendi damni in alios rejiciat, qui commodi vel oblectamenti sui causa illud damnum fieri postulavit.

Prob. 3ª *pars,* quod scilicet *tertio loco* teneantur *exsequentes,* inter quos si unus *principalis* fuerit, ille tenetur primario ad restitutionem; quia cæteri cooperantes agunt tantum nomine principalis exsequentis, illique quodammodo deserviunt præstando obsequium, instrumenta, auxilium, etc.

Prob. 4ª *pars*, quod scilicet, exceptis his tribus, nempe raptore, jubente, et variis exsequentibus, inter reliquos *positive damnificantes*, unus non teneatur primario potius quam alter, sed omnes æqualiter teneantur; quia ex illis omnibus unus non servit alteri, nec agit alterius nomine, sed quilibet agit modo sibi proprio et independenter ab alio; ergo, etc. Unde consulens, v. g., non tenebitur primario restituere ante palpantem, nec vicissim, etc.; habenda est tamen ratio disparis influxus.

Prob. 5ª *pars*, quod scilicet *causæ negativæ* teneantur tantum in defectum positivarum; quia causa negativa tenebatur tantumi mpedire, ne alius damnum pateretur; ergo, quando damnum illatum reparatum fuit a causa positiva, ad nihil amplius tenetur causa negativa.

Utrum vero inter causas negativas statuendus sit aliquis ordo, non omnino constat. Videtur aliquando adesse posse, ita ut prius teneatur restituere qui primario tenebatur obsistere : v. g., si œconomus qui in aliqua domo tenebatur, non præcise gerere curam rei cujuslibet peculiaris, sed monere custodem particularem, officio defuerit, non tenebitur ad restitutionem nisi post custodem particularem, cujus negligentiam debebat impedire.

256. — Hinc 1. quando plures aliquod damnum inferunt ut causæ *æque principales*, omnes æque primario et in solidum tenentur ad restitutionem damni secuti, licet unus tantum inferat damnum et alii adjuvent.

257. — Hinc 2. si ille, qui injuste detinet, integre restituat, vel illi condonetur a creditore, cæteri qui cooperati sunt, non tenebuntur ad restitutionem, quia qui injuste detinet, tenetur primario ante omnes reliquos damnificantes.

258. — Hinc 3. si mandans seu jubens restituat, tunc ille qui injuste rem detinet, solus tenebitur ipsi totum refundere, reliqui vero damnificantes ad nihil tenebuntur.

259. — Hinc 4. si executor principalis restituat, tunc injustus detentor, et illius defectu mandans, tenebitur illi refundere seu restituere : si autem executori principali condonetur a creditore, tenebitur nihilominus domino restituere injustus detentor, et illius defectu mandans; reliqui vero ad nihil tenebuntur.

260. — Hinc 5. si unus ex reliquis positivis damnificatoribus, v. g., consulens, palpans, receptans, etc., totum damnum restituat, tunc injustus detentor, vel mandans, vel principalis executor, tenebitur totum ipsi refundere; vel eorum defectu, reliqui positivi cooperatores tenebuntur ipsi refundere, unusquisque pro rata, et secundum proportionem qua influxit in damnum; nam qui magis influxit, ad majorem restitutionem tenetur, quam qui minus.

261. — Hinc 6. quod si unus sociorum qui fuerunt *æque causæ principales* damni, totum restituerit, reliqui tenebuntur ei partem suam pro rata infundere : v. g., si tres simul intulerint damnum 300 aureorum, et unus in aliorum defectum plene restituerit, hic jus habebit repetendi a duobus sociis eorum portionem, id est, a singulis 100 aureos : quod si ex aliis duobus unus nolit aut nequeat suam portionem restituere, juxta plures alter tenebitur primo refundere 150 aureos, quæ est dimidia pars damni quod a duobus tantum solvi potest; quidam tamen negant damnificantes teneri erga se invicem in solidum. Si vero uni sociorum facta sit condonatio a creditore, reliqui duo tenebuntur tantum ad 200 aureos, quia tertia pars damni condonata est.

262. — Hinc 7. si aliqua ex causis positivis restituerit, tunc causa pure negativa ad nihil tenetur. Si vero aliqua causa negativa restituat, tunc aliæ causæ negativæ debent ipsi pro rata et proportione restituere, quando nulla est causa positiva quæ velit aut possit illi totum refundere, sicut debet.

§ II

Cui sit restituendum.

263. — Tria hic quæri solent : 1. cui restituenda sint bona certa, seu quorum certus est dominus; 2. cui restituenda sint bona incerta, seu quorum dominus ignotus est; 3. cuinam ex creditoribus restituendum sit, quando bona non sufficiunt omnibus debitis solvendis : verum cum in hac ultima questione potius agatur de solutione obligationum, quam de restitutione rei alienæ, et aliunde plura de creditorum privilegiis præsupponenda essent, quæ ad Tractatum *de Contractibus* pertinere nobis videntur, ideo hanc quæstionem expendendam illuc remittimus, n. 105.

NUMERUS PRIMUS

Cui restituenda sint bona certa.

PROPOSITIO

264. — *Bona certa ordinarie restituenda sunt justo possessori, cui rapta sunt, vel ei qui in jura illius succedit.*

Ratio est, quia restitutio sic fieri debet ut reddatur alteri, quod ipsi ex stricto jure debitum est : hoc autem fit quando possessori vel ei qui in jura illius succedit, tantum redditur, quantum ab eo fuerat acceptum, aut reparatur omne damnum ipsi illatum; ergo, etc.

Dixi 1 : *justo possessori;* unde si res accepta sit ab injusto et malæ fidei possessore, v. g., a fure, ordinarie non licet ipsi eam restituere, si exinde domino periculum immineat rem suam non recuperandi.

Utrum autem aliquando licitum sit rem emptam a latrone ipsi latroni restituere, ut pretium datum ab ipso repetatur, jam supra expendimus, n. 200. Quod si res aliena in potestate sit alicujus, qui eam bona fide emerit vel in nundinis, vel in venditione publica, vel a mercatore talia vendente, attendatur art. 2280.

Dixi 2 : *ordinarie restituendum esse justo possessori;* nam si quis periculum vitæ incurreret, vel damnum valde grave, tunc ad id non teneretur.

Dixi 3 : *vel ei qui in jura illius succedit*, scilicet, restituendum est 1. hæredi qui mortuo succedit, vel ab intestato vel cum testamento; 2. fisco, si bona restituenda illi acquisita fuerint post mortem illius, cui restitutio fieri deberet.

265. – *Quæritur* utrum fieri possit restitutio creditori sui creditoris? *Resp.* Quamvis fieri possit ut restituens creditori sui creditoris peccet, si absque ulla causa, et invito suo creditore, restituat, tamen satisfacit in foro conscientiæ, modo debitum sui creditoris sit liquidum et exigi possit, nec inde damnum patiatur suus creditor. Adverte tamen quod in foro externo valde foret periculosa talis restitutio; sic habet art. 1239 : « Le paiement fait à celui qui n'aurait pas pouvoir de recevoir pour le créancier est valable si celui-ci le ratifie ou s'il en a profité ; » ideoque in praxi non est consulendus ille restituendi modus.

NUMERUS II

Cui restituenda sint bona incerta.

266. — Diximus supra de thesauris, de bonis nuper amissis, derelictis, et vacantibus. De aliis ergo bonis incertis, quorum dominus ignoratur, nec inveniri potest, superest agendum. Hæc autem sunt duplicis generis; etenim, 1. quædam sunt injuste acquisita, v. g., furto vel usuris; 2. quædam accepta sunt bona fide in aliquo justo contractu, v. g., si quis a mercatore ignoto acceperit per errorem decem ulnas panni pro quinque ulnis.

267. — I. *Bona injuste acquisita, quorum dominus ignoratur, et facta diligentia inveniri non potest, restituenda sunt pauperibus vel in pias causas distribuenda.* Certum est.

Constat ex definitione Alexandri III, lib. 5 Decret., tit. 19. *de Usuris*, cap. *Cum in manifestos*, sic loquentis : « Fraternitati tuæ respondemus, quod sive ante, sive post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt... eas his, a quibus extorserunt, vel eorum hæredibus restituere, vel, his non superstitibus, pauperibus erogare. » Quam Alexandri III definitionem Theologi omnes extendunt ad acquisita non solum ex usuris, sed etiam ex aliis delictis, cum sit eadem ratio, ne videlicet hominibus iniquis permittatur ex iniquitate et injuriis ditescere. Aliunde facile

admittetur non esse voluntatem præsumptam domini, ut res injuste accepta a fure retineatur. Tandem his rationibus accedit Ecclesiæ praxis.

268. — II. *Bona incerta sine delicto acquisita, quorum dominus inveniri nequit, habenda sunt ut res nuper amissæ.* Scilicet, vel sunt in pios usus eroganda, vel a possessore retineri possunt, prout alterutri ex duobus opinionibus supra expositis adhærebit, n. 110. Manifestum est multo favorabiliorem esse istius possessoris causam quam præcedentis.

Attamen in utroque casu tria sunt advertenda.

1. *Si dominus saltem in confuso cognosci possit*, tunc illa bona non censebuntur incerta : v. g., si quis sciat rem pertinere ad alterutrum ex duobus indeterminate, debet rem inter illos dividere pro rata et proportione dubii; item si multi cives sint læsi, v. g., in deprædatione civitatis, debet fieri restitutio ipsis læsis quantum fieri potest; item qui parva mensura defraudavit, debet ipsis defraudatis restituere inquantum poterit, v. g., vendendo postea majori mensura, donec veniatur ad æqualitatem.

2. Antequam hujusmodi bona incerta pauperibus distribuantur vel in proprios usus adhibeantur, debet fieri inquisitio, quæ viri prudentis judicio censeatur sufficiens *pro rei qualitate;* nam quando res est magni pretii, tunc certe major debet præmitti inquisitio, et pluribus in locis, et longiori tempore.

3. Si quis bona incerta, ante debitam diligentiam in proprios vel etiam in pios usus consumpserit, postea domino comparenti tenebitur æquivalens restituere, ut consentiunt omnes Doctores. Si vero debitam adhibuit diligentiam, non tenebitur nisi in quantum ditior factus est.

§ III

In quo loco restituendum sit.

Triplici modo potest quispiam obligari ad restitutionem : 1. ratione rei acceptæ; 2. ratione injustæ acceptionis vel damnificationis; 3. ratione contractus. Quibus prænotatis,

269. — I. *Obligatus ad restituendum ob rem acceptam quam antea bona fide possidebat, tenetur tantum restituere in loco ubi res est, quando incipit cognoscere hanc non esse suam; non vero tenebitur eam suis expensis ad dominum mittere.*

Ratio est quia bonæ fidei possessor, sicut ex re aliena ditari non debet, sic nec detrimentum pati : quod tamen fieret, si rem alienam propriis sumptibus alio transferre cogeretur. Vide dicta n. 198.

Colliges, pro praxi, quod ubi quis cognoscit se possidere rem alienam, debet dominum absentem monere quid velit fieri de re sua; ea vero res interim tuto custodiatur, sed expensis domini. Hæc enim duo exigit æquitas, et jus civile confirmat; art. 550.

270. — II. *Obligatus ad restituendum propter injustam acceptionem, tenetur propriis expensis res restituendam eo transferre ubi dominus eam possideret, si ablata non fuisset, deductis tamen expensis quas dominus facere debuisset in re sua transferenda.*

Ratio est quia injustus detentor tenetur de toto et solo damno quod intulit. Advertendum tamen quod, quando sumptus transvectionis multo majores sunt quam res valeat, tunc *ordinarie* sufficit valorem transmitti ad dominum.

Dixi : *ordinarie*, quia ex speciali ratione res potest esse adeo cara domino, ut æquivalens non reputetur intrinsecum pretium rei. Tunc detentor ad impensas majores tenebitur, etiam in foro conscientiæ, saltem si hanc circumstantiam satis prævideriit.

271. — III. *Restitutio ratione contractus facienda est in loco, de quo expresse vel tacite conventum est.*

Ratio clara est, quia tunc obligatio restituendi oritur ex mutua partium conventione inter se; ergo restitutio facienda est in loco ubi expresse vel tacite conventum est inter contrahentes.

Advertendum quod, si non sit facta expressa conventio loci ubi res est restituenda, tunc spectanda est materia cujuscunque contractus, et servandæ sunt leges unicuique contractui propriæ, de quibus in sequenti Tractatu.

§ IV

Quo tempore restituendum.

PROPOSITIO

272. — *Obligatus ad restituendum debet restituere quamprimum fieri potest, moraliter loquendo, nisi rationabilis causa excuset; alioquin tenebitur reparare damnum emergens ex tali mora.*

Ratio est quia præceptum restituendi vel est præceptum negativum, vel saltem includit præceptum negativum, scilicet non retinendi rem alienam. Præcepta autem negativa obligant semper et pro semper : et sane jus naturale exigit ut non retineatur, nequidem ad tempus, res aliena invito rationabiliter domino. Unde fit ut qui, habens opportunitatem restituendi, retinet alienum, non potest, aut non debet ordinarie absolvi, ut dictum est in Tract. *de Pœnit.*, n. 198, quia est in continua transgressione obligationis quæ semper urget.

Aliqualis autem dilatio restitutionis, in eo qui vul restituere, non est *per se* peccatum mortale, modo grave absit periculum restitutionis postea non faciendæ, nec ex dilatione grave damnum domino impendat.

Dixi 1 : *quamprimum fieri potest moraliter loquendo :* quia omnes consentiunt illud, *quamprimum*, non esse intelligendum physice vel mathematice, sed moraliter tantum, id est, prima data opportunitate, et absque notabili mora voluntaria; censetur autem mora notabilis, proindeque peccatum mortale in materia gravi, cum quis non vult restituere, vel primo, nisi coactus a Judice; vel secundo, nisi creditor exigat, quem tamen scit non audere vel exigere non posse; vel tertio, si nolit restituere, nisi per partes singulis mensibus aut annis, idque nolente creditore, et sine causa; in his enim omnibus graviter peccat debitor, quia creditor censetur rationabiliter et graviter invitus.

Dixi 2 : *alioquin tenebitur restituere damnum emergens domino ex tali mora graviter culpabili.* Ratio clara est, quia tunc debitor est vere causa efficax et injusta hujus damni.

273. — *Quæritur* utrum creditor debeat monere debitorem de damno emergente, ad hoc ut debitor qui est in mora culpabili, sit obligatus ad illud reparandum?

Resp. Non necesse est monere quoad damnum *ordinarie* emergens, tunc enim debitor est sufficienter admonitus; si vero agatur de damno emergente *extraordinario,* et debitor admonitus solutionem debiti accelerasset, multi Doctores putant debitorem non teneri ad restitutionem illius damni extraordinarii, præsertim si facile moneri potuisset a creditore; tunc enim iste censetur causa proprii damni.

§ V

Quomodo sit restituendum

Per *modum* restitutionis intelligitur quælibet circumstantia quæ non respicit locum et tempus, v. g., *publicitas, medium* quo debitor utitur ut damnum reparetur, *monitio* facta creditori, *intentio æquivoca* restituentis, etc.

PROPOSITIO

274. — *Ad restitutionem,* ut talem, *sufficit ut fiat eo modo, quo justitia stricta plene seu ad æqualitatem reparetur, et sic dominus læsus omnino indemnis fiat.*

Ratio est, quia restitutio *per se* non respicit nisi reparationem juris *stricti;* si qua vero alia virtus simul cum justitia stricta violata fuit, v. g., caritas per scandalum, damnum illud accessorium non vitiat restitutionem, etiamsi, ut oportet, non reparetur.

Hinc 1. ad restitutionem nihil refert an fiat *secreto* vel *publice;* imo restitutio publica ordinarie non potest juste exigi, quia sine ratione sufficienti honor et fama restituentis læderetur. Non refert 2. an quis *per se vel per alium restituat.* Hinc autem notant auctores caute admodum suscipiendum esse a Confessario munus restitutionis faciendæ, ne forte indirecte violetur sigillum confessionis, vel ipse Confessarius in suspicionem improbitatis veniat. Nec 3. necesse est ut restitutio fiat *domino advertenti :* observandum tamen interdum esse conveniens ut moneatur dominus, vel advertat sibi factam fuisse restitutionem, nempe, si alias

esset in proposito utendi compensatione pro debito quod putat non solutum, vel si existimans quod restitutio sit *liberalis donatio*, inducatur ad redonandum quid simile; in isto casu restituens illud munus non posset sibi retinere, quia donatio non est satis spontanea.

275. — *Quæritur* utrum de novo restitutio facienda sit aliquando a debitore, quando res debita non pervenit ad creditorem?

Res vel est debita ratione delicti, v. g., furti aut injustæ damnificationis, vel ratione contractus, v. g., emptionis, mutui, etc.; sed etiam res vel debetur par numero, vel solum eadem specie. His prænotatis :

Resp. 1. Si res debita sit ratione *delicti*, tunc quacunque ratione pereat, antequam perveniat ad creditorem, debitor tenetur de novo restituere, sive res debeatur eadem numero, sive non. Ratio est, tum quia æquum non est ut innocens damnum patiatur ex delicto alterius, tum quia debitor suo delicto fuit causa efficax damni; ergo tenetur ad reparationem illius damni nondum reparati. Unde S. Antoninus, part. 2, tit. 3, cap. 4. § 1, ait : « Caveat etiam diligenter restituens, quod cum per alium restitutionem facit, ita faciat caute, quod is recipiat cui debet, et non ille sibi retineat, quia non esset propter hoc liberatus. » Excipe si debitor rem tradidisset persone *a creditore* aliquo modo probatæ aut a judice designatæ; tunc enim non teneretur ad restitutionem de novo faciendam.

2. Si debitum non sit ex aliquo delicto, sed ex possessione bonæ fidei, examinandum est an res quæ restituebatur, eadem *numero* redderetur creditori; tunc enim si fortuito illa periit et sine ulla culpa debitoris, debitor ad novam restitutionem non tenetur, quia *res domino suo perit*. Si autem res quæ reddebatur, non erat eadem numero, sed tantum in *specie* vel æquivalenti, ut pecunia ex bovis venditione, tunc etiam pro creditore perit, quia possessor *ditior non factus est*, nec supponitur graviter negligens : unde ad novam restitutionem non tenetur. De debito ex contractu, in sequenti Tract. dicemus.

ARTICULUS IV

De Causis excusantibus a Restitutione.

276. — Duo sunt genera causarum excusantium a restitutione : aliæ enim solum *ad tempus* excusant, aliæ vero *in totum* et omnino excusant. Itaque

§ I

De Causis ad tempus excusantibus.

Duæ sunt causæ propter quas licitum est ad tempus restitutionem differre, nempe, 1. impotentia debitoris; 2. damnum ipsius creditoris aut alterius personæ.

NUMERUS PRIMUS

De Impotentia Debitoris.

277. — *Quæritur* quotuplex esse possit impotentia debitoris?

Resp. Impotentia restituendi alia est *physica* seu *absoluta* et *omnimoda*, quando, scilicet, debitor nullo modo potest restituere, quia v. g., nihil habet unde restituat. Evidens est autem hanc impotentiam, quandiu durat, excusare debitorem a restitutione, quia ad impossibile nemo tenetur.

Alia vero impotentia, de qua sola difficultas superest, est ea quæ dicitur *moralis*, quando, scilicet, debitor potest quidem absolute restituere, sed *non sine magna difficultate*, seu incommodo; et id duplici modo contingere potest : 1. scilicet, propter indigentiam et necessitatem præsentem, sive extremam, sive etiam gravem, v. g., morbi, nuditatis, famis, alteriusve magnæ inopiæ, spectato statu personæ; 2. propter notabile damnum ex restitutione sibi obventurum in bonis fortunæ, vel in bonis ordinis superioris, scilicet, vel in fama et honore, vel in vita, vel etiam in salute.

PROPOSITIO

278. — *Qui non potest restituere, quin se vel suos in extremam aut etiam gravem necessitatem conjiciat, aut magnum damnum in rebus suis non debitis patiatur, excusatur a resti-*

tutione statim facienda, nisi ex dilatione dominus similem pateretur necessitatem.

Prob. 1° Quoad *extremam necessitatem*, quia in extrema necessitate jure naturali omnia sunt aliquatenus communia, saltem quoad usum, ita ut quilibet in ea necessitate constitutus possit rem alienam sibi necessariam occupare; ergo a fortiori potest eam retinere.

2° Quoad *gravem necessitatem et damnum notabile*, quia creditor non esset rationabiliter invitus. imo contra caritatem ageret, si vellet statim sibi restitui cum tanto alterius incommodo; et hoc verum est etiamsi restitutio debeatur *ex delicto;* quia erga ipsos delinquentes observanda est lex caritatis et æquitatis, ut jam dictum est, ubi de *possessore malæ fidei.*

Dixi 1 : *quin se vel suos in necessitatem conjiciat;* id est, eos qui ipsi *arcte* conjuncti sunt, v. g., pater et mater, filii, conjux; quidam Doctores cum Cardinali Toleto, addunt etiam fratres, saltem *si sint* ætate *minores*. Ratio est quia harum personarum necessitas censetur damnum proprium ipsius debitoris.

Dixi 2 : *aut magnum damnum, in rebus propriis non debitis patiatur;* illam autem quantitatem damni explicant communiter Doctores de damno quod est saltem duplo majus quam damnum creditori obventurum ex dilatione solutionis, ita ut si ex dilatione solutionis creditor patiatur damnum centum aureorum, tunc debitor non possit differre hanc solutionem, nisi ex ejusmodi solutione ipsi obveniat saltem damnum ducentorum aureorum, idque *in rebus non debitis;* quia ille non censetur pati damnum in rebus suis, qui se privat pecunia aliena et lucro exinde percipiendo. Præterea, si restitutio dilata sit a debitore solummodo ad vitandum damnum pecuniarium, ut in exemplo allato, tunc debitor debet compensare damnum quod creditori provenit ex dilatione restitutionis, alioquin creditor esset rationabiliter invitus.

Attamen si debitor sit *paratus* ad reparandum *quodcunque* damnum creditori imminens ex dilatione, et *moraliter certum sit* se revera reparaturum, differre posset restitutio-

nem, etiamsi duplo minus futurum sit ipsius damnum; tunc enim dominus præsumi potest non invitus, saltem graviter.

Dixi 3 : *nisi ex dilatione dominus similem necessitatem pateretur;* saltem si agatur de necessitate solum gravi, quia in pari causa melior est conditio creditoris quam debitoris; et multo magis innocentis quam nocentis, si debita sint ex delicto.

279. — Hinc 1. potest differri restitutio propter *magnum* in *bonis animæ* periculum, quod alia via averti non potest, v. g., propter periculum peccandi. Idem dici potest de gravi periculo suorum, v. g., ne filii se dent latrociniis, et filiæ vitam impudicam agant.

280. — Hinc 2. restitutio potest differri ob imminens ac notabile detrimentum in *bonis corporis*, v. g., ob mutilationem alicujus membri, vel ob periculum vitæ : quia hæc bona sunt superioris ordinis, quorum notabilem jacturam pati nemo absolute tenetur pro aliorum bonis inferioribus. Idem dici potest de notabili jactura famæ et honoris. Sed cavendum ne facilius admittatur talis excusatio, et nimium exaggeretur proprium detrimentum.

281. — *Quæritur* 1° utrum gravatus ære alieno possit ingredi religionem, cum periculo nunquam restituendi?

Resp. 1. Si nulla sit spes probabilis debitorem in eeculo manentem futurum esse debitis suis solvendis parem, potest religionem ingredi : tunc enim parvi interest creditores, an remaneat in seculo, necne, ac proinde illud exigere nequeunt. Id admitunt omnes, et per se patet.

2. Si spes adsit debita brevi tempore esse solvenda, tenetur debitor ingressum suum in religionem differre, v. g., uno aut altero anno. Ratio est quia illa dilatio, plerumque saltem non est detrimentum ita grave, ut dispenset a restitutione, quæ stricte debetur. Illud expresse a pluribus admittitur, nec putamus esse contra aliorum mentem.

3. Si non nisi post longum tempus debitor possit creditoribus suis satisfacere, multis videtur eum non teneri *ex jure naturali* ad differendum ingressum in religionem, quando putat se ad eam vocari, saltem si remanenti in seculo grave salutis periculum immineat. Nam debitor excusatur a restitutione per impotentiam moralem, seu quando restituere nequit sine graviori suo damno : atqui talis est casus de quo agimus.

Alii negant, eo quod in concursu præcepti et consilii incompossibilis, servandum est præceptum : atqui religionem ingredi est consilium, debita solvere est præceptum; ergo tenetur debitor adhibere media necessaria ut restituat, proinde in seculo remanere. Cæterum plurimi SS. Pontifices declaraverunt illicitam esse professionem eorum, qui ingenti ære alieno gravati sunt aut reddendis obligantur rationibus.

282. — *Quæritur* 2° an, qui propter impotentiam moralem hactenus explicatam, distulit restitutionem, teneatur reparare damnum emergens vel lucrum cessans?

Resp. 1. Ex communi sententia, *debitor ex delicto* tenetur ad hujusmodi reparationem, quia nempe hoc totum provenit ex ejus culpa et injuria præterita; neque refert quod aliquando id proveniat immediate ex mora tunc inculpabili, quia hæc mora fuit culpabilis in sua causa et radice, modo tamen aliquo modo, saltem confuso, damnum fuerit prævisum.

2. Debitor *ex possessione* non tenetur ad *interesse* restituendum, si dilatio nullo modo sit culpabilis; nisi, ut supra diximus, restitutio dilata sit tantummodo ad vitandum damnum pecuniarium, et creditor simile damnum passus fuerit, quia non est æquum ut debitor se servet indemnem cum damno creditoris.

283. — *Quæritur* 3° utrum, qui non potest restituere, quin excidat notabiliter et cum magno dedecore a proprio statu, possit restitutionem differre?

Resp. 1. Si statum, quem obtinet, juste acquisierit, tenetur primo minuere expensis in victu, vestitu, etc, ut paulatim restituat : sed non tenetur abjicere omnem famulatum, dummodo subtrahat ea quæ non sunt absolute statui necessaria : unde Magistratus, v. g., non tenetur artem mechanicam obire ad hoc ut rem alienam statim restituat. Ratio est quia expedit bono communi, ut talis non imponatur obligatio.

2. Si ille vir suum statum injuste acquisierit, v. g., per usuras, rapinas, etc., tenebitur illum statum dimittere, quia tunc non proprium statum dimittit, sed potius alienum, ut ad suum revertatur. Similiter, si quis non ex

infortunio, sed ex sua culpa, v. g., ludis, comessationibus, expensis superfluis, multa debita contraxerit, quæ non potest restituere, nisi proprium statum dimittendo, secundum multos Doctores tenetur statum etiam juste obtentum dimittere, sibique imputare debet tale damnum; et vero pejor esse debet istius conditio quam præcedentis; unde ad majorem status imminutionem tenetur.

284. — *Quæritur* 4° an, qui non potest restituere in eodem genere bonorum, teneatur restituere in alio?

Resp. Controvertitur, et utrinque afferuntur rationes et auctoritates non contemnendæ : inter illas opiniones videtur magis consentaneum innato cuidam æquitatis sensui, ut adsit obligatio restituendi in diverso genere bonorum, quando, *attentis variis circumstantiis*, bona inferioris ordinis censentur in *æstimatione communi* compensare *aliquatenus* bona superiora; et, aliunde nullum est incommodum in hujusmodi compensatione qualicunque admittenda.

Hinc, in casibus particularibus, attendendum est ad hæc tria : *ad naturam bonorum, ad qualitatem personarum, ad bonum publicum seu ad bonos mores*, qui aliquando periclitarentur, si pro quibusdam damnis, v. g., pro adulterio, admitterentur pecuniariæ compensationes. Et vero bona apud homines spectari solent non tam in se et physice, quam in *ordine ad felicitatem naturalem et jucunditatem, quæ inde percipitur :* porro ad hanc perveniendi non una est ratio; si læsus non possit pervenire per unam, poterit per aliam; et sic obtinebitur finis justitiæ, non perfecte quidem, sed aliquo modo tamen et quantum fieri potest; ergo diversæ naturæ bona aliquo modo compensantur. Vide n. 301.

285. — *Quæritur* 5° an cessio bonorum, quæ in jure conceditur debitoribus, qui debita solvere non possunt, eos excuset ab obligatione restituendi, si postea ditiores fiant?

Resp. In *foro conscientiæ* hæc cessio bonorum non magis excusat, quam sola necessitas; unde non tollitur obligatio restituendi : idemque dicendum est in foro externo, juxta

art. 1270 Cod. civ.; excipe tamen casum *expressæ* renuntiationis ex parte creditorum.

NUMERUS II

De Damno Creditoris vel alterius tertii.

PROPOSITIO

286. — *Potest, et interdum etiam debet differri restitutio ad vitandum certum damnum spirituale vel temporale, sive ipsius creditoris, sive alterius personæ.*

Ita communiter Doctores. Ratio est, 1. quia tunc creditor non est rationabiliter invitus; 2. quia debemus damnum proximi impedire, saltem quando commode possumus. Sic, v. g., differri potest restitutio juveni nebuloni. qui pecuniam mox dissipaturus prævidetur.

287. — *Quæritur* quid sit agendum, si creditor rem suam instanter petat, et nullo modo velit concedere dilationem restitutionis?

Resp. 1. Si creditor re sua sit abusurus in *alterius damnum*, conveniunt communiter Theologi debitorem teneri, etiam ex justitia, restitutionem differre, quatumcunque rem suam petat creditor. Ratio est, quia debitor restituendo rem cooperatur tanquam participans, et velut instrumenta subministrans ad inferendum alteri damnum. Illud tamen intelligendum est, dummodo ex tali dilatione non immaneat grave damnum ipsi debitori. Cum enim restitutio sit actus *in se* indifferens, imo ex natura sua bonus et debitus, poni poterit, si adsit ratio sufficiens, ut supra dictum est, ubi de *participante*, n. 242 : porro ratio sufficiens adest in gravi damno ipsi debitori imminente; ergo, etc.

2. Si creditor rem suam petat solummodo *ad suum damnum*, sententia communis est debitorem teneri, generatim loquendo, *ex caritate* differre restitutionem, si sine magno suo incommodo possit.

Nec obstat quod res sit stricto jure debita petenti; cum enim creditor id non possit a debitore exigere quod isti

prohibet caritas, jus quod habet rem suam exigendi vere *suspenditur* in iis circumstantiis, in quibus vult ea proxime abuti, nec est proinde rationabiliter invitus.

§ II

De Causis omnino excusantibus a Restitutione.

288. — Causæ legitimæ quibus *omnino tollitur* obligatio restituendi, possunt ad tres revocari : 1ª est remissio seu condonatio creditoris ; 2ª est auctoritas publica potestatis ; 3ª est, juxta quosdam, solutio probabiliter facta. De compensatione jam dictum est n. 179.

NUMERUS PRIMUS

De Remissione seu de Condonatione Creditoris.

PROPOSITIO

289. — *Remissio seu condonatio debiti plene liberat ab obligatione restituendi, dummodo facta sit omnino voluntarie, et a Jure non sit impedita.*

Ratio est, quia remissio debiti est donatio debitori facta a creditore, ratione cujus exstinguitur debitum, modo conditiones donationum in ea reperiantur. Itaque

Dixi 1 : *dummodo remissio facta sit omnino libere et voluntarie ;* quia si aliquo modo sit involuntaria, omnes conveniunt eam non liberare ab obligatione restituendi. Unde 1. remissio facta per errorem non sufficit, v. g., si creditor ignorans quantitatem debiti, et falso putans esse parvi momenti, illud condonet debitori. 2. Non excusat remissio extorta per vim aut metum sive levem, sive gravem : v. g., si creditori expresse vel tacite fiant comminationes alicujus mali vel amissionis totius debiti, nisi ex parte remittat. Item, si creditor cogeretur multas subire molestias et importunitates, ad quas vitandas mavult partem debiti remittere. 3. Non excusat remissio obtenta per fraudem seu dolum, v. g., si quis fingat se longe pauperiorem, quam sit.

Dixi 2 : *dummodo remissio a Jure non sit impedita,* quia Jus impedit quasdam personas donare bona sua : v. g., pupillos, uxores, interdictos. Item in Concilio Trid. irrita-

tur distributionum remissio facta Canonico absenti a præsentibus.

290. — *Quæritur* an excuset a restitutione condonatio præsumpta?

Resp. Affirmative probabilius, si tamen condonatio vere rationabiliter præsumatur. Etenim, omissio restitutionis non est injusta, nisi fiat invito domino vel creditore : porro non fit invito domino et creditore, si fiat ex illius voluntate *rationabiliter præsumpta*. Ex hoc capite plures excusantur a restitutione facienda, ut filii-familias, quando furantur patri non notabilem summam, domestici quando consumunt esculenta communia. Sed observandum est, non sufficere quamcunque probabilem præsumptionem, quia nimia janua panderetur furtis et injustitiis, sed requiri præsumptionem moraliter certam aut longe probabiliorem, præsertim in rebus gravis momenti.

NUMERUS II

De auctoritate publicæ Potestatis.

291. — Hic dicendum habemus de sententia Judicis quæ est vel mere declaratoria, vel punitoria seu melius *compensatoria*. Itaque,

292. — I. *Si restituendi obligatio sit vere dubia, nec debitor ulla fraude usus sit, sed media tantum adhibuerit, quæ in Jure permittuntur, sententia Judicis declaratoria a restitutione eximit.*

Ratio est, quia ad Judices pertinet decisio dubiorum, et bonum publicum exigit ut eorum sententiæ quisque teneatur obsequi.

Dici : *si obligatio sit vere dubia;* nam si debitori moraliter certa esset, ad restitutionem ille teneretur, non obstante sententia Judicis, quæ niteretur in falsa præsumptione facti, non veritate, vel probabilitate requisita; aliunde, in nullo casu, lex intendit transferre dominium debitori *malæ fidei*.

293. — II. *Sententia compensatoria, quæ per modum pœnæ seu mulctæ statuit liberum esse debitorem, eximit a restitutione.*

Ratio est, quia Judicis sententia sequitur auctoritatem legum transferentium dominium ob bonum commune; ergo, cum Judex imponit alicui mulctam in favorem alterius, qui injuriam passus est, ille cui hujusmodi mulcta adjudicata est, non tenetur eam restituere, licet ante sententiam Judicis strictum jus ad eam non haberet; et proinde poterit per eam compensari, sive juridice, sive occulte, æquivalens debitum.

NUMERUS III

De Restitutione dubie peracta.

294. — *Quæritur* an debitor excusetur a restitutione, in dubio circa restitutionem jam a se vel ab alio peractam?

Resp. Tres casus fingi possunt : vel enim 1. adest dubium mere negativum, vel 2. æquiprobabilitas, vel 3. probabilioritas ex una parte.

1. In *dubio mere negativo*, id est, quando nulla adest ratio positiva credendi restitutionem esse jam factam, præsumptio in omni casu stat contra debitorem. Unde minime excusatur a totius debiti restitutione. Ita omnes.

2. In *æquiprobabilitate* seu dubio *stricte* dicto, controvertitur, etiam apud æquiprobabilistas, Prima sententia negat debitorem excusari, etiam ex parte, tum quia non satisfacit obligationi certæ per impletionem dubiam, tum quia debitor invigilare tenetur ut restitutio certo fiat; unde exortum dubium imputandum est ipsius negligentiæ, ex qua damnum pati non debet creditor. Ita S. Lig., de Lugo et multi alii. Cæteri æquiprobabilistæ fatentur, contra probabilistas, restitutionem deberi, sed solum *ex parte* et pro *rata dubii*, saltem si uterque dubitat; quia cum creditor non habeat jus nisi *probabile*, non videtur æquum ut tantum illi solvatur quantum solveretur, si jus certum haberet; isti, ut patet, non adeo urgent hac in re principium *melior est conditio possidentis*, quod S. Ligorius et ejus schola rigorose applicant.

3. Si *major probabilitas sit in favorem creditoris*, seu contra peractam restitutionem, quamvis sit aliqua ratio *positiva* in favorem debitoris, tunc *communissime* tenent auctores, *etiam probabilistæ*, debitorem ad quamdam restitutionem teneri; unde contraria quorumdam opinio qui debitorem *omnino* eximunt non est in praxi admittenda, aiunt auctores minime rigidi, quia, quidquid sit de controversia in aliis rebus, ubi agitur de solo licito vel illicito, in materia justitiæ militant rationes speciales pro obligatione saltem *partiali;* justitia enim stricta exigit ut æqualitas non violetur vel restituatur, et proinde jus prout est, servetur, Dicitur : *saltem partiali;* quia in hoc casu, sicuti in præcedenti, pluribus etiam ex æquiprobabilistis sat æquitati consonum videtur, ut obligatio quoquomodo dubia, non omnino æquiparetur certæ.

Sed *si debitori faveat major probabilitas*, et ille sit aliunde probus et diligens in debitis solvendis, tunc inquietandus non est, et probabilitas contraria practice contemni poterit : illud exigit et æquitas, et tranquillitas conscientiarum, et confirmant principia statuta contra tutioristas, in Tract. *de Act. humanis*, n. 137. Ita fert praxis communis.

CAPUT II

DE RESTITUTIONE IN SPECIE

295. — Quæcunque diximus de restitutione in genere, cuilibet restitutioni conveniunt; sed quædam sunt injuriarum species, quarum reparatio difficilius vel determinatur vel peragitur, illæque spectant bona sive interna sive externa, nempe bona animi, corporis, et famæ; itaque de his in tribus articulis dicemus; in quarto de restitutione erga Statum, seu de tributis.

ARTICULUS PRIMUS

De Restitutione ob damnum illatum in bonis animi.

296. — *Quæritur* quænam sint bona animi, an et quomodo adesse possit ratio restitutionis ob damnum illatum in his bonis?

Resp. Bona animi sunt vel *supernaturalia*, ut fides, gratia, sacramenta, status pius et religiosus; vel *naturalia*, ut facultates mentis, nempe intellectus, memoria, vel cognitio veritatis seu rerum notitia.

1° Quoad bona supernaturalia et ad virtutem pertinentia, duo statuuntur.

1. *Qui vi aut fraude, vel etiam omissione diligentiæ ex officio debitæ*, damnum circa bona hujusmodi alteri infert, contra justitiam peccat, et proinde tenetur ad reparationem damni. Hæc autem reparatio multipliciter fieri potest scilicet, vim ac seductionem tollendo, fraudem ac errorem aperiendo, læsum inducendo ad pœnitentiam, et Deum orando pro ejus conversione. At vero, si damna temporalia reparanda sunt, quanto magis spiritualia? Si quæ autem damna temporalia secuta sunt et secutura prævisa sint vel prævideri debuerint, illa reparari debent, siquidem ex actione vel omissione injusta directe orta sunt.

2. *Qui sine vi, fraude, metu aliove medio injusto*, sed v. g., consiliis vel precibus, aliquem ad peccatum induxit, tenetur, juxta omnes, *ex caritate*, illum ad meliorem frugem adducere. Sed pluribus non videtur teneri ex justitia quia *scienti* et *volenti non fit injuria*. Quidam tamen affirmant, quia in iis quæ spectant ad salutem animæ, nemo valide potest de jure suo cedere. Quidquid sit, fatentur omnes hujusmodi seductorem ad majus erga seductum teneri quam cæteros homines; utrum sub gravi præscribatur excessus ille, disputatur. Sed si perficiatur, ut oportet, officium caritatis, parum ordinarie deerit debito justitiæ; unde, in praxi non tanti momenti videtur controversia.

Hinc qui per *vim*, *metum*, vel *fraudem* aliquem ab ingressu religionis impedivit, aut ad deserendam religionem induxit, ex stricta justitia tenetur omnem fraudem et dolum amovere; quisque enim jus habet ne injuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur. Teneri etiam potest erga communitatem.

2° Quoad *bona animi naturalia*. 1. Qui alium læsit in facultatibus mentis, eum privando ratione, memoria, tenetur reparare quidquid in hujusmodi damnis reparabile est.

2. Qui *vi* aut *fraude* impedivit ne alter scientiam, artem addiscat, vel alios doceat, tenetur ex justitia obstaculum amovere, et damna temporalia, si quæ ex eo suborta sint, reparare.

3. Si quis *voluntarie* alterum in errorem induxit per *mendacium*, contra justitiam deliquit, et tenetur per se ad errorem detegendum, nisi sit causa excusans. Obligatio tamen non est gravis, si mendacium non sit graviter nocivum.

4. *Qui ex officio docere debet* aliquem artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quosdam, etiam inculpabiliter, admiserit, qui sint alicujus momenti, et possint sine gravi incommodo reparari. Si vero peccaverit ex *negligentia* graviter *culpabili*, tunc ad restitutionem damni temporalis, si quod evenerit, tenetur. Secus autem, si quis gratuito et sine obligatione pacti vel officii male doceret ex ignorantia vel negligentia, *seclusis fraude et dolo;* posset tamen et ipse teneri aliquando ad monendum delusos.

Quam difficilis sit hujusce damni supernaturalis vel naturalis reparatio, et damni temporalis quod sæpissime ex spirituali consequitur, æstimatio, nemo non videt; unde valde timenda sunt illa injustitiæ peccata, et non leviter a Confessariis tractanda circa *scandalum*.

ARTICULUS II

De Restitutione ob damnum in bonis corporis illatum.

Bona corporis dicuntur vita, membra, sanitas, virginitas, et conjugalis castitas; in his multipliciter lædi potest proximus, nempe 1. per homicidium, et mutilationem; 2. per fornicationem; 3. per adulterium, ex quibus sequitur damnum sive naturale, sive temporale. Hinc triplex paragraphus.

§ I

De obligatione restituendi damnum ex homicidio et mutilatione secutum.

Tria hic examinanda sunt : 1. ex quo homicidio oriatur obligatio restituendi damnum ex illo secutum; 2. quodnam damnum restituendum sit; 3. quibus restitui debeat.

NUMERUS PRIMUS

Ex quo homicidio oriatur Obligatio restituendi.

PROPOSITIO

297. — *Ex omni et solo homicidio injusto et voluntario oritur obligatio restituendi seu compensandi damnum secutum.* Certum est.

Ratio est quia in homicidio (idemque dicendum de quacunque corporis læsione vel mutilatione) reperitur tantum una radix obligationis restituendi, scilicet, damnificatio, quæ ut obliget ad restitutionem, debet esse injusta et damnosa, ita ut ex ea damnum per se sequatur contra justitiam, ut diximus supra, et insuper culpabilis ac proinde voluntaria; ergo, etc.

Dixi 1 : *ex homicidio injusto*, quo scilicet, peccatur contra justitiam respectu illius qui occiditur. Unde qui justæ defensionis causa alium occidit sive mutilat, ad nullam tenetur restitutionem.

Si vero, se defendendo, excesserit *notabiliter* justam moderationem, v. g., si occiderit invasorem, cum sufficeret eum percutere vel vulnerare, vel cum fugere potuisset absque infamia, tunc tenebitur ad restitutionem damni; quia fuit causa injusta talis damni. Ita probabilius et communius; quidam enim putant omnem injustum agressorem legitime censeri cedere de jure suo.

Dixi 2 : *ex homicidio voluntario*, id est, quod vel in se *directe* et *expresse* volitum est, vel saltem *indirecte* et *in causa*, scilicet, in aliquo opere sive licito sive illicito, vel in aliqua omissione seu negligentia, unde *prævidetur* homicidium non solum quando aliquis illud expresse intenderit, sed etiam, licet non habuerit expressam *intentionem*, tamen fuit illius causa, v. g., jaciendo lapides ex alto, vel se inebriando, etc.; in his enim et similibus casibus censebitur voluntarium homicidium, si *prævisum* fuerit periculum mortis, nec adhibita sit sufficiens cautio ne sequeretur, neque fuerit causa agendi proportionata periculo.

Si autem homicidium nec *in se*, nec *in causa* volitum sit,

erit mere *casuale* et nullo modo culpabile; ideoque non obligabit ad restitutionem ex jure naturali. Vide tamen n. 230.

298. — *Quæritur* an teneatur restituere, qui volens occidere Petrum, occidit Paulum?

Resp. Controvertitur; sed multo probabilius videtur eum teneri, quia reipsa et ex animo injuste hominem occidit, sciens esse hominem, quod sufficit ut obligetur ad restituendum, licet ignoret quisnam sit ille homo, sive Petrus sive Paulus.

Nonnulli tamen negant, quia, aiunt, hic non adest damnificatio formalis, sed tantum materialis, cum occisor censeatur invincibiliter ignorans, nec ullo modo velit occidere Paulum. Sed hæc nimis sophistica et sensui hominum repugnantia videntur, nec certe in foro admitterentur. Vid. supra, n. 224.

NUMERUS II

Quodnam damnum ex homicidio restituendum sit.

299. — Duplex, ut jam diximus, inferri solet damnum per mutilationem vel occisionem, scilicet, *naturale* et *temporale*.

Damnum *naturale* est privatio boni naturalis, v. g., vitæ, membrorum, etc. Damnum vero *temporale* illud est quod contingit, vel propter expensas quæ faciendæ sunt in medicamentis, etc.; vel ob lucrum cessans, vel ob aliam jacturam boni temporalis, scilicet famæ, honoris vel pecuniarum.

PROPOSITIO

300. — *Homicida, vel hæredes illius tenentur restituere seu compensare omne damnum temporale, si quod ex injusta occisione vel mutilatione per se et de facto secutum est.* Certum est.

Ratio est evidens, quia homicidium fuit causa injusta hujusmodi damni temporalis; cum igitur illud damnum sit compensabile, certe homicida tenetur illud compensare ex suis bonis; et illa compensatio debet etiam fieri ab ipsius

homicidæ hæredibus, qui scilicet, succedunt in omnia ejus jura et debita.

Advertendum autem quod etiamsi homicida punitus fuerit, tenentur tamen ejus heredes ad compensationem damnorum erga hæredes occisi, præsertim cum id exigunt, vel si non censentur contenti punitione homicidæ, maxime quando sunt pauperes, vel non possunt aut non audent exigere.

Dixi 1 : *teneri compensare omne damnum temporale*, etc., id est, 1. expensas necessarias quæ factæ sunt pro mutilati vel occisi curatione; 2. expensas pro funere, quando scilicet, ratione mortis illatæ, v. g., in loco alieno extra patriam, majores fieri debuerunt expensæ, quam si domi mortuus esset; 3. lucrum cessans ob morbum læsi vel mutilati, ut quotidiana lucra quæ arte sua comparabat; item si suo labore allevabat uxorem aut liberos, vel ex aliquo officio census annuos percipiebat ad alendam familiam. Horum autem æstimatio fieri debet spectatis circumstantiis personæ, ætatis, officii, negotiationis, laboris, etc., iis detractis quæ ipse occisus pro seipso consumpsisset, et etiam detractis iis quæ respondent periculis et incertitudini vitæ et lucri; possunt etiam deduci expensæ quas ad tale lucrum comparandum facere oportuisset : lucrum enim non reputatur, nisi his omnibus deductis.

Utrum vero deducenda sit æstimatio molestiæ et laboris quæ occisus, vel mutilatus impendisset in exsequendo officio vel opificio, quidam putant talem æstimationem posse deduci; sed cum communi sententia negandum est, quia injuste occisus etiam injuste fuit impeditus a laborando; proindeque lucrum ex illo labore proveniens illi restituendum est, præsertim si occisus vel mutilatus hunc laborem libenter subiisset, neque voluisset ab eo redimi cum lucri imminutione.

Cæterum, quia difficile est exacte definire quid restituendum sit, persæpe expedit ut fiat compositio seu transactio cum his quibus facienda est restitutio.

Dixi 2 : *damnum temporale, si quod de facto et per se secutum est;* qua si nullum ejusmodi damnum revera secutum

sit, nulla fieri debet restitutio, saltem ante Judicis sententiam : v. g., si ille qui occisus est, nullos habeat legitimos hæredes, vel si rei familiaris dissipator erat, vel talis qui neque officio, neque negotiatione, neque alia via lucro vacabat.

Deinde, si ex homicidio damnum sequatur tantum *per accidens* et *occasionaliter*, tunc ordinarie non erit facienda restitutio : v. g., si imputetur homicidium alicui tertio innocenti, tunc qui commisit homicidium, non tenebitur compensare damnum ex morte illius tertii innocentis secutum, *dummodo tamen reus seu homicida non fuerit causa falsæ suspicionis de illo innocente*, v. g., quia gladio innocentis hac intentione aut prævisione usus est.

301. — *Quæritur* utrum homicida teneatur ad restitutionem damni *naturalis?*

Resp. Plures Doctores asserunt quod nulla facienda sit compensatio præcise pro *bono naturali*, quia vera compensatio pro hujusmodi bono repugnat, cum vita hominis liberi, integritas memborum et sanitas corporis, omne pretium pecunarium excedat : unde et leges romanæ dicunt nullam fieri vere æstimationem cicatricum aut deformitatis, quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.

Communiter tamen præfati auctores monent congruum esse ut Confessarius imponat reo pro pœnitentia vel ex *æquitate*, aliquid læso largiendum; et revera, fatendum est æquitatem naturalem quodammodo postulare, et saltem caritatem interdum obligare ut homicida aliquid arbitrio viri prudentis restituat occisi familiæ, præsertim si hæc indigeat; et multo magis ut pro anima occisi satisfaciat per eleemosynas, orationes, missas, jejunia, etc. Et vero obligari potest a Judice, in foro externo, ad mulctam pecuniariam : a fortiori in foro interno, ad piorum operum applicationem pro occisi anima, in pœnitentiam et satisfactionem sacramentalem obligari poterit. Imo ex jam dictis, n. 381, ex communi hominium æstimatione aliquo modo compensari potest damnum naturale ex mutilatione ortum,

302. — Quænam autem sit in re praxis tribunalium civilium, et quibusnam assignent compensationem, vide apud Juristas. Hic notare sufficiat hujusmodi compensationem posse juxta leges peti et retineri.

NUMERUS III

Quibusnam ob homicidium restituendum sit.

303. — *Quæritur* 1° quinam sint hæredes proximi aut remoti, et an restitutio propter homicidium facienda sit hæredibus *proximis?*

Resp. 1. Inter hæredes alii sunt *proximi*, alii *remoti*.

Proximi dicuntur filii et alii descendentes, pater, mater et alii ascendentes, propter conjunctionem sanguinis, et uxor propter vinculum conjugale. *Remoti* appellantur alii hæredes in linea collaterali, ut fratres, consobrini, et hæredes mere testamentarii, ut extranei.

2. *Restitutio propter homicidium facienda est patri, matri, filiis et cæteris ascendentibus et descendentibus in linea recta. et uxori.* Omnes enim illi censentur una et eadem persona cum defuncto, qui eos alere tenebatur : unde qui interfecit, v. g., Petrum, censetur læsisse illius uxorem, liberos, patrem et matrem, proindeque illis intulisse damnum, si propter hujusmodi occisionem minuatur hæreditas, aut alimenta *necessaria* sibi a defuncto administranda non præbeantur.

304. — *Quæritur* 2° utrum restitutio debita sit ex justitia hæredibus remotis, v. g., fratribus, nepotibus, aut aliis consanguineis occisi?

Resp. Multi Doctores asserunt illis non esse debitam restitutionem *ex justitia*, et probant tum ex praxi communi restituendi solum hæredibus proximis, tum quia non sunt ita conjuncti cum occiso ut per ipsius occisionem censeantur læsi in bonis temporalibus.

Attamen 1. cum hæredes etiam remoti succedunt in jura defuncti, ideo illis restituendæ sunt saltem expensæ *factæ pro vulneris curatione, et lucrum cessans* ad cujus restitutionem occisus habebat jus *antequam moreretur*, v. g., quo-

tidiana lucra, quæ toto morbi tempore arte sua comparasset.

2. Si frater primogenitus occisus fuit, et fratres suos parvulos aleret, tunc ordinarie Confessarius injungere debet occisori in pœnitentiam, ut aliquam hujusmodi pupillorum habeat curam.

3. Si occisus vel mutilatus omnia, *ante mortem*, remiserit, ad nihil erga hæredes tenetur occisor : quia filiis non fit injuria in bonis, nisi quatenus læduntur in patre contra ejus voluntatem; ergo, sicut per eam jus acquirunt, sic etiam amittunt, etsi non recte faciat parens si filii valde egeant. Facta autem remissione injuriæ, non intelligitur facta remissio damnorum.

Ex dictis colligunt communiter Doctores quod ordinarie restitutio non sit debita creditoribus, nec unquam amicis defuncti, vel pauperibus, quibus occisus eleemosynas aut munera conferre solebat, quia non censentur ex morte occisi damnum aliquod *per se* pati, sed tantum *per accidens;* occisio enim non est injusta respectu illorum, cum ex natura sua, et ut plurimum, non sit illis damnosa; modo tamen per occisionem damnum istorum non intendatur. Ita communius et probabilius, ait S. Lig., n. 634.

305. — *Quæritur* 3° ad quid teneatur qui alterum occidit *in duello?*

Resp. Juxta S. Ligor. cum multis aliis, probabilius aut saltem probabiliter ad nihil tenetur, præsertim *si occisus fuerit provocans*, quia, aiunt, occisus in duellum consensit, et *scienti volentique non fit injuria.* Nec obstat quod qui occisus vel vulneratus est, consenserit invalide, utpote quis jus directum non haberet in vitam et membra : nam hic agitur non de damno naturali vitæ et membrorum, sed de damno *temporali*, quod cadit sub dominio perfecto personæ læsæ.

Dicitur : *saltem si occisus fuerit provocans*, quia provocatus qui nonnisi invitus certamen init, insana quidem sed tyrannica opinione aliquatenus coactus, non censetur remisisse sat spontanee, et proinde valide, damnum ipsum temporale; unde in illo casu reparatio quædam debetur.

Ex jure autem civili aut saltem ex tribunalium praxi, proximi hæredes legitimi hominis occisi in duello, possunt hodie damni temporalis reparationem obtinere, haud secus ac in casu homicidii ordinarii; nec dubium est quin legalis hæc reparatio peti possit ab ipsis, et præstari debeat ab occisore, saltem post sententiam Judicis.

§ II

De obligatione reparandi damnum ex fornicatione proveniens.

306. — *Quæritur* quid sit fornicatio et quodnam damnum inducere possit?

Resp. Per fornicationem hic intelligitur *quodcunque commercium carnale cum muliere non conjugata, ipsa invita, vel libere consentiente.* Porro crimen illud, præter naturale damnum integritatis, varia damna temporalia non raro inducit, præserti difficultatem matrimonium ineundi, et onus prolis educandæ. De damno naturali virginitatis vel pudicitiæ nihil hic dicendum, quia non est ullo modo reparabile, ut patet, nec expedit ut alio bonorum genere compensetur; itaque solummodo expendendum est utrum et quatenus ex duplici prædicto capite exsurgat obligatio restituendi. Vide Tract. *de Virtute castitatis*, n. 46, 52, 53.

NUMERUS PRIMUS

De Reparatione damni temporalis per fornicationem illati, ratione personæ læsæ vel ejusdem parentum.

PROPOSITIO

307. — *Qui vi vel fraude ad fornicationem mulierem induxit, tenetur vel illam ducere, vel damnum reparare, ita ut illa æque bene nubat ac si infamata non fuisset per tale crimen.* Certum est.

Ratio est quia fornicator contra justitiam mulieri damnum intulit; quod proinde ex justitia tenetur reparare : hoc autem aliter fieri non potest, nisi eam ducendo vel dotando; ergo ad hæc tenetur ex justitia.

Dixi 1 : qui vi vel fraude induxit : per *vim* intelligi etiam debent minæ, vel metus, vel etiam *preces importunæ*,

non tamen solæ, sed *conjunctæ cum aliquo metu saltem reverentiali*, v. g., si puella viro nobili, sub cujus ditione est, sollicitanti, non audeat dissentire, censebitur id fecisse animo repugnanti, et quasi coacta. Preces vero ordinariæ, blanditiæ, suasiones, etc., non sufficiunt ad vim inferendam. Vis autem quædam indirecta reputatur, quando violentis actibus fornicator excitat in muliere tentationem, quia injuste illam constituit in periculo consentiendi. Vis etiam injusta erit, quamvis metus sit justus; nam licet quis juste minetur malum, injustus est si illud referat ad hunc pravum finem, cum talis usus corporis instar pretii haberi non possit.

Nomine autem *fraudis* intelliguntur mendacia et doli, quibus mulier decipitur. Porro, præter casum ubi vir abuteretur criminis inscientia, qua pollet junior puella, vel quo promitteret se ad extrema non progressurum, fraus injusta adesse potest, si vir ficte promittat matrimonium, vel fingat se divitem aut nobilem : quia qui fingit aliquid ob quod alter consentit, et sine quo non consentiret, facit ei injuriam. Quidam tamen negant hujusmodi fictionem ad fraudem *injustam* sufficere; circumstantiæ enim hujusmodi sunt quidem causæ inducentes ad peccandum, sed non magis lædunt libertatem, quam preces et alia suasionis media, etc.

Dixi 2 : *induxit mulierem;* quo nomine non solum virgo intelligitur, aut honesta vidua, sed etiam quæ pro tali habetur, quamvis talis revera non sit; tenebitur enim corruptor saltem compensare damnum ratione cujus non potest æque bene nubere ac antea.

Dixi 3 : *tenebitur ducere, vel damnum reparare;* utrumque enim positum est in arbitrio illius, qui vi vel fraude puellam seduxit; quia utrovis modo damnum compensare potest ad æqualitatem. Si tamen femina recusaret matrimonium, ad quod certe ipsa cogi non potest, tenebitur corruptor pecunia seu dotis augmento injuriam reparare. Similiter, si corruptor non possit aliter damnum reparare quam ducendo, v. g., quia pecuniis caret, tenebitur ducere, nisi sit aliqua causa excusans.

Attamen 1. si mulier infamata obiit, vel si nolit nubere, vel si æque bene et juxta suum statum nupsit, ad restitutionem non tenebitur corruptor, ut sentiunt multi contra multos, quia nullum damnum reparabile intulit.

2. Si mulier condonet illatam sibi injuriam, tunc nihil illi debetur nec etiam ejus parentibus, licet ipsi propter infamationem mulieris cogantur ad dotem ejus augendam : ratio est quia damnum in illo casu *indirecte* tantum et per *accidens* infertur parentibus. Illis tamen deberi satisfactionem honorariam omnes facile fatentur, saltem quando mulier est adhuc sub illorum custodia; sed in praxi difficile acceptabitur, et proinde sæpe non erit urgenda hujusmodi compensatio.

308. — *Quæritur* 1° utrum ad debitam condonationem sufficiat consensus puellæ *minoris*, an etiam requiratur consensus parentum?

Resp. Juxta quosdam Theologos non sufficit, quia puella minor non potest valide disponere de bonis suis, sine consensu parentum : atqui de bonis disponeret per hujusmodi condonationem, saltem quando restitutio fieri debet per augmentum dotis. Alii tamen asserunt illam condonationem sufficere, quia debitum hujusmodi consistit in jure quod puellæ competit vel nubendi cum debitore, vel ab eo obtinendi media matrimonium conveniens ineundi : porro tale debitum non est pecuniarium, et puellæ subjacet voluntati, sicuti jus ineundi vel solvendi sponsalia. Quidquid sit, certum est, si jam inter parentes puellæ et seductorem pactum intercesserit de pecunia solvenda, tunc non posse relaxari a sola puella debitum, quia pecuniarium jam evasit.

309. — *Quæritur* 2° utrum qui mulierem seduxit promissione matrimonii, hac promissione teneatur?

Resp. Affirmative, ex dictis in Tract. *de Matrim.*, n. 142, ad 4; et tunc seductor tenetur vel matrimonium inire, vel reparare damnum, ex dictis n. 307, si adsint sufficientes rationes non ineundi matrimonium.

Cæterum, ficta promissio matrimonii non obligat quidem quatenus promissio est, bene vero quatenus fraus et dolus, qui aliter quam per matrimonium potest reparari, ut jam dictum est. Insuper perpendendum erit an ex circumstantiis, mulier non potuerit facile deprehendere promissionem esse fictam; tunc enim nulla esset restituendi obligatio.

310. — *Quæritur* 3° ad quid teneatur fornicator, si mulier libere consenserit?

Resp. Si neque vi, neque fraude puella inducta fuit ad peccatum, non censebitur ei facta injuria; scienti enim et consentienti non fit injuria, ut habetur in regula Juris Can.; ideo fornicator ordinarie ad reparationem non tenebitur, nisi in duobus casibus : 1. si per sententiam Judicis fuerit condemnatus ad mulctam; 2. si crimen occultum ipse corruptor detexerit; vel si ob nimias familiaritates, aut ob alia signa fecerit oriri vehementem apud alios suspicionem commissi criminis; tunc enim, ratione injustæ diffamationis, non solum tenebitur ad restitutionem famæ, sed etiam obligatus erit ad augendam dotem, juxta proportionem damni secuti. Observandum est ex hoc capite non minima sæpe oriri damna sive ipsi mulieri. sive parentibus; et si puella fuerit minor, gravissimis pœnis in foro civili plectitur stuprator, quamvis puella consenserit. Vid. Cod. pœn., art. 330.

NUMERUS II

De Reparatione damni temporalis per fornicationem illati, ratione prolis.

311. — *Quæritur* ad quid teneatur fornicator ratione prolis, si adfuerit, vel non, vis aut dolus?

Resp. 1. *Si non fuerit vis, aut dolus, seductor et mulier ex jure naturali tenentur æqualiter*, et *in solidum, prolem educare, donec sibi ista providere possit.* Educatio enim est officium naturæ, amboque eodem modo influxerunt totalitate causæ, quia unus sine altero insufficiens fuisset ad effectum. Confirmatur autem *jure civili*, aut saltem tribunalium praxi, qui ad prolem etiam illegitimam, legaliter agnitam,

extendunt obligationem per art. 203 Cod. civilis sancitam : porro eadem est, in foro conscientiæ, conditio prolis etiam non agnitæ; illa enim legalis agnitio non est fundamentum obligationis parentum, sed tantum *actionis civilis*.

2. *Si per vim vel fraudem mulier fuerit in crimen inducta, qui injustitiam commisit, tenetur ex integro providere proli;* mulier autem ipsa, altero renuente, tenetur tum ex officio naturæ, tum quia et ipsa, extra casum violentiæ absolutæ, fuit criminis particeps. Sed non tenetur nisi in defectum prioris, quia non est causa principalis. Ideoque satis æquitati consonum videtur, ut qui ad crimen, etiam sine injustitia, adduxit, ad plus teneatur, utpote consulens simul et participans.

§ III

De Obligatione restituendi damnum ex adulterio secutum.

313. — Interdum ex adulterio nullum damnum temporale proximo infertur. In hoc autem casu Doctores *communiter* censent injuriam quidem illatam alteri conjugi reparandam esse, quantum fieri potest, per satisfactionem honorariam; sed nullam deberi restitutionem pecuniariam ratione solius adulterii. Itaque quæstio movetur solummodo ratione prolis, et quærendum 1° an adulteri teneantur ad restitutionem, 2° quid restituendum sit, 3° quomodo aut quandonam restituendum.

NUMERUS PRIMUS

De necessitate Restitutionis, ratione prolis adulterinæ.

PROPOSITIO

314. — *Adulter et adultera, si moraliter certi sint de prole ex adulterio suscepta, tenentur ambo in solidum ad compensationem omnis damni marito filiisque aut legitimis hæredibus.* Certum est.

Ambo enim sunt causa injusta, efficax, et voluntaria hujus damni, quod *per se*, et ut plurimum, sequitur ex adulterio, et proinde prævisum fuit, aut prævideri debuit.

Et vero, etiamsi adulter conatus fuerit suppositionem filii spurii impedire, nihilominus damni vera est causa,

saltem mediata. Potuit enim et debuit prævidere mulierem moraliter cogendam fore filium spurium legitimum supponere, ut evidens est; ergo illam conjiciendo in hanc moralem necessitatem, adulter vera est causa omnium damnorum quæ inde sequuntur. Imo, juxta plures, non omnino excusatur, quamvis mulier potuerit, absque graviori damno, filium spurium separare a familia; quia etiamsi libere quis damnum inferat, cooperator non solvitur ab onere restituendi, quando actus ipsius injustus de facto vere et efficaciter influxit in effectum, excitando alterius malitiam. Vide n. 232.

Alii tamen dicunt adulterum in hoc casu non excusari quidem ab alimentorum restitutione, quia ad nutriendam prolem pater tenetur; sed non teneri ratione hæreditatis quia totum damnum provenit ex voluntate mulieris quæ potuisset filium spurium separare; unde adulter potius occasio suppositionis fuit, quam causa efficax. Saltem videtur adulterum, in illo casu, ad restitutionem non obligari nisi secundo loco.

315. — *Quæritur* 1° autem an, quando *non sunt moraliter certi* prolem ex adulterio fuisse conceptam, adultera et adulter teneantur reparare damnum, saltem pro dubii proportione.

Resp. Controvertitur; plures excusant ab omni restitutione adulterum, tum quia possidet matrimonium, et filius reputatur legitimus, nisi constet oppositum, tum quia melior est conditio adulteri possidentis bona sua, de quibus non tenetur se spoliare pro obligatione dubia. Sententia hæc communis a S. Lig. dicitur. Non pauci tamen contrariam ut probabiliorem habent. Ratio est quia, cum dubium sit an maritus vel adulter sit pater prolis, profecto æquitas non patitur ut maritus omnia alimenta præstet, et adulter omnino immunis sit; ergo adulter debet impensas et damna marito restituere, pro *ratione dubii*, præsertim cum mater asserit prolem ex adulterio esse conceptam.

316. — *Quæritur* 2° ad quid teneantur, si moraliter

constet prolem ex adulterio natam esse et dubitetur solum *cujus ex duobus sit partus?*

Resp. Non consentiunt auctores. Juxta plures, neuter tenebitur ad restitutionem nequidem pro rata parte dubii, quia, juxta ipsos, nemo tenetur ad reparationem, nisi certo moraliter constet ipsum fuisse causam damni : porro hic pro utroque adultero supponitur esse dubium. Per *accidens* autem evenit ut nullus ex iis prolem certo natam ex adulterio alere teneatur, et compensare damnum illatum marito et ejus filiis. Sed cæteri contradicunt, eadem innixi ratione æquitatis quam afferunt in casu unius adulterii ; et revera nullum discrimen inter utrumque casum percipitur.

Cæterum manifestum est hujusmodi dubia in favorem adulteri facile moveri posse, cum semper adulterium non sit causa prolis, et adulteræ testimonium multiplici ex causa posset infirmari : unde sæpius forte non erit urgenda, ratione dubii, obligatio adulteri.

NUMERUS II

De re restituenda, ratione prolis adulterinæ.

317. — *Quæritur* quid restituendum sit ratione prolis adulterinæ?

Resp. 1. Restituendi sunt *sumptus alimentorum et educationis.* Maritus enim eos subiit ex causa falsa et injusta. Attamen excipiendi sunt sumptus extraordinarii, qui *moraliter* prævideri non potuerunt, et fiunt *per accidens;* impensæ, quæ per laborem prolis compensantur.

2. Restituendum est pro *hæreditate paterna,* qua injuste privabuntur filii legitimi, non vero pro materna hæreditate, saltem pro parte quæ non subjacet reservationi legali. Vide Tract. *de Contract.*, n. 131.

NUMERUS III

De modo quo restituendum est, ratione prolis adulterinæ.

318. — *Quæritur* 1° quomodo fieri debeat restitutio ratione prolis adulterinæ?

Resp. Variæ distinguuntur hypotheses, circa quas hæc traduntur communiter ; 1. *Si damnum sit jam illatum,*

statim et in integrum restitutio facienda est; ratio est evidens, n. 272. — 2. *Si damnum nondum sit illatum*, et urgeat aliqua necessitas statim restituendi, v. g., ob mortem proximam adulteri, restitutio fieri potest vel in forma aleatoria, juxta æstimationem probabilitatum, habita nempe ratione *ætatis*, *valetudinis*, et aliarum circumstantiarum; vel certa pecuniæ summa viro prudenti tradenda est, qua futuris impensis provideatur, sed iste modus ut difficilior plerumque habebitur.

Si *vero nulla specialis ratio urgeat*, debitor exspectare poterit, donec determinata appareat quantitas damni, vel etiam adhibere formam aleatoriam. Hic enim modus alteri parti magis proficit, quam nocet. Unde satis præsumi potest ejus consensus; cæterum magna in his casibus requiritur prudentia, ut patet.

319. — *Quæritur* 2° quid faciendum sit, quando adultera non potest impedire damnum quod patiuntur legitimi hæredes, nisi cum periculo vitæ vel famæ?

Resp. Ex communiori sententia, ea non tenetur cum periculo vitæ, imo nec etiam famæ, præsertim si reputetur honesta, nec de adulterio suspecta sit. Ratio est quia vita et fama sunt bona altioris et superioris ordinis quam bona mere temporalia.

In prædictis casibus sufficit, si adultera aliter conetur, quantum poterit, compensare damnum illatum aut inferendum ratione filii spurii sive ex propriis bonis, quantum poterit, plus relinquendo filiis legitimis quam spurio, et etiam suadendo marito ut idem faciat ex suis bonis, sive rem familiarem diligentius administrando.

320. — *Quæritur* 3° utrum filius teneatur credere matri suæ ortum adulterinum revelanti?

Resp. Controvertitur : affirmant plures etiam ex minus rigidis, si mater sit fide dignissima, spectatis circumstantiis, nempe amore in filium, et sua præsenti probitate, puta, si pœnitentem vitam ducat, sacramenta frequentet aut si in articulo mortis, et dicta juramento confirmet. Sed communissime et probabilius, juxta S. Lig., filius non tenetur cre-

dere matri, etiam cum juramento affirmanti, quia filius est in possessione legitimitatis, cui credere non tenetur, nisi convincatur quod sit illegitimus : porro nemo tenetur credere uni testi, etsi probatissimo.

Attamen si adsint indicia ita vehementia, ut filius in *foro externo* spurius haberetur, tunc iste, si ea noverit certe, tenetur abstinere ab hæreditate patris putativi; potest autem a matre alimenta accipere, et impensas ad convenientem educationem, quia hæc sunt debita a matre; imo partem aliquam bonorum matris, quæ, ad ipsum jure quodam naturali pertinet.

ARTICULUS III

De Obligatione restituendi damnum proximo illatum in fama et honore.

321. — Fama est *bona existimatio*, quæ habetur de vita et moribus alicujus personæ; honor vero est *testimonium exterius* de illa bona existimatione. Diximus superius quemlibet habere jus, ut sibi non inferatur damnum in fama et honore; unde hic tria tantum explicabimus : 1° quid sit restituendum pro damno illato in fama et honore; 2° quomodo sit restituendum; 3° quænam sint causæ excusantes ab illa restitutione.

§ I

Quid restituendum sit pro læsione famæ et honoris.

PROPOSITIO

322. — *Qui alterius famam vel honorem injuste læsit, tenetur ad illi restituendum non tantum famam et honorem ablata, sed etiam damnum secutum ex injusta diffamatione vel inhonoratione.* Certum est.

Ratio est quia, ut sæpe diximus, omne damnum proximo injuste illatum debet ex justitia reparari et compensari, si sit compensabile : atqui infamator vel contumeliosus damnum infert contra justitiam strictam, et damnum est compensabile ; ergo, etc.

Dixi 1 : *qui injuste læsit*, quod intelligi debet de eo etiam qui detrahentem audiens, in detractionem *influit*, v. g.,

interrogando, hortando, aut significando sibi placere sermonem : secus autem, si interius solum gaudeat de detractione, et ex officio non teneatur obsistere detractori.

Dixi 2 : *etiam compensari debere omnia damna* sive temporalia sive moralia et spiritualia, quæ ex *injusta proximi diffamatione vel contumelia secuta sunt,* quia omnia damna, quæ vere et per se sequuntur ex tali actione injusta, merito detractori imputantur tanquam causæ propriæ, efficaci et voluntariæ; nam supponitur ea damna fuisse sufficienter prævisa.

Unde, v. g., si quis per *injustam* infamationem efficit, ut proximus privatus vel impeditus fuerit a consequendo vel beneficio, vel commodo matrimonio, vel eleemosyna, illa omnia damna reparare tenetur, ut supra diximus. Nec dicas hoc sequi per accidens; nam nihil tam frequens et crebrum est, quam ut hæc damna sequantur ex injusta famæ læsione : unde patet eum qui famam vel honorem injuste læsit, sæpius contrahere duas obligationes : 1ª est restituendi ipsam famam; 2ª est restituendi damna temporalia inde secuta.

Pariter, qui per contumeliam aliquem contemptibilem reddidit, et aliorum commercio privavit, tenetur effectum hujusmodi impedire vel tollere, alioquin in peccato injustitiæ perseverat.

Obligatio resarciendi damna temporalia, quæ ex injusta diffamatione sequuntur, est *realis,* quia constitit in danda aliqua re, ac proinde transit ad hæredes diffamantis; at vero obligatio restituendi famam vel honorem est solum *personalis,* quia consistit in aliqua re facienda, ac proinde non transit ad hæredes diffamantis.

§ II

Quomodo facienda sit Restitutio famæ, et honoris.

NUMERUS PRIMUS

Quomodo restituenda sit fama.

PROPOSITIO

323. — *Quicunque alterius famam læsit, debet omnem industriam moraliter possibilem, aut saltem gravitati damno-*

rum proportionatam, adhibere, ut illa opinio omnino deleatur. Certum est.

Ratio est evidens, quia injustus damnificator tenetur hujusmodi industriam adhibere ad damnum injuste illatum reparandum; sed qui alterius famam injuste læsit, est injustus damnificator; ergo, etc.

Hinc 1. qui alteri *falsum crimen* imponendo famam abstulit, nempe *calumniator,* debet se *aperte* retractare apud eos qui ipsum detrahentem audierunt, et ad quos infamia criminis pervenit, idque facere debet retractatione efficaci, *in quantum potest :* unde, si non sufficit dicere se deceptum fuisse, vel rem aliter comperisse, infamator tenebitur dicere se falsum dixisse, vel etiam mentitum esse.

Hinc 2. qui alium diffamavit, manifestando *verum, sed occultum* ejus crimen, nempe *simplicem detractorem,* tenetur famam ablatam restituere, vel 1. *formaliter* et *directe,* efficiendo ut non credatur id quod revelavit, v. g., dicendo se male et inconsiderate locutum esse, aut alium injuste diffamasse, etc.; vel 2. *æquivalenter* et *indirecte,* scilicet, laudando eum de quo detraxit, et honorifice de eo loquendo, occasione data et quæsita, coram iis qui detrahentem audierunt, et etiam quantum fieri potest, laudando eum in eadem materia.

Si prior modus restituendi famam judicetur utilis, omnino usurpandus est : si vero ob quasdam rationes utilis non sit, posterior modus poterit sufficere, dummodo tantum vel amplius famæ proximo restituatur, quantum fuerat ablatum.

324. — *Quæritur* an infamator teneatur famam restituere non solum coram auditoribus immediatis, sed etiam mediatis?

Resp. Juxta quosdam sufficit, absolute, reparatio coram auditoribus *immediatis,* tum quia alia est ordinarie moraliter impossibilis, tum quia imponitur immediatis auditoribus officium reparandi, ex sua parte, damnum illatum.

Sed multo probabilius distinguendum est : si famam abstulisti apud auditores, quos prudenter putabas non esse

revelaturos, non teneris apud mediatos reparare, saltem ex justitia, quia non fuit ex hac parte culpa. Secus, teneris saltem si prævideas immediatos auditores non se retractaturos apud alios. Fatendum est tamen sæpius hoc fore valde difficile; unde maxime reformidandum detractionis peccatum, tam leviter a pluribus admissum, et rarissime reparatum.

Advertendum est quod qui detraxit alteri libello famoso, tenetur, ut *efficax sit restitutio*, eam facere contrariis scriptis, vel publica revocatione; libellus autem famosus dicitur quælibet scriptura, etsi brevissima, ad propalandam culpam occultam alicujus.

NUMERUS II

Quomodo restituendus sit honor.

PROPOSITIO

325. — *Modus restituendi honorem et exhibendi convenientem satisfactionem, pendet ex gravitate injuriæ, dignitate satisfacientis, consuetudine patriæ, aliisque circumstantiis prudenter pensandis.* Certum est.

Ratio est quia aliquando sufficiet inter pares amica salutatio, vel loci honorifici concessio, vel invitatio ad mensam vel laudatio apud eos coram quibus honor læsus fuit; aliquando vero et frequenter erit necessaria, præsertim erga superiores, humilis veniæ petitio privata vel publica, juxta conditionem culpæ privatæ vel publicæ gravioris vel levioris. Nonnunquam sufficiens censetur vindicta ab offenso assumpta, et ab offensore *patienter tolerata*, qua iste videtur sic culpam recognoscere, et satisfacere pro offensa prius illata; item si offensor a judice puniatur, vel impositam a judice satisfactionem præstiterit, licet invitus, modo tamen satisfactio imposita a judice fuerit aliquomodo proportionata.

326. — *Quæritur* 1° an, si contumelia fuerit occulta, debeatur satisfactio?

Resp. Affirmative, cum communiori et veriori sententia, ut ait S. Lig. Ratio est quia in tali casu adest damnum,

nempe honoris injuste læsi, et damnum illud perseverat usque dum per debitam satisfactionem reparetur : non reparatur autem sufficienter per signa ordinaria honoris, qualia erga quoscunque, etiam ignotos, adhibentur. Cæterum contrariæ sententiæ addicti non negant petendam esse veniam offensi, saltem ad reconciliandum illius animum, juxta præceptum Salvatoris, Matth. 5, v. 23 : « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo. »

327. — *Quæritur* 2° quomodo restituendus sit honor a Superioribus?

Resp. Nunquam tenetur Prælatus veniam expresse petere a subdito, herus a famulo, pater a filio, dux a milite; isti enim satisfaciunt si honorabiliter dehonoratum salutent, domi invitent, vel benevolentiam ostendant, etc.

Cæterum, quoad praxim, diligenter advertendum putat S. Ligorius multoties expedire, ut Confessarius omittat monere pœnitentem in *bona fide* existentem qui alium inhonoravit, de satisfactione præstanda; quia facile pœnitentes tales satisfactiones promittunt, sed difficulter adimplent ob ruborem quem in hoc sentiunt vel apprehendunt; saltem sæpe satisfactionem alia via quam veniæ petitione præstandam suadebit aut exiget.

§ III

De Causis excusantibus a Restitutione honoris vel famæ.

328. — *Quæritur* quænam sint causæ excusantes a restitutione honoris vel famæ?

Resp. Quatuor sunt præcipuæ, scilicet, 1° si *infamatio vel inhonoratio non fuit efficax vel injusta;* damnificator enim, ut sæpe diximus, non tenetur ad restitutionem nisi ejus actio sit injusta, et damnum ex illa *de facto* sequatur.

Hinc 1. nulla est obligatio restituendi, *si revera nulla secuta sit infamia,* v. g., si audientes nullam prorsus fidem adhibuerunt detrahenti, vel si jam crimen aliunde omnino noverunt; quod si levis tantum secuta sit infamia, non

erit obligatio restituendi sub peccato mortali, quia damnum est tantum leve, ut supra diximus.

Hinc 2. nulla erit obligatio restituendi, 1° *si infamatio non fuit injusta,* saltem materialiter, v. g., quia proximus non habebat jus ad famam ob crimen publicum et notorium.

Dixi : *si infamatio non fuerit injusta saltem materialiter;* quia si quis proximum infamaverit, etiam sine culpa, putans bona fide crimen esse verum et publicum, quod tamen postea cognovit esse falsum vel occultum, tenetur, non solum ex caritate, sed etiam ex justitia, ad restitutionem si possit sine magno suo damno. Ratio est quia rem alienam, etsi inculpabiliter, vere tamen abstulit, et quasi retinet in sua potestate; ergo tenetur eam restituere, si possit, sicut qui retinet rem alterius. Multo autem certius tenetur ex justitia impedire damna, quæ ex sua quantumvis inculpabili, diffamatione prævidet secutura; sicut qui ignem paleis inculpabiliter admovit, si postea advertat periculum esse ædibus vicinis, tenetur ex justitia impedire; quod si negligat, tenebitur de damno secuto. Attamen, si ex hujusmodi inculpabili diffamatione damna sequantur, antequam diffamator deprehendat errorem, vel cum non potest impedire, non tenebitur illa restituere, quia jam non est eorum causa culpabilis, seu voluntaria.

2° *Si fama, injuste ablata, jam alia via recuperata sit,* v. g., infamati purgatione, vitæ probitate, vel totali oblivione criminis et infamiæ, ita ut periculum absit, ne quando reviviscat. Ratio est quia tunc infamia, vel saltem damnum illatum, omnino evanuisse censetur : imo si crimen fuit verum, non est facile ejus memoria revocanda, nisi evidens sit nullum esse periculum quod infamia reviviscat.

Advertendum tamen quod si, antequam fama recuperata sit, infamatus patiatur aliquod damnum ex infamia, v. g., privationem vel denegationem officii, tunc infamator, tenetur ad compensationem illius damni.

3° *Si famæ restitutio fiat ~~vel~~ moraliter impossibilis; ~~vel prorsus inutilis~~;* quia ad impossibile vel inutile nemo tenetur. Infamator tamen debet, saltem quantum potest, laudare infamatum; si vero laudibus non possit compensare

damnum infamati, tenetur ex quadam æquitate, præsertim si commode possit, muneribus pecuniariis, juxta arbitrium viri prudentis, compensare offensam vel potius placare offensum, aut ab eo impetrare remissionem restitutionis : saltem hæc aliqualis compensatio pecuniaria injungi poterit a Confessario in pœnitentiam et satisfactionem.

Porro tunc solum censetur moraliter impossibilis famæ vel honoris restitutio, quando fieri non potest sine damno proprio *notabiliter* majore : quia si damnum proprium sit tantum æquale, vel paulo majus quam damnum, quod alteri culpabiliter et injuste infertur, certum est nihilominus infamatorem teneri restituere, et damnum subire potius quam innocentem. Hinc colligitur eum qui proximum infamavit, ordinarie non teneri restituere cum periculo vitæ, nisi infamatum in simile periculum conjecerit, v. g., falso testimonio.

4° *Si adsit remissio* seu *condonatio facta ab infamato*, eaque vel *expressa* vel prudenter *præsumpta*, dummodo tamen infamia ad ipsum solum infamatum pertineat, nec redundet in alios ; alioquin sine istorum consensu non posset remitti restitutio.

Advertendum autem remissionem non debere semper præsumi ex sola familiaritate, seu aliquali consuetudine, et convictu læsi cum lædente : quia hæc familiaritas forte exhibetur propter metum, vel indigentiam, vel ad vitandum scandalum, vel ob alias causas, potius quam ob condonationem restitutionis.

Quidam auctores *quintam causam* excusantem addunt, scilicet, *compensationem*; quando, nempe duo sibi invicem debent æqualiter famæ restitutionem; illi, inquam, auctores putant unum posse, veluti pignoris loco, retinere alterius famam, ut sic eum compellat ad restitutionem suæ famæ; dummodo tamen infamia illius non redundet in alios, et nullum adsit scandalum. Sed supponitur infamia jam illata; nam nunquam licet aliquem in vindictam infamare, quamvis licitum sit *injusti* detractoris vitia detegere, ut ejus testimonium labefactetur, quando *aliter* non potest innocentia defendi.

ARTICULUS IV

De Restitutione ratione Tributi defraudati.

Dicemus 1° an, generatim loquendo, adesse possit locus restitutioni ratione tributi defraudati; 2° quandonam ob tributa detur restitutionis locus; 3° cuinam facienda sit hujusmodi restitutio.

§ I

An, generatim loquendo, detur Restitutioni locus ratione Tributi defraudati.

329 — *Status quæstionis.* Tributum, a verbo *tribuo* est *pensio subditis imposita, qua singuli pro viribus subveniunt bono communi.*

Jam vero in Tract. *de Legibus*, n. 4. probatum est legem de tributis solvendis non esse mere pœnalem, sed generatim in conscientia obligare, saltem ex justitia *legali* seu ex obedientia erga principem et pietate erga patriam. Ut autem det restitutioni locum, insuper requiritur, quod obliget *stricto jure*, ita ut, qui, tributum legitime impositum denegat, peccet non solum contra virtutem obedientiæ erga legitimam potestatem, et pietatis erga patriam, sed etiam contra virtutem Justitiæ strictæ, n. 7, 8. Itaque

PROPOSITIO

330. — *Leges tributorum ex omni parte legitimæ, generatim stricto jure obligant.* Certum est,

Constat 1° *ex consensu Theologorum*, qui omnes fatentur obligationem solvendi tributa, ubi interveniunt requisitæ conditiones, esse justitiæ strictæ et non tantum ex obedientia legis. Ita Suarez, *de Legib.* lib. 5, disp. 18, n. 7, et inter recentiores, S. Ligor., Billuart, Gousset, Carrière, etc.

2° *Ratione.* Tributa exiguntur ad onera publici regiminis in commodum civium se exerentis convenienter sustinenda : porro, qui hujusmodi regimen exercent, jus strictum habent ad proportionatam pro illis oneribus contributionem et promeritam remunerationem, atque singuli cives jus etiam strictum habent ut nimis non graventur,

sed unusquisque tributi onus sustineat pro commodis, quæ ex regimine sociali percipit; ergo tributum ex jure stricto generatim debetur.

Aliunde pars illa tributi proportionata est quid determinatum aut determinabile, ac proinde via coactionis exigi potest; ergo omnes juris stricti conditiones adesse possunt in obligatione solvendi tributa; ac consequenter, si non solvantur, restitutioni locus dari poterit.

331. — *Quæritur* autem 1° quænam requirantur conditiones, ut tributa solvenda sint stricto jure, et non tantum virtute obedientiæ erga superiorem, et pietatis erga patriam.

Resp. Triplex requiritur conditio, scilicet, auctoritas competens, voluntas legislatoris obligandi ex justitia stricta, tributum in se justum.

Et quidem 1. *auctoritas competens*, seu legitima et suprema. *Legitima;* cum enim tributa sint stipendia pro reipublicæ administratione, qui hanc administrationem usurpavit injuste, nullum jus strictum habet imponendi aut exigendi tributum. *Suprema* etiam; quia impositio tributorum est actus primariæ jurisdictionis, et hæc solvuntur tanquam subjectionis argumentum erga supremum in temporalibus dominum.

Quare, in Gallia et apud fere omnes Europæ gentes, nullum tributum etiam vetus exigi potest, nec ullum novum imponi, nisi per legem in cœtu Delegatorum (des Députés) expensam, et ab hoc cœtu atque a Principe approbatam. Quinimo tributa civitatibus necessaria ob speciales rationes, non possunt imponi sine consensu potestatis legislativæ, aut saltem alicujus magistratus superioris.

2. *Voluntas legislatoris obligandi ex justitia stricta.* Minime enim repugnat tributarias leges minus stricte obligare, ex ex intentione Gubernii expressa, vel rationabiliter præsumpta. Revera quasdam esse leges etiam fiscales partim morales tantum, imo mere pœnales, dicemus in sequenti paragrapho.

3. *Tributum justum*, ex parte finis et quantitatis. Ex

parte *finis* quidem requiritur vera necessitas aut utilitas Reipublicæ, ut patet ex ipsa tributi notione; ac proinde tributa ad sustinendum bellum evidenter injustum, injusta merito reputarentur, nec ulla adesset obligatio ea solvendi aut restituendi.

Ex parte *quantitatis* requiritur justa proportio sive inter bonum publicum et tributa, quæ ad illud procurandum exiguntur, sive in eorum partitione inter omnes cives, ita ut ratio habeatur uniuscujusque facultatum, conditionis et professionis; ideoque injustus non esset qui, certo nimis gravatus, omnia non solveret.

332. — *Quæritur* 2° an in *dubio* de legitimitate tributi, hoc solvi debeat ex justitia?

Resp. Si dubium vere *positivum* versetur circa *ipsam potestatem* competentem, aut *voluntatem* legislatoris *obligandi ex justitia*, non facile admitteremus adesse obligationem solvendi ex justitia, et ideo restituendi, donec excuteretur dubium. Tunc enim vere dubia est juris stricti existentia: porro in tali dubio, juxta communiorem sententiam, lex humana non obligat, ex dictis in Tract. *de Act. hum.* n. 140, 143.

Si dubium autem versetur circa legitimitatem tributi ex parte *finis* aut *quantitatis*, præsumptio stare videtur in favorem superioris, tum quia Princeps multorum conscius est motivorum, quæ subditos latent; tum quia injustitia in proportione tributi non præsumitur, sed probatur, ac proinde in dubio deesse censetur. Attamen indulgentius agendum est saltem post factum erga eos, qui, stante dubio, non solverent, aut non restituerent, quia jus dubium tantum violant.

Cæterum in praxi rarissime aut potius nunquam toleranda est fraus, aut deneganda restitutio ratione tributorum sub prætextu illegitimitatis ex parte potestatis, si hæc sit suprema, de facto agnita a civibus, et juxta formas legales tributa decernens. In subsequenti paragrapho indicemus præcipuos casus, in quibus dubia est legislatoris voluntas obligandi ex justitia.

333. — *Quæritur* 3° an tributa solvi debeant *antequam petantur*, ita ut, si non petantur, a solutione nihilominus se abstinere non possint subditi ?

Resp. Tributa solvi debent antequam petantur, quotiescunque ex lege aut consuetudine contrarium rationabiliter non infertur. Tributa enim ex justitia debentur : atqui per se non est nimis onerosum obligari ad satisfaciendum debito justitiæ, ante petitionem creditoris; ergo per se solvi debent tributa ante exactionem.

Attamen modus solvendi nonnisi post exactionem aliquando convenientissime statui vel induci potest. Nonnulla sunt enim, ut ait Suarez, quæ onerosiora viderentur, si sponte solvenda essent, et quæ cum illa limitatione non ita ægre feruntur. Revera quædam tributa indirecta, ex usu subditorum et consensu Principum legitime præsumpto, videntur solvenda antequam petantur, ex infra dicendis.

§ II

Quandonam, ratione Tributi defraudati, adsit Restitutioni locus.

Tributa sunt directa vel indirecta. De utriusque ratione restitutione seorsim dicemus.

NUMERUS PRIMUS

De Restitutione, ratione Tributorum directorum.

334. — *Quæritur* 1° quid et quotnam sint tributa *directa ?*

Resp. Directa tributa ea sunt, quæ afficiunt bona *actualia* et *determinata* privatorum. sive immobilia, sive mobilia. Si afficiant immobilia, dicuntur *realia,* gallice, *impôts fonciers;* si vero mobilia respiciant, habita ratione personarum earumque professionis et industriæ, *personalia* nuncupatur.

Multiplex est directum tributum sive reale, sive personale, scilicet, ut gallico idiomate utamur, la contribution foncière, la contribution des portes et fenêtres, les redevances sur les mines, la contribution pour la vérification des poids et mesures, la contribution personnelle et mobilière, la contribution des patentes, les prestations en

nature pour la réparation des chemins vicinaux, la conscription, etc.

Jam vero circa contributiones directas pauciores moventur difficultates; cum enim illa tributa sint magis determinata, difficilius fraudantur. Attamen dubia de restitutione haud raro moventur potissimum in triplici casu, nempe 1. quoad partem proportionatam contributionis ratione immobilium, 2. quoad tributa personalia; 3. quoad debitum militiæ seu conscriptionis. Itaque,

335. — *Quæritur* 2° an ad restitutionem teneantur, qui non solverunt partem proportionatam tributi immobilia afficientis (*impôt foncier*)?

Resp. Apud nos illud tributum pro quolibet municipio (*commune*) determinatum, dividendum est tanquam commune onus inter proprietarios loci, ita ut, si unus eximatur, aliorum pars aggravetur, necesse sit. Unde

1. Si inæqualis partitio ex fraude debitoris et conniventia partitorum proveniat, certo omnes ad restitutionem tenentur, et quidem in *solidum* erga alios cives districtus, qui nimis gravantur, n. 254, 255.

2. Si vero fraus a solis partitoribus facta fuerit, inscio aut saltem non sollicitante debitore, iste nihilominus, ad restitutionem tenetur titulo detentoris, et hujus defectu partitores in solidum obligantur erga cives nimis gravatos ob illam injustam partitionem; n. 255.

Attamen, juxta quosdam, vi communis praxis, quæ haberi potest ut quasi contractus aleatorius, errores aut obliviones circa distributionis æqualitatem reparare non tenetur debitor, qui injustam repartitionem non sollicitavit; sed tunc partitores injusti vel graviter negligentes restitutioni remanent obnoxii.

Ex lege edita in Gallia an. 1890, partitio tributorum directorum inter proprietarios loci, fieri debet ab ipsis officialibus potestatis administrativæ.

336. — *Quæritur* 3° quandonam ad restitutionem teneatur qui tributa *personalia*, qualia sunt apud nos quæ di-

cuntur *cote personnelle, cote mobilière, patentes*, non solvit?

Resp. Tributum, quod dicitur *cote mobilière*, est inter singulorum municipiorum cives *partitione* dividendum; quod autem vocatur *cote personnelle*, licet non sit *partitionis*, ut aiunt, sed *quotitatis*, seu idem pro unoquoque capite solvendum, ita tamen exigitur *in singulis municipiis*, ut si a quibusdam civibus, qualibet ex causa, non possit solvi, crescat proportionate tributum dictum *cote mobilière*. Unde

1. Si adfuerit tantum error vel etiam favor indebitus, sed ex parte solummodo præpositorum, tunc debetur restitutio erga fiscum, vel cives; attamen si usus invaluerit ut tributa hujusmodi nonnisi *petita solvantur*, interea debitor errore aut favore uti potest, et soli præpositi obligantur.

2. Quum agitur de tributo dicto *cote mobilière*, quod satis arbitrario imponitur, nempe juxta *pretium locationis* vel *præsumptum fortunam* civium, satis receptum videtur ut exspectetur petitio, et minus quam revera est locationis pretium declaretur.

3. Item non severius agendum est circa tributum gallice dictum *des patentes*, quod exercentibus quædam negotia vel artes industriales imponitur, variosque pro diversitate professionum et locorum gradus admittit.

337. — *Quæritur* 4° ad quid teneantur qui a militia exemptionem sine veris causis obtinent?

Nota. — Ex lege de militia in Gallia vigente, omnes juvenes validi militiæ inscribuntur; et ideo, si quis indebite a militia eximatur, alius juvenis in ejus loco nunquam inscribitur; nec proinde talis etiam indebita exemptio violare potest jus strictum erga alios cives militiæ adstrictos.

Insuper, si, attentis temporum circumstantiis, ipsum militiæ exercitium sit permanens et quasi ineluctabile incitamentum ad impietatem et ad quæcunque vitia, unicuique licet, in quantum potest, se subtrahere tantis periculis pro vita animæ et corporis, obtinendo a militia exemptionem; atque ipse Status maxime in causa est, dum tolerat, imo permittit pro juvenibus militiæ addictis, depravationis cujuscunque occasiones proximas ac omnia incitamenta.

NUMERUS II

De Restitutione, ratione Tributorum indirectorum.

338. — *Quæritur* 1° quid et quodnam sint tributa *indirecta?*

Resp. Indirecta tributa sunt ea, quæ immediate respiciunt certas merces, et mediate tantum personas, quæ eas transvehunt, vendunt, emunt, etc. Quæ tributa latine *vectigalia*, olim gallice *aides et gabelle*, hodie vulgo *droits-réunis* dicuntur.

Præcipua sunt sequentia : les droits sur les boissons, les cartes à jouer, les douanes, les droits de greffe, l'enregistrement, le timbre, les octrois, le sel, la manufacture et la vente du tabac et de la poudre à tirer, le sucre indigène, les voitures publiques, la navigation intérieure, la garantie des matières d'or et d'argent, les droits de poste, etc.

339. — *Quæritur* 2° an semper urgenda sit restitutio pro rata peractæ defraudationis in solutione tributorum *indirectorum?*

Resp. Solutio hujus quæstionis difficultate non caret. Duplex est enim sententia de obligatione solvendi vectigalia, vel eorum ratione restituendi. Scilicet, alii putant subditos teneri ad solvenda tributa indirecta haud secus ac directa, ob rationes jam allatas, n. 330; et ideo ad restituendum ratione fraudis in eorum solutione commissæ.

Alii vero sentiunt defraudantes vectigalia non esse a Confessariis urgendos ad restitutionem. Nam 1. tributa præsertim indirecta sub magna pœna contra defraudantes imposita sunt; et ideo juste præsumitur tunc principem nolle subditos obligare ad culpam simul et pœnam, et multo minus ad restitutionem.

Quare, dicere potuit Toullier. « Les règlements relatifs à la perception des impôts, n'établissent qu'une obligation *purement civile*, qui soumet les contrevenants à l'amende ou à la peine portée par la loi; mais ils ne forment point contre eux *obligation naturelle*. » Revera non strictior ex

parte subditorum ad solvenda tributa requiritur conscientia, quam ex parte gubernii ad illa insumenda [1].

2. Fraudes circa vectigalia sufficienter compensantur per pœnas pecuniarias, quibus subjiciuntur defraudantes;

1. *Dette publique française.* — La dette publique française était, le 1er avril 1814, de 1,266,152,740 francs; le 1er août 1830, de 3,275,247,360 francs; le 1er mars 1848, de 5,953,944,195 francs; le 1er janvier 1871, de 12,454,274,722 fr.; le 1er janvier 1876, de 19,909,166,754 fr.; le 1er mars 1878, de 19,874,503,480 fr ; le 31 mars 1880, de 19,835,592,871 fr.

Il faut y ajouter la dette flottante, qui était, en 1878, de 812,800,000 francs; la dette viagère, même année, de 1,272,000,000 de francs; les annuités à terme, capital approximatif, de 4 milliards de francs; le 3 °/₀ amortissable, émis en 1878, 500 millions de francs. Total en capital, 26,459,303,480 francs.

Ce capital gigantesque exige en payement annuel, pour la dette consolidée, 745,957,546 fr.; en annuités pour capitaux remboursables, 319,320,333 fr.; pour dette viagère, 132,447,619 fr.; pour annuités aux Compagnies de chemins de fer, 13,021,705 fr.; pour avances annuelles faites aux travaux publics, et qui seront remboursées, 13 millions de francs; pour garantie d'intérêt annuel à payer aux chemins de fer, évaluée en 1880 à 39,800,000 francs. Total, 1,265,000,000 de francs à payer annuellement d'intérêts en 1880.

Depuis cette époque jusqu'au 1er janvier 1884, la dette consolidée a augmenté de plus de 1,350 millions; la dette flottante, de plus de 3 milliards; toutes les autres sources de dette ont augmenté dans la même proportion.

Dans ce qui précède ne sont pas comprises les charges communales et départementales. En les y ajoutant, on peut évaluer, au 1er janvier 1884, l'ensemble des charges publiques de la France à 36 milliards, et à plus de 1,500 millions l'intérêt annuel à payer.

Aucune nation n'a jamais eu une pareille dette; elle absorbe près de la moitié du budget des recettes. En la répartissant sur 37 millions d'habitants, ce serait plus de 1,000 francs de dette par tête, plus de 3,500 francs par famille, en capital; plus de 50 francs par tête en intérêt, et de 170 francs par famille.

Rapport général fait au nom de la commission du budget de 1886, *par* J. Roche, *le 30 juin* 1885.

Budget ordinaire de 1885.....	3,062,385,377
— extraordinaire.....	194,718,248
— sur ressources spéciales.....	469,717,475
Budgets annexes.....	100,001,633
Total du budget de l'Etat.....	3,826,822,703
Budgets des départements (1885).....	271,127,808
— des communes (1884).....	869,425,890
Total général.....	4,967,376,401

Le nombre des communes à octroi, en 1876, était de 1,538, renfermant une population de 10,682,382 habitants, avec produit brut de 249,437,916 francs, soit 23,35 par habitant. Le seul octroi de Paris produit 124,248,466 francs, soit 67 francs par habitant, dont 39 francs pour les droits sur les liquides.

ac proinde Status videtur satis sibi fieri, si cum tanto ejus emolumento, pœna illa defraudantibus irrogetur.

3. Tributa illa præsertim in Gallia adeo sunt onerosa, ut, si integre solverentur, certo excederent reipublicæ necessitates, atque nimis gravarentur subditi.

4. Demum, et hoc in re præsenti maximi est momenti, sensus communis saltem in Gallia huic interpretationi non parum favet [1].

Itaque, juxta Bonacina, Vogler, de Lugo, Scavini, Rousselot, Sœtler, S. Ligor., lib. 3, n. 616, *Hom.*, *Apost.*, n. 81, in praxi, ante factum, suadendum est ne tributa indirecta defraudentur; post factum autem, non obligandi videntur fideles ad restitutionem, quia communissima praxis id habet, connivent Gubernia, et in tanta multitudine tributorum sapientissimi ipsi dubitant an omnia sint justa.

Nec tenetur Confessarius, saltem generatim, petere a pœnitentibus, qui in confessione de tributis tacent, utrum alicujus defraudationis in iis rei sint, vel non; ne forte iis, qui bona fide gaudent, malam fidem inutiliter injiciat.

340. — Hinc colligi potest quænam sit obligatio juris stricti quoad tributum *perscriptionis*, gallice *droit d'enregistrement*, quod in Gallia est adeo frequens et onerosum, et quod a D. Merlin, *Répertoire de Jurisprudence*, sic defi-

1. « Généralement, en France, on ne se croit obligé de payer les droits concernant la régie, la douane et l'octroi, qu'autant qu'on ne peut se soustraire à la vigilance de ceux qui sont chargés de les faire acquitter. On se rassure d'ailleurs sur ce que, malgré les fraudes, l'Etat ne souffre point; qu'il trouve toujours son compte, soit parce qu'il a soin d'augmenter les impôts en raison des fraudes qu'il prévoit, soit parce qu'il sait se faire indemniser par les amendes qu'il inflige à ceux qui sont surpris en flagrant délit. Ce préjugé, ou, si l'on veut, cette erreur populaire, qui est tellement enracinée qu'on tenterait en vain de la détruire, doit entrer pour beaucoup dans l'appréciation morale des fraudes qu'on commet envers le gouvernement. Aussi nous pensons que, sans approuver jamais ces sortes de fraudes, un confesseur doit se montrer indulgent envers ceux qui s'en rendent coupables; il est prudent, à notre avis, de ne point inquiéter ceux qui sont dans la bonne foi, ceux à qui on ne peut persuader qu'ils font tort à l'Etat. Mais, si un pénitent s'accuse d'avoir fraudé les droits, ou s'il demande à quoi s'en tenir sur ce point, le confesseur doit lui rappeler l'obligation où il est d'observer les lois et de payer les impôts directs et indirects; il exigera même qu'il restitue, autant que possible, à raison des fraudes qu'il a commises. » Gousset, n. 999.

nitur : « Ces droits sont ceux que perçoit le trésor public sur les *actes* et les *mutations de propriété*, à raison de leur *enregistrement*, qui en *assure l'existence* et en *constate la date*. » Scilicet, quæstio expendi potest relative ad perscriptionis omissionem, vel ad declarationem valoris vero inferioris, vel ad simulationem et occultationem veri contractus.

1° *De omissione perscriptionis*. Contractus, qui perscriptioni subjiciuntur, si revera intra tres menses non inscribantur in tabulis publicis, non habent diem confectionis in foro externo agnoscendum (*de date certaine*), et eorum inscriptio solvenda est tributo duplo majori. Unde, ex ipso tenore legis, aut saltem ex communi interpretatione jurisperitorum et communi praxi proborum et piorum, non alia oriri videtur obligatio ex omissione perscriptionis, quam illius consectaria ab illa lege determinata sustinendi.

2° *De declaratione valoris vero inferioris*, v. g., boni per donationes, successiones, venditiones transmissi. 1. Si agatur de pecunia, vel de iis quæ assimilantur pecuniæ, ut credita vulgo dicta *valeurs à vue*, equidem ex lege non excipiuntur, et, si aliquomodo in notitiam veniant, tributum exigitur.

Attamen communiter æstimant subditi etiam probi et pii se ad nullam declarationem teneri quoad hujusmodi valores, qui magis fori interni quam externi esse videntur. Revera, cum in his casibus ordinarie fraus non posset probari, nec puniri, lex ideo a solis probis observaretur, et sic solveretur æqualitas inter cives. Aliunde, qui non petit legis protectionem, cur ad pretium pro hac protectione solvendum teneretur?

2. Si agatur de *immobilibus* aut *mobilibus* per *successionem*, aut per contractum sive *gratuitum*, sive *onerosum* acquisitis, possunt tuta conscientia subditi non declarare valorem nisi ratione habita *debitorum*, quibus gravantur et in tantum minuuntur illa bona. Hoc plane consentaneum est juri naturali, atque admittere debent omnes, præsertim post de hac re apertas et recentes reclamationes in cœtu Delegatorum (des Députés) habitas, tacite annuente Gubernio.

Insuper, non declaratur valor intrinsecus, sed tantum *ex-*

nalis immobilium et mobilium, qui in mobilibus infimus est.

Imo plerique declarant valorem venali inferiorem, tum quia tributum perscriptionis pro illis bonis est onerosissimum; tum quia lex censetur sua protectione tegere solum valorem declaratum; tum quia lex indirecte consentire videtur declarationi veri valoris diminutivæ, permittendo privata chirographa (*les contre-lettres*), quæ ordinarie indicant valorem in actu publico consignatum esse inferiorem valore, de quo conventum est; tum denique quia fiscalibus præpositis competit jus æstimationis provocandæ intra tempus determinatum circa immobilia, et quidem cum impensis fisci, quando *octavam* partem venalis pretii fraus non superaverit; impensis autem debitoris et cum supplemento juris perscriptionis, si fraus in declaratione partem octavam excesserit[1].

3° *De simulatione aut occultatione veri contractus.* Sæpe fit, v. g., donatio inter vivos sub specie venditionis, ut minus sit perscriptionis tributum : porro talis simulatio non illicita videtur, atque debetur tantum tributum determinatum pro contractu, cujus forma usurpatur. Lex enim non protegit nisi formam contractus, quæ inscribitur, et ideo principi non debetur nisi tributum ad talem inscriptionem impositum, Hæc est praxis communiter usurpata; nec proprie adest mendacium, cum vere declaretur contractus ad forum externum pertinens.

Qui vero bonum immobile emunt sub chirographo privato (*par acte sous-seing privé*), cum intentione illud revendendi, et postea idem bonum reipsa vendunt per actum authenticum in nomine primi venditoris, non tenentur solvere tributum per emptionem sub chirographo privato, cum beneficium perscriptionis nullo modo fuerit postulatum.

1. Lex sic se habet : « Le droit proportionnel est assis sur les valeurs; la valeur pour le droit proportionnel est déterminée ainsi qu'il suit : pour les *baux* et *locations*, par le prix annuel *exprimé;* pour les transmissions entre vifs à titre gratuit, et celles qui s'opèrent par décès, par les déclarations estimatives des parties, ou par vingt fois le produit des biens déclarés par les parties, ou par le prix des baux courants; art. 4, 14, n. 5, 8. » Tributum inscriptionis pro venditione immobilium aut mobilium est 7 fr. pro 100 fr.; et pro donatione inter vivos, 10 aut etiam 12 fr. pro 100 fr.

§ III

Cuinam facienda sit Restitutio, ratione Tributi defraudati.

341. — Juxta antiquos doctores, restitutio facienda est vel Statui, vel provinciæ, vel civitati, vel privatis, quibus profutura erant defraudata tributa.

At multi recentiores pietate et doctrina conspicui, sentiunt pecuniam defraudatam erogandam esse in usus pios vel in pauperes. Nam 1. Status, provincia, aut civitas nullum detrimentum patiuntur ex his fraudibus, cum augeantur tributa causa fraudum prævisarum aut revera commissarum. Idem dicendum est de tributis quæ publicanis conducuntur, quia pretium conductionis fuit ex prædicta prævisione imminutum. Attamen si isti publicani defraudati fuissent a suis mercenariis (*commis*), ipsis restitutio fieri deberet, juxta omnes.

2. Subditi autem qui magis gravantur ob fraudes in tributis, in individuo non cognoscuntur, ut ipsis fiat restitutio; ergo hæc secundum intentionem illorum rationabiliter præsumptam facienda est, scilicet, in pauperes, vel in publicas utilitates summam impendendo.

Quæ posterior sententia anteponenda videtur, præsertim quando non agitur de summa magni momenti. Revera Ludovicus XVIII curabat, ut xenodochiis remitterentur summæ pecuniariæ Statui restitutæ ob fraudem in tributis solvendis commissam. Attamen, si læsi individualiter dignoscantur, ipsis restituendum est, ut aperte indicant jus naturale et sensus communis.

Aliunde, si Statui restituendum sit, id facile admodum et tuto fiet; ad hoc enim sufficit, ut vel destruatur titulus *census publici*, vulgo dictus *titre au porteur;* vel si summa minor sit, destruatur quantitas chartæ signatæ, vulgo *papier marqué, timbres-postes;* ideo non videtur cur difficultates hic a quibusdam prætendantur.

FINIS TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

TRACTATUS

DE CONTRACTIBUS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — In præcedenti Tractatu dictum est de notione, conditionibus et effectibus juris proprietatis; et inter illas conditiones indicatus fuit duplex proprietatem acquirendi modus, *originarius* scilicet seu occupatio, et *derivativus*, quo res ab uno jam acquisita ad alium transfertur, scilicet vel auctoritate legis, vel præscriptione, vel consensu domini seu *contractu*. Porro de transmissione et acquisitione juris proprietatis per contractum dicendum superest in hocce Tractatu, qui proinde complementum est Tractatus *de Justitia et Jure*. Unde in aperto est principia illa, quæ in præcedenti Tratatu statuimus, esse applicanda etiam in contractibus.

Nec minus patet scientiam hanc, quæ circa contractus versatur, nostra præsertim ætate necessariam prorsus existimandam esse. Commercium enim tam longe lateque ubique terrarum exercetur, adeo transactiones circa jus in re vel ad rem in dies multiplicantur, ut de contractuum æquitate in sacro tribunali sæpe sæpius sententia ferenda sit. « Quare, ait Scavini, videant tyrones quanto animorum conatu niti debeant in rebus his, ut bene omnia discant. »

Agemus, in duplici parte, 1° de Contractibus in genere; 2° de Contractibus in specie [1].

1. Circa Tract. *de Contractibus* consuli possunt auctores jam indicati pro Tract. *de Justitia*, p. 2, et alios plures quos recenset D. Carrière in suis *Prælectionibus Theologicis majoribus de Contractibus*, p. 3 et seq.

PARS PRIMA

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

Tria erunt capita, de contractuum 1° notione, speciebus, et necessitate; 2° conditionibus; 3° effectibus.

CAPUT PRIMUM

DE CONTRACTUUM NOTIONE, SPECIEBUS, ET NECESSITATE.

ARTICULUS PRIMUS

De Contractuum notione.

2. — *Quæritur* quid sit *contractus* de quo hic igitur?

Resp. Contractus, prout in præsenti materia sumitur, definiri solet : *conventio qua duo vel plures sibi invicem aut unus alteri aliquod jus in re vel ad rem conferunt.*

Dicitur 1 : *conventio,* a verbis *venire cum (se réunir, se rencontrer),* seu consensus plurium in idem placitum; sic designatur genus actus, qui essentiam contractus efformat. Conventio enim fieri potest non solum de juris translatione, sed etiam de alio objecto, v. g., de re doctrinali, de itinere sumendo, etc.

Dicitur 2 : *qua duo vel plures;* in his exprimitur contractus subjectum, seu numerus personarum ad contractum perficiendum necessarius. Ut adsit enim juris translatio, requiritur tradens et acceptans; cum nemo sibi ipsi, nec alteri nescienti aut renuenti jus aliquod conferre possit; sed plures esse possunt simul tradentes vel acceptantes, ut facile intelligitur.

Dicitur 3 : *sibi invicem aut unus alteri;* quibus indicatur translationem juris vi contractus, esse vel non esse reciprocam, ita ut uterque contrahens sit vel simul tradens et acceptans, vel unus sit tradens et alter acceptans.

Dicitur 4 : *jus in re vel ad rem;* in his significantur contractus objectum et effectus, quibus hujusmodi conventio vere specificatur et a qualibet alia discernitur. Unde du-

plex esse potest effectus contractus, scilicet, vel translatio ipsius proprietatis seu juris in re, vel obligatio seu jus ad rem; vide Tract. *de Justit.*, n. 5.

Hinc jus nostrum differt a jure Romano, in quo non nisi per rei traditionem transferebatur dominium, dum apud nos vi solius contractus transfertur; ad quam distinctionem jure novo inductam, non satis attenderunt Codicis civilis redactores in definitione contractus[1].

Dicitur 5 : *conferunt*, quocunque modo fiat translatio juris, sive per translationem ipsius proprietatis, sive per obligationis productionem, sive per utriusque modificationem, aut extinctionem.

Itaque sedulo distinguenda est *obligatio* a *contractu*, et contractus a *scripto* seu *actu*, quo de contractu constat; siquidem obligatio est effectus contractus; scriptum autem, aut instrumentum, aut actus authenticus est expressio contractus scripto consignata. In Codice civili voces *obligatio*, *contractus*, *actus* sæpe usurpantur ad eamdem ideam significandam.

3. — *Quæritur* 2° quid intelligendum sit per ea quæ pertinent ad *essentiam*, vel ad *naturam*, vel ad *accidentalia* contractus?

Resp. Hæc tria revera distinguunt jurisperiti in quolibet

1. Contractus in Codice civili definitur : « Une convention par laquelle une ou plusieurs personnes *s'obligent envers une ou plusieurs autres* à donner, à faire ou à ne pas faire quelque chose; » art. 1101. Quæ definitio ex duplici parte deficiens est, scilicet, indicat tantum effectum contractus quoad *jus ad rem*, *s'obligent*; nihil autem dicit de effectu contractus quoad *jus in re* seu ipsius proprietatis translativo; et ideo convenit tantum contractibus productivis obligationis. Sed etiam non exprimit obligationem *reciprocam*, quæ contractum consequi potest; ac proinde solum convenit contractibus unilateralibus obligationem producentibus.

Cæterum, vox *contractus* in sensu naturali proprie designat conventiones *obligationis* tantum productivas : « On a toujours entendu par *contracter* se lier, s'imposer un lien, se soumettre à une obligation, en sorte que le contrat était la convention obligatoire, la convention produisant engagement. Mais le Code, dans le langage nouveau qu'il adopte, confond le contrat avec la convention. Pour lui, toutes les conventions sont des contrats, et on a, dès lors, trois classes de contrats : les contrats producteurs d'obligations, les contrats extinctifs d'obligations et les contrats translatifs de propriété. » Marcadé, in art. 1104.

contractu, et hujusmodi distinctio supponitur in pluribus Codicis articulis, v. g., art. 1155 et 1719, 1876; atque ideo ne æquivoca verborum usurpatione in errorem inducamur, illorum verborum propriam significationem apprimere callere necesse est.

Porro 1. ea dicuntur ad *essentiam* contractus pertinere, sine quibus contractus nullatenus existere potest, vel est contractus alterius speciei, v. g., ad venditionem tria essentialia sunt, scilicet, *res*, *pretium* et *consensus;* uno deficiente, non est venditio; si autem loco pretii alia res detur, est commutatio et non venditio.

2. Ea pertinent ad *naturam* contractus, quæ, licet non expressa, tamen ex lege, consuetudine, vel æquitate naturali, in contractu comprehensa intelliguntur, quoties nihil in contrarium statutum fuit; sed quæ per conventionem peculiarem possunt a contractu excludi, quin stare cesset contractus, v. g., assecuratio rei venditæ contra evictionem a venditore naturaliter præstanda est.

3. Tandem ea dicuntur *accidentalia*, quæ contractui adjungi possunt, sed adjecta non censentur, nisi adsit specialis clausula, v. g., talis vel talis dilatio solutionis pretii.

Plurimi sane interest in quolibet contractu assignare quid sit essentiale, quid naturale, quid accidentale.

ARTICULUS II

De Contractuum speciebus.

4. — *Quæritur* quænam sint præcipuæ contractuum *species?*

Resp. Innumeræ sunt species contractuum, quod circa jus proprietatis inire possunt homines; præcipuas illarum cognoscere oportet, ut applicentur legis dispositiones unicuique propriæ. In triplicem generalem classem dividimus contractus, scilicet, ratione *causæ*, *effectus* et *formæ*.

5. — 1° Ratione *causæ* seu motivi, contractus est unilateralis, bilateralis, vel mixtus, principalis vel accessorius.

1. *Unilateralis* seu gratuitus ille dicitur, in quo unus tantum e contrahentibus obligatur, et qui vergit in utili-

tatem unius tantum, v. g., promissio donationis, donatio.

2. *Bilateralis* seu onerosus, synallagmaticus, a verbis græcis σὺν ἀλλάσσω, *cum permuto*, ille est, in quo uterque contrahens reciprociter obligatur, et qui respicit utilitatem utriusque partis, ut venditio, locatio.

Subdividitur in perfectum vel imperfectum, commutativum vel aleatorium.

Perfectus est, quando obligatio ex utraque parte est immediata et essentialis, ut in venditione; *imperfectus* autem, quando ex alterutra parte obligatio est accidentalis tantum, ut in deposito : depositarius quidem tenetur essentialiter depositum reddere; sed deponens aliquod pretium depositario solvere non tenetur nisi *ex post facto* et occasionaliter, seu nisi ex hypothesi quod in eo custodiendo quædam factæ fuerint expensæ. Aliquando difficile est unum ab altero secernere.

Commutativus dicitur ille, in quo unusquisque e contrahentibus censetur dare aut accipere aliquid æquivalens et certum, sicut in venditione et in commutatione; *aleatorius* vero est ille, in quo æquivalens ponitur in spe lucri obtinendi, vel damni vitandi ad eventu incerto pendentis, v. g., in ludis, assecurationibus, censibus gallice dictis *rentes viagères*.

3. *Mixtus* dicitur, qui est ex parte onerosus, et ex parte gratuitus, ut si donatio fiat sub onerosa, sed respective levi, conditione.

4. *Principalis* est, qui in se et independenter ab alia conventione subsistit, ut venditio.

Accessorius, qui pendet ab alia conventione, aut eam supponit, ut hypotheca, satisdatio (*le cautionnement*).

6. — 2° *Ratione effectus*, contractus est vel translativus proprietatis seu juris in re, vel productivus obligationis seu juris ad rem, vel utriusque modificativus, aut extinctivus. Attamen omnes illi effectus possunt oriri simul ex eodem contractu, qui tunc diceretur *mixtus* ratione effectus.

7. — 3° Ratione *formæ*, contractus est solemnis vel non

solemnis, realis vel consensualis, expressus seu formalis, vel tacitus seu virtualis, aut quasi-contractus.

1. *Solemnis* ille est, ad cujus *valorem* requiruntur quædam conditiones seu formalitates lege præscriptæ, ut contractus matrimonialis, hypoteca conventionalis, donatio, adoptio.

Non solemnis ille est, qui, ut valeat, nullam specialem formalitatem requirit, sed subjicitur tantum dispositionibus generalibus, sicut locatio, venditio.

2. *Realis* ille est, qui *in sua specie* non perficitur, nisi per traditionem rei, de qua convenitur, mutuum, depositum.

Consensualis est ille, qui solo contrahentium consensu rite exhibito perficitur ante rei traditionem : tales sunt hodie apud nos plerique contractus.

3. *Expressus* seu formalis, qui fit verbis, scriptis aut aliis signis consensum directe manifestantibus.

Tacitus seu virtualis, quando consensus in objectum conventionis existit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto, vel facto manifestatur, vel quem existere postulat æquitas. Sic medicus et artifex, cum artem suam exercent, promittere censentur se id omne præstituros esse, quod homines ejusdem professionis in simili casu præstare solent.

Iste contractus communiter dicitur *quasi-contractus*. Attamen, juxta juristas, quasi-contractus non dicitur, nisi quando deest saltem ex una parte verus consensus, et non adest nisi consensus fictus, id est, quem lex positiva fingit adesse; seu, ut alii dicunt, quando postulat æquitas exoriri obligationem eodem modo ac si verus præstitus fuisset consensus; v. g., Paulo absente, ipsius domum ab incendio cum quibusdam impensis tueor; Paulus, ex quasi-contractu, valorem impensarum mihi refundere debet. Unde quasi-contractus in Codice definitur : *Factum hominis voluntarium (et licitum) ex quo quis erga alterum obligatur, et aliquando duo erga se invicem obligantur;* art. 1371.

In decursu præsentis Tractatus non est quæstio de contractu Matrimonii, de quo actum est in Tractatu speciali.

ARTICULUS III

De Contractuum necessitate.

8. — *Quæritur* an et quo jure necessarii sint contractus?

Resp. Primaria necessitas seu origo contractuum a jure naturæ repetenda est; sed variorium in specie contractuum moderatio ad jus positivum humanum, aut civile, aut gentium refertur.

Etenim 1. cum in die multiplicati fuissent homines, ad pacem et concordiam, imo et ad laboris incitamentum, omnino necessaria fuit bonorum divisio, dominiumque fixum et permanens, ex dictis in Tract. *de Justitia*, n. 38 : atqui, posita bonorum divisione, inductoque dominio privato, fixo et permanenti, oportuit existere aliquem paciscendi modum.

Nam, post illam bonorum divisionem, cum *non omnis ferat omnia tellus*, effectum est, ut inter homines alii quibusdam rebus abundarent, quibus alii maxime indigerent; et aliunde multi sane potuerunt aut propria negligentia, aut variis aliis de causis ea amittere, quæ sibi aut majoribus suis obtigerant: ergo necessitas coegit, ut homines ea, quibus abundarent, aliis impertirent, aliaque, quibus ipsi carerent, sibi acquirerent.

Multum abest autem quod omnium necessitatibus sufficienter satisfaciat caritas, quæ in plerisque refrixit, et cujus officia ab invitis extorqueri nequeunt; ergo cogitandum fuit de alia via, qua alter ad rerum utilium, quibus indigemus, dominium in nos transferendum, nosque operibus suis juvandos, perfecta obligatione adstrictus esset. Hæc via alia non est quam alterius consensus seu contractus, cujus ideo primaria necessitas seu origo a jure naturæ repetenda est.

2. Diversæ tamen species contractuum finiuntur et regulantur per jus positivum humanum, ut in eis clarius et verius determinetur jus ipsum naturale. Unde Jus Romanum vocatum est *ipsa ratio scripta*. Varii igitur contrahendi modi subjiciuntur legi humanæ, ut statim explicandum habemus.

CAPUT II

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD VALIDITATEM CONTRACTUS

In quinque articulis dicemus de conditionibus requisitis ex parte 1° legis civilis, 2° consensus, 3° objecti seu materiæ, 4° causæ, 5° subjecti.

ARTICULUS PRIMUS

De conditionibus ad validitatem Contractus requisitis ex parte legis civilis.

Exordimur a legis civilis præscriptionibus, eo quod statim in cæteris conditionibus ad validitatem contractuum requisitis applicationem habent.

Quæ præscriptiones ex effectu, si non serventur, vulgo dicuntur *nullitates legales*. De his porro quatuor expendenda sunt, nempe, 1. auctoritas legis civilis circa nullitatem contractuum; 2. variæ species nullitatum legalium; 3. vis in conscientia harum nullitatum; 4. valor contractus initi in fraudem legis irritantis seu nullitatis legalis.

§ I

De auctoritate legis civilis circa nullitatem Contractuum.

9. — Quæstio est, scilicet, an legis civilis præscripta circa contractus ita obligare possint, ut, si non serventur, contractus sint non solum illiciti, sed etiam invalidi.

Porro agnoscunt omnes dari posse leges civiles, quæ contractum irritent saltem in foro externo. An irritari possint etiam in foro conscientiæ, non ita constat.

Alii siquidem absolute negant, eo quod ad bonum publicum promovendum, sufficiant leges in foro tantum externo irritantes.

Alii putant legem civilem irritare posse etiam in foro interno contractus, qui vim non habent nisi ex illa lege, qualia sunt, ex multorum opinione, testamenta. Ita sentire videtur Toullier, 5ª edit., t. 7, n. 491.

Alii sentiunt Principem posse quoslibet contractus irritare in foro conscientiæ, sed non ante sententiam judicis; quia illud nimis durum foret et onerosum.

Alii demum docent Principem posse, si velit, irritare contractus, etiam ante sententiam judicis. Cum quibus sit

PROPOSITIO

10. — *Lex civilis irritare potest contractus in foro conscientiæ, etiam ante sententiam judicis.* Ita communius et probabilius.

Etenim ad hoc tria requiruntur et sufficiunt, scilicet, ut contractus sit de foro civili, ut irritatio in foro interno ante sententiam judicis æquitati non repugnet, atque bono publico sit utilis : porro hæc tria adesse possunt in lege civili.

Et quidem 1. contractus circa jus proprietatis est *de foro Principis*, cum per se et directe respiciat bonum temporale societatis, cujus cura Principi devolvitur; in hoc consentiunt omnes.

2. *Æquitati non repugnat.* Nam eo ipso quod quis membrum est societatis civilis, Principi competit quoddam dominium in ipsius actus; ergo, licet potestas contrahendi sit de jure naturali, ea vel saltem ejus exercitio privari potest subditus, auctoritate Principis, quemadmodum facultate quosdam actus faciendi licite.

3. *Bono publico utilis esse* potest contractus irritatio ante sententiam judicis. Etenim irritatio est per se sanctio efficacissima, qua melius removentur cives ab ineundis hujusmodi contractibus; siquidem si tantum prohiberentur, sæpe allicerentur subditi, sperantes actum fore tamen validum, si semel initus fuerit.

Insuper, si expectanda sit sententia judicis ut contractus irritetur, sæpe ab eo ineundo non sufficienter arcebuntur plurimi, qui spe judicem decipiendi, aut corrumpendi, aut saltem pauperem fatigandi per longam litem, conventiones dolosas inire persistent.

Tandem, ex omnium confesso, leges prohibentes vim habere possunt in conscientia : cur autem non et leges

irritantes? Sane nec Scriptura, nec Traditio, docendo Principibus obediendum esse, distinctionem ullam inducunt; sed eorum verba sunt omnino generalia et absoluta.

Revera judicis sententia aliunde justa, contractum irritans, ordinarie obligat in foro conscientiæ : atqui judex a Principe trahit omnem suam auctoritatem; ergo Princeps irritare potest contractus in foro conscientiæ, etiam ante judicis sententiam.

11. — *Obj.* 1° Contractus initus absque formalitatibus legis, valet jure naturali : atqui lex civilis irritare nequit, quod probatur jure naturali; ergo, etc.

Resp. Dist. min. Lex civilis irritare nequit, quod *imperatur* lege naturali, *conc.;* quod lege naturali *permittitur*, *nego :* atqui *modus* contrahendi, quem irritare potest lex civilis, permittitur, non imperatur lege naturali, ut patet ex objecto illarum legum irritantium; ergo, etc. Revera dispositiones juris naturalis et juris proprie positivi non simul coexistunt, sed dispositio juris proprie positivi incipit, ubi cessat dispositio juris naturalis, n. 8.

12. — *Inst.* Si obligarent in conscientia omnes leges irritantes, nimis restringeretur facultas disponendi de suis bonis v. g., in patre, qui, si habeat tres filios, de qūarta parte tantum per testamentum disponere potest ex lege civili : atqui tale jugum intolerabile est, et juri naturali repugnare videtur; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Nimis restringeretur facultas disponendi, posito quod leges irritantes afficerent omnes vel multiplices contractus. *conc.;* si afficerent tantum quosdam, *nego*. Quoad exemplum allatum, fusius expendetur ubi de testamentis. Interea notare sufficiat adesse revera quamdam juri naturali repugnantiam, in eo quod pater nimis restringatur in sua facultate de suis bonis disponendi.

13. — *Obj.* 2° Ad bonum publicum promovendum, sufficit, quod lex irritet contractum in foro externo; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Non obstante enim irritatione in foro externo, multæ subsisterent conventiones bono publico nocivæ, v. g., contractus minoris cum tutore, uxoris cum suo conjuge ; et ideo in his et aliis similibus casibus non parum interest, quod lex contractum irritet etiam in foro interno.

§ II

De variis speciebus nullitatum legalium.

14. — *Quæritur*, scilicet, *quænam* sint nullitates a jure nostro hodierno de facto statutæ?

Hæc questio in plerisque auctoribus magna diversitate opinionum intricatur; eam tamen magis elucidasse videntur auctores recentiores; ad quorum mentem sic distinguemus. Scilicet :

Nullitates afficiunt vel *instrumentum* tantum, vel *ipsum pactum;* quæ vero afficiunt pactum, sunt *radicales*, vel *non radicales;* tandem radicales et non radicales subdividuntur *in directas* et *pœnales*.

15. — I. Nullitates legales attingunt vel solum pacti *instrumentum*, vel ipsum *pactum*. Fieri enim potest ut conventio valeat, licet irritum sit ejus instrumentum, quod tunc tantum requiritur ad probationem, non vero ad solemnitatem; et vice versa : imo illud sæpe evenit, quia plerumque causæ nullitatis non sunt eædem. Hic maxime interest distinguere nullitates, quæ attingunt ipsum pactum. Porro,

16. — II. Nullitas quæ ipsum *pactum* afficit, est vel *radicalis* seu *completa*, vel *non radicalis*, *incompleta* seu *rescindibilitas*.

1° Nullitas *radicalis* seu completa, quæ vocatur etiam nullitas *pleni juris*. aut *juris* saltem plerumque, ea est quæ *ab initio impedit ne contractus efformari possit*, ne *existat nisi tantum quoad apparentiam*.

Talis adest nullitas 1. quando conventioni deest quædam ex conditionibus, quas ut essentiales requirit lex civilis, v. g., consensus, objectum, causa. 2. Quando contractus initus est contra aliquam legis prohibitionem; v. g,, radicaliter nulla est stipulatio de successione futura, vel derogans potestati maritali in conjugio, vel ob turpem causam inita; attamen multa fieri prohibentur, quæ facta tenent. 3. Quando in contractu non servantur formæ, quæ dicun-

tur requiri ad solemnitatem, v. g., in donationibus, in testamentis, in hypothecis, etc.

Hinc 1., quoad *causam*, nullitas radicalis fundatur vel in aliquo *essentiali vitio* contractus, vel *directe* et *primario* in motivo *ordinis publici*.

Hinc 2., quoad *effectus*, nullitas radicalis est *absoluta* et *perpetua : absoluta* quidem, eo sensu quod contractus, quem talis nullitas afficit, a nemine possit invocari; et, si invocatur, possit ab omnibus quorum interest, repelli; atque ideo a judice non proprie irritetur, sed irritus perhibeatur per sententiam *mere declaratoriam*.

Perpetua etiam eo sensu, quod contractus cum tali nullitate initus, non possit ratihaberi aut confirmari, nec ullo temporis spatio convalescere.

Revera nullitas radicalis impedit ne contractus existat : porro, quod non existit, a nomine invocari potest nec confirmari, nec unquam convalescere. Jus tamen ad nullitatem radicalem, sicut jus quodlibet, subjicitur præscriptioni triginta annorum.

Unde adest nullitas absoluta et perpetua seu radicalis, quando lex pure et simpliciter pronuntiat nullitatem absque ulla restrictione aut limitatione ad certas personas, aut ad certum tempus.

17. — 2° *Nullitas non radicalis, incompleta*, seu *rescindibilitas, annulabilité*, quæ vocatur etiam nullitas sine addito, aut *rescissio, action en nullité, en rescision*, ea est, quæ ab initio *non impedit* ne contractus *existat*, sed hunc ita *vitiosum facit*, ut *una pars habeat facultatem* vel *obtinendi a judice* ejus *annihilationem, vel, si* placet, illum *ratihabendi* et *confirmandi*. Tales sunt, v. g., contractus nulli ex metu, ex dolo, ex læsione, et incapacitate minorum, interdictorum, uxorum, ut fusius in decursu Tractatus dicetur.

Hinc 1. quoad *causam*, rescindibilitas fundatur in aliquo vitio non per se essentiali contractui, atque *primario* et *directe* in motivo boni *privati*.

Hinc 2. quoad *effectus*, rescindibilitas est *relativa* tantum et *temporanea*. Et quidem *relativa;* nam contractus rescin-

dibilis valet, donec rescindatur a judice; atque ejus rescindibilitas opponi potest, saltem plerumque, a quibusdam tantum personis a lege determinatis; quæ ideo hujusmodi beneficio legis renuntiare possunt, rescindibilem contractum plene voluntarie confirmando sive *expresse*, verbo nempe aut scripto, sive *tacite*, per *executionem* actus, uti rescindibilis cogniti, a parte in cujus utilitatem statuta fuerit illa rescindibilitas, art. 1338.

Porro rescissio, si a judice pronuntietur, habet effectum retroactivum, ita ut partes reponantur, in quantum fieri potest, in eodem statu ac si nunquam contraxissent. Similiter contractus rescindibilis, si confirmetur, censetur fuisse validus ab initio, salvis tamen juribus tertio acquisitis ante contractus confirmationem. Unde conventio rescindibilis est *valida* sub conditione resolutoria, *irrita* autem sub conditione suspensiva, n. 84.

Temporanea est etiam eadem nullitas. Facultas enim petendi rescissionem restringitur intra spatium decem annorum, quando per legem peculiarem non determinatur tempus brevius, art. 1304.

Unde adest nullitas relativa et temporanea seu rescindibilitas, quando lex pronuntiat contractus nullitatem *cum restrictione* ad *certas personas*, aut ad *certum tempus*.

18. — Cæterum *rescissio* sedulo distinguenda est a *resolutione* contractuum, quæ nullum vitium supponit in contractu, sed illum jam existentem destruit propter eventum prævisum aut imprævisum, vel vi conditionis expressæ aut tacite; art. 960, 951, 1168, 1183, etc.

19. — Præfata nullitatum notio commendatur non solum claritate et simplicitate, sed etiam auctoritate recentiorum jurisperitorum, eamque sat luculenter exponit Mourlon, *Repétitions*, etc., t. 2, ad art. 1304.

20. — III. Nullitas sive radicalis, sive non radicalis subdividitur in *directivam* et *pœnalem*.

Directiva seu generalis nullitas ea est, quæ directe et

immediate decernitur in *bonum* publicum aut privatum, atque opponi potest non solum contrahenti et hujus hæredibus universalibus, sed etiam ejus hæredibus particularibus et tertio cuilibet detentori. Talis est nullitas ex defectu objecti, causæ, aut solemnitatum in donatione, ex errore, metu, læsione, etc., proveniens, n. 34.

21. — *Pœnalis* seu personalis nullitas ea est, quæ directe imponitur *in vindictam* alicujus *delicti* et *reparationem damni;* ac consequenter opponi potest alteri contrahenti delinquenti, et hujus hæredibus universalibus, non autem ejus hæredibus particularibus aut alii tertio detentori extraneo. Talis est nullitas ob dolum accidentalem, n. 34.

22. — Raro evenit ut nullitas sit tantummodo pœnalis; sed plerumque cum eo motivo simul concurrit motivum boni publici aut privati, ac proinde nullitas est simul directiva. Imo nullitas pœnalis est ordinarie non radicalis, sed rescindibilem tantum facit contractum.

§ III

De vi nullitatum legalium in foro conscientiæ.

23. — Quæstio est an nullitates, quæ afficiunt ipsum pactum, sive radicales, sive non radicales, n. 16, 17, vim habeant in foro interno, sicut et in foro externo.

Porro quinque hypotheses fieri possunt, scilicet : 1° vel nullitas *radicalis* est ex jure *civili simul* et ex jure *naturali* aut *divino;* 2° vel radicalis est ex jure *civili* tantum; 3° vel est *non radicalis* seu rescindibilitas ex jure *civili simul* et ex jure *naturali* aut *divino;* 4° vel ex jure *civili tantum;* 5° vel nullitas *radicalis* aut *non radicalis* est ex jure *civili,* sed *contra* jus *naturale,* aut jus *divinum,* aut *ecclesiasticum.*

24. — I. Si nullitas *radicalis* sit ex jure *civili* simul et ex jure *naturali* aut *divino,* producit suum effectum in foro conscientiæ independenter a qualibet sententia judicis, imo et ante petitionem alterius partis. Contractus enim omnino nullus seu non existens coram lege quacunque, nullum

effectum sortiri potest, ut per se patet. Sic, v. g., conventio absque consensu essentiali, aut cum errore substantiali circa objectum, n. 46, nullo modo existit coram lege naturali et civili, atque ut talis ab utraque parte in foro conscientiæ haberi debet, statim ac de illo vitio constat.

25. — II. Si nullitas *radicalis* sit ex jure *civili tantum*, dum silet seu permittit jus naturale, n. 11, non consentiunt auctores, ut colligi potest ex jam dictis, n. 9, 10. Alii quippe asserunt talem nullitatem non obligare in conscientia ante sententiam judicis. Nam obligatio quæ hominibus imponeretur se sponte sua spoliandi emolumentis ex contractu in se legi naturali minime contrario, esset durissima, et pro plerisque transgressionis occasio, nec ad finem legis obtinendum necessaria. Finis siquidem ille est, ut contrahentes metu nullitatis incitentur ad servandas legis præscriptiones : porro ad id sufficit, ut nullitas invocari possit ab iis quorum interest; ergo, etc.

Alii vero putant nullitatem ex jure civili radicalem obligare etiam ante sententiam judicis. Nam difficile concipitur cur nullitas ex jure tantum positivo orta non eumdem effectum obtineret, ac nullitas jure etiam naturali innixa.

Si secus, aliquando legislator scopum suum non obtineret, v. g., si agatur de vitio occulto, aut saltem iis ignoto qui nullitatem invocare possent; et tamen interese potest ut scopus obtineatur. Hæc fusius dicentur, n. 184.

26. — Ex his satis aperte sequitur illum, cui nullitas ex jure civili radicalis opponitur, et cui declaratur intentio sententiam obtinendi, teneri saltem ex caritate statim consentire rescissioni, si causa sit clara et inconcussa; alioquin contra conscientiæ dictamen, parti suæ damnum inferret per sollicitudines et expensas, quas secum inferunt lites, et forsan concurreret ad provocandum judicium injustum : hæc autem omnia æquitati repugnant.

27. — III. Si nullitas *non radicalis* seu *rescindibilitas* oriatur ex jure *civili simul et naturali*, v. g., rescindibili-

tas ex dolo, ex metu, ex errore accidentali in donatione, n. 47, 49, contractus rescindibilis est in foro conscientiæ ad nutum alterius partis.

Namque, ex una parte, cum rescindibilitas sit nullitas conditionata tantum, id est, posito quod invocetur tempore competenti, valet contractus, donec rescissio postuletur; et ideo interea ille, cui favet contractus rescindibilis, huic stare potest, donec pars, cujus interest rescissio, eam invocet.

Ex altera parte autem, facultas rescissionem postulandi oritur ex jure naturali simul et civili; ergo in foro conscientiæ invocari potest rescissio; talique petitioni obtemperare debet altera pars etiam ante sententiam judicis, si res sit satis per se clara et aperta, ut supra dictum est, n. 26.

28. — IV. Si *rescindibilitas* oriatur *tantum* ex *jure civili*, dum silet aut permittit jus naturale, v. g., rescindibilitas contractus ex incapacitate minoris, uxoris, etc., contractus irritus est in foro conscientiæ, post judicis sententiam.

Et quidem, ex una parte, valet contractus donec ejus rescissio a judice pronuntietur, cum ut talem illum contractum agnoscat lex civili; et ideo, ante sententiam judicis, in foro conscientiæ contractui stare potest ille cui favet conventio; nisi tamen res sit per se aperta, ut supra, n. 26.

Ex altera vero, pars cujus interest rescissio, eam in foro conscientiæ potest provocare, alioquin ei nihil prodesset rescindibilitas contractus in foro externo, cum tuta conscientia ejus rescindibilitatem invocare non posset coram judice; sicque suo fine penitus careret lex civilis.

Cæterum patet contra justitiam peccare illum, cujus interest actum valere, si uteretur malis artibus, mendaciis, a fortiori minis vel metu ad impediendum ne alter vitia actus cognosceret, aut ne iis cognitis rescissionem postularet, aut eam a judice obtineret. Vide Tract. *de Justit.*, n. 248.

29. — V. Tandem, si nullitas *radicalis* aut *non radicalis* seu rescindibilitas oriatur ex *jure civili*, sed *contra* jus *naturale*, aut *divinum*, aut *ecclesiasticum*, hujusmodi nullitas

suum effectum in foro conscientiæ sortiri nequit, eo quod nihil valet jus civile contra jus naturale, aut divinum, aut ecclesiasticum : sic, v. g., juxta plurimos, non valet in conscientia lex civilis quæ in Gallia nimis restringit in parentibus capacitatem de suis bonis disponendi, eo quod repugnet juri sive naturali, sive sociali, ut infra, n. 152. Similiter, certum est non valere legem civilem quæ restringit dominii capacitatem institutorum ecclesiasticorum, aut nullas declarat donationes ad pias causas, *defectu legalis formæ*, eo quod hujusmodi restrictiones repugnant juri divino et ecclesiastico, ex dictis in Tract. *de Justit.*, n. 78, 79, et ex dicendis, n. 137, 186.

Jam vero magna est difficultas determinare, quinam contractus sint radicaliter irriti ex jure naturali simul et civili; aut ex civili tantum; vel rescindibiles ex jure naturali simul et civili, aut ex civili tantum. Quod secernere in decursu Tractatus conabimur.

§ IV

De valore Contractus initi in fraudem legis irritantis seu nullitatis legalis.

Inquiri potest 1° quid sit contractus in fraudem irritantis legis initus; 2° an sit irritus; 3° quotnam modis iniri possit. Itaque

◊ 30. — *Quæritur* 1° quid sit contractus in fraudem legis initus?

Resp. Contractus in fraudem legis initus ille est, qui *verbis* legis *concordare* videtur, sed ejus *sensui contrarius* est; et ideo, ut adsit fraus, non sufficit intentio legi se substrahendi, sed requiritur ut *revera fiat, quod lex voluit impedire*. Sic. v. g., in fraudem legis irritantis contrahit, qui dat uni, ea conditione ut iste tradat alteri personæ a lege prohibitæ, vel qui occultat donationem prohibitam sub specie venditionis.

◊ 31. — *Quæritur* 2° an *irritus* sit contractus in fraudem legis irritantis initus?

Resp. Contractus in fraudem irritantis legis initus, est *irritus in conscientia saltem, nullitate per eam legem* inducta. Ita communiter.

Prob. 1. *Ex regulis Juris :* Nemini *fraus et dolus patrocinari debent.* Pariter, *cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti.* Demum, *is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* 2. *Ex lege civili,* art. 911, 1099, 1527, de quibus in decursu dicemus. 3. *Ratione;* nisi enim contractus irritus esset, lex irritans eos tantum respiceret, qui non satis astuti essent ad eam eludendam. Aliunde, cum hujusmodi fraudes plerumque ita dissimulentur, ut in foro externo vix detegi, et a fortiori probari possint, in plerisque casibus lex esset omnino inutilis, nisi obligaret in conscientia.

Dixi 1 : *nullitate per legem inducta,* id est, contractus in fraudem legis irritantis initus est irritus radicaliter, vel tantum rescindibilis, prout nullitas, quam fraudulenter violat, est radicalis vel rescindibilitas tantum, n. 24, 25, 27, 28.

Dixi 2 : *saltem;* nam fieri potest quod non solum talis contractus sit radicaliter nullus aut rescindibilis; sed etiam quod reparandum sit damnum independenter a qualibet sententia, sed petitione illius cujus interest, si ex utraque vel alterutra parte adhibitæ fuerint viæ injustæ. Præterea, si adsit lex specialis, quæ talem vel talem fraudem attingat, hujus ratio habenda erit, ut determinetur species nullitatis.

o 32. — *Quæritur* 3° quotnam modis conventio iniri possit in fraudem legis irritantis?

Resp. Quatuor modi ordinarie distinguuntur in fraudem legis contrahendi, videlicet, modus *de re ad rem, de persona ad personam, de contractu ad contractum, de loco ad locum.*

Et quidem 1. *de re ad rem,* cum res prohibita non datur, sed aliquid æquivalens, v. g., si debitor ad eludendum articulum Codicis commercii, quo irrita declaratur solutio summarum facta intra decem dies qui præcedunt cessionem bonorum, pro debitis commercialibus nondum exigibilibus, creditori traddisset merces aut alia hujusmodi.

Unde huic fraudi obviam ivit legislator, art. 446, Cod. com.

2. *De persona ad personam,* quando quis, favere volens personæ prohibitæ, dat alteri sub ea conditione, ut iste tradat priori; ille cui datur ut alteri tradat, dicitur *persona interposita,* art. 911, 1099, 1100.

3. *De contractu ad contractum,* quando contractns prohibitus vere intentus occultatur sub specie apparenti alterius contractus. Ille modus est satis communis, et multiplici de causa adhibetur, v. g., donatio dissimulatur sub specie venditionis, vel ad excedendam partem disponibilem, vel ut minus sit tributum perscriptionis (*droit d'enregistrement*), vel ad parcendum verecundiæ donatarii, etc. Unde perpensandum est an contractus sit prohibitus vel in se, vel quoad talem personam, vel quoad tale objectum, et tunc pronuntiabitur an et quænam aderit nullitas; art. 911.

4. *De loco ad locum,* quando quis ad se subtrahendum legis imperio, transit in alium locum, in quo lex illa non viget. Attamen in hoc casu videndum est an aliquis, domicilium mutando, reipsa legi subjectus esse cessaverit; tunc enim, qualemcunque habuerit intentionem, non infrangit legem, et contractus est validus.

ARTICULUS II

De conditionibus ad validitatem Contractus requisitis ex parte consensus.

Dicemus 1° de dotibus consensus; 2 de vitiis quæ huic nocere possunt.

§ I

De dotibus consensus ad Contractum requisitis.

33. — Consensus est essentia et quasi anima contractus, ut patet ex hujus definitione; unde, juxta omnes, aliqualis requiritur consensus ad contrahendum. Ut autem consensus ad contractum valeat, pluribus vestiri debet dotibus, scilicet, debet esse internus, externus, mutuus, actualis, plenus et perfectus.

34. — I. *Internus,* id est, non sufficit interior voluntas proferendi serio verba, quibus exprimatur intentio con-

trahendi, sed etiam requiritur *interna* et *sincera* intentio *contractum perficiendi* atque *sese obligandi.*

Equidem plures Theologi, sed numero pauci, nec ex gravioribus, docent ad valorem contractus sufficere consensum in verba serio prolata, etiamsi unus e contrahentibus intra se dicat : *Nolo contrahere, nolo me obligare;* tum quia, id exigere videtur commercii securitas; tum quia, cum in foro saltem externo ex consensu ficto oriatur obligatio, qui verba serio profert, vult implicite se obligare.

Verum alii longe communius affirmant requiri *sinceram intentionem contrahendi et sese obligandi.* Etenim 1. in jure Romano statuitur stipulationem quæ fit verbis, *nisi habeat consensum,* nullam esse. Sed etiam Codex civilis varias tradit regulas ad discernendum qualis fuerit in dubio *voluntas* contrahentium; imo, art. 1156, expresse declaratur observandam esse *intentionem* contrahentium, potiusquam sensum litteralem contractus; ergo, etc.

2. Ratio idem adstruit. Etenim, cum in omni contractu agatur de juris translatione, hæc translatio oritur vel ex verbis serio prolatis vel ex lege, vel ex interna voluntate contrahentis : atqui duo priora rejcienda sunt, siquidem verba instituta sunt ad significandum, non ad obligandum, atque lex civilis, ut jam dictum est, manifeste supponit internam intentionem ad valorem contractus; ergo juris translatio oritur ex interna voluntate contrahentium.

35. — Cæterum 1. semper coram lege et tribunalibus, consensus serio prolatus præsumitur internus; et, si contrarium probetur, judex præcipit damni reparationem.

2. Qui ficte consensit, tenetur ex justitia reparare damna, quæ exinde pro altera parte consequuntur; et, si aliter reparare nequeat quam formando contractum, tenetur verum consensum præbere, modo adhuc contractus formari possit.

3. Non tenetur altera pars credere asserenti se ficte consensisse, nisi validis argumentis adstruatur assertio.

Quæ profecto sufficiunt ad consulendum bono publico, et securitati commercii.

36. — Hinc nullus est contractus, si partes non habeant intentionem *sese obligandi*, aut *obligationem acceptandi;* nam obligatio vel juris translatio est de contractus essentia, n. 2.

37. — Multi etiam asserunt auctores nullum esse contractum, si partes velint se obligare sub *levi*, quando objectum est *grave;* obligatio enim essentialiter conformis esse debet suo objecto : v. g., repugnat, ut, qui stricte obligatur ad solvendum mille nummos, tamen non peccet nisi venialiter, si obligationem non impleat.

Hæc sententia inconcussa quidem nobis videtur, si agatur de re cujus gravitas non pendet a voluntate hominis, v. g., de odio Dei aut proximi, de blasphemia, de homicidio aut adulterio. At idem non omnino nobis constat in materia justitiæ; non repugnat enim quod contrahentes de jure suo ante factum sibi reciproce cedant; atque ideo etiam pro summa gravi contrahant sub levi, eo sensu quod si una pars sit contractui infidelis, altera pars non sit nisi leviter invita. Et revera, ante factum, pars læsa potuisset totum jus suum cedere; cur ergo non potuerit jus illud retinere sub levi?

Non requiritur autem ad valorem contractus intentio *adimplendi* obligationem; aliud est enim obligationem in se suscipere, aliud eam implere : unum sine alio stare potest, ac proinde duæ voluntates non sunt contradictoriæ.

38. — II. *Externus*, id est, consensus debet esse aliquo modo exterius manifestatus.

Constat 1. *ex voluntate contrahentium.* Nemo est enim, qui firmam habens voluntatem contractum ineundi, eam non consideret tanquam *merum propositum* revocationi obnoxium, donec exterius manifestate fuerit, imo et acceptata : atqui actus non operantur ultra intentionem agentis; ergo, etc. 2. *Ex fine contractuum :* nam ex pacto unus saltem contrahentium acquirit jus, quod via coactionis exigi potest : atqui tale jus non oritur, nisi consensus internus exterius manifestetur, siquidem tunc causa juris nec cog-

nosci, nec acceptari posset; ergo, etc. Idem colligitur ex necessitate consensus *mutui*, ut statim dicitur.

Attento jure naturali, sufficit signum qualecunque, modo ex eo innotescat voluntas contrahentium, sive dicto, scripto, facto, sive explicite aut implicite manifestetur. Inter ea autem, quæ lex civilis statuit de signis consensus, alia ad *probationem* contractus exiguntur, alia vero ad *solemnitatem :* si priora desint, poterit nulla esse obligatio civilis, sed naturalis certo exurget; si posteriora absint, major erit difficultas, de qua dicetur, n. 181, 184.

39. — III. *Mutuus*, id est, uni datus et ab altero acceptatus. Etenim ad contractum requiritur consensus duorum saltem in idem placitum : atqui talis unio non adest, nisi 1. consensus unius alteri *intimetur*, seu ipsi manifestetur ex intentione et voluntate dantis illum consensum, quia, ante hujusmodi intimationem, in communi hominum æstimatione censetur adesse merum propositum; nisi 2. consensus unius ab altero *acceptetur*, alioquin non adesset consensus duorum in idem placitum; et revera nemo acquirit dominium sine voluntate acquirendi, sicut nemo intendit rem alteri dare, nisi acceptare velit.

40. — Si agatur autem de *simplici remissione debiti*, dissentiunt auctores. Hæc duo statui possunt. 1. Si remissio fiat per viam *contractus*, non ita perfecta est, ut non possit revocari a creditore, antequam acceptetur; et si interea moriatur creditor, debitum remanet. 2. Si fiat vero per viam *abdicationis*, tunc, cum debitor nihil novi acquirat, non requiritur ejus acceptatio, et proinde sine illa debitor liberatur.

Non requiritur tamen, ut ab utraque parte consensus eodem tempore edatur, et valet contractus, etiamsi post longum intervallum unus e contrahentibus consentiat, modo consensum præstet eo tempore quo alter adhuc capax est consentiendi, et in consensu a se præstito perseveret. Hinc, si quis absenti donationem inter vivos fecerit, valet donatio, etiamsi donatarius eam non acceptaverit,

nisi post aliquod intervallum, modo acceptatio facta fuerit vivo adhuc donatore, et perseverante in animo donandi. Si vero donatarius acceptationem non præstiterit, nisi postquam donatore e vivis excessit, vel donationem revocavit, invalida est donatio.

41. — Disputant auctores an requiratur *intimatio acceptationis*.

Alii hanc intimationem requiri sentiunt pro contractibus bilateralibus, in quibus acceptans confert jus aliquod offerenti; ita De Lugo. Alii docent illam intimationem necessariam esse in omnibus contractibus; ita Toullier, t. 3, n. 29. Alii demum propugnant, seclusa lege, consuetudine, aut expressa intentione contrahentium, non requiri ut acceptatio innotuerit offerenti, alioquin de medio tollerentur contractus inter absentes, quia perpetuo ex alterutra parte revocabilis erit consensus.

Hæc porro statuenda videntur. 1. Ex speciali dispositione legis, art. 932, donatio inter vivos in favorem absentis facta, vim non habet, nisi acceptatio donatarii expresse et juridice denuntiatia fuerit donatori. Sed insuper, ex praxi et jurisprudentia apud nos recepta, satis constare videtur venditionem non esse perfectam nisi notificata *de facto*, vel saltem *irrevocabiliter missa* acceptatione, ita ut ante hujusmodi notificationem res venditori periret, aut alteri valide venderetur.

2. Si proponens contractum velit, ut non perficiatur, nisi quando sibi innotuerit alterius acceptatio, non antea perficietur.

3. Seclusa lege, consuetudine et contrahentium voluntate, anteponenda est tertia opinio; nihil enim aliud exigit natura contractus quam acceptationem.

4. In omni sententia dicendum videtur eum, qui proponit alteri contractum, exspectare debere donec iste acceptare potuerit. Si autem antea revocet, contractus quidem non perficietur, jam deficiente consensu; sed tenebitur compensare damna aut expensas, quæ alter expertus fuerit propter hanc revocationem.

42. — IV. *Actualis* sive *virtualis*, id est *procedens ab actu voluntatis hic et nunc existente*, vel *moraliter seu virtualiter perseverante*, ita ut non sufficiat consensus *habitualis*, nec *interpretativus*, nec *præsumptus*.

Etenim is consensus requiritur, qui pariat transmissionem juris : atqui solus actualis aut virtualis consensus id efficere potest, cum sit solus consensus vere existens et proprie dictus.

Revera *habitualis* consensus magis est dispositio ad consentiendum, quam verus consensus; *interpretativus* est ille, qui datus *fuisset*, si mens de re cogitasset; demum *præsumptus* ille est, qui præsumitur adfuisse, etsi de facto abfuerit; ergo solus consensus actualis aut virtualis est vere existens, atque ideo ad contractum requiritur. Attamen, cum ex lege sive naturali, sive positiva, eadem nascatur obligatio ex consensu legitime præsumpto, ac si adfuisset verus contractus, ideo dicitur adesse *quasi-contractus*, n. 7.

Consensus autem legitime datus moraliter seu virtualiter perseverat, *donec revocatus fuerit;* nec nocet, quod inter consensum unius et consensum alterius longum intercedat temporis spatium. In hoc consentiunt omnes; atque illud admittitur jure sive canonico, sive civili. Consensus enim est aliquid morale, ab influxu temporis omnino independens; et ideo semel datus perseverat, quemadmodum contractus jam peractus, donec revocetur.

43. — V. *Plenus* et *perfectus*, id est, ex parte intellectus, *plene deliberatus;* ex parte autem *voluntatis*, *perfectus* seu omnino *spontaneus* pro contractibus *gratuitis*, etsi sufficiat *imperfectus* seu *mixtus* pro contractibus *onerosis*.

Et quidem 1. *plene deliberatus*, qualis requiritur ad peccatum mortale. Nemo enim obligari potest uti homo per actum, quem non fecit nisi ut semi-homo; nec semi-advertentia sufficicienter metiri potest, ut exinde colligatur obligatio tali advertentiæ proportionata. Aliunde insufficienter provideretur bonis vitæ humanæ necessariis, si semi-vigiles, semi-ebrii, semi-fatui contractus etiam gravissimos inire possent; nemo nescit quam facile isti decipiantur.

2. *Perfectus* seu omnino *spontaneus* pro contractibus *gratuitis*. Motivum enim seu causa contractus gratuiti est benevolentia seu adimpletio beneplaciti : atqui deficit beneplacitum, ubi aliqua suboritur repugnantia. Hinc ut nullæ habentur donationes, quæ non proficiscuntur ex liberalitate et beneficientia.

3. *Imperfectus* autem seu aliqua rationabili repugnantia mixtus consensus sufficit in contractibus *onerosis;* cum enim in hujusmodi contractibus uterque tantum dat, quantum accepit, eo ipso habet semper titulum ad recipiendum, modo alter libere consentiat, etsi cum aliquali repugnantia.

Quarum tamen assertionum circa advertentiam et voluntarium sensus et applicatio strictius determinanda erunt ex dicendis de vitiis consensus.

§ II

De Vitiis, quæ consensui nocere possunt.

44. — Vitia consensus dicuntur quæcunque impedimenta, ne consensus habeat dotes, quas ad contractum necessarias esse jam demonstratum est in præcedenti paragrapho; et quæ ideo contractum nullum vel rescindibilem faciunt.

Quatuor sunt hujusmodi vitia, duo ex parte intellectus, nempe *error* et *dolus*, duo ex parte voluntatis, scilicet, *metus* et *læsio*.

NUMERUS PRIMUS

De Errore.

45. — *Quæritur* 1° quid sit error, et quotuplex in materia præsenti?

Resp. 1. Error generatim est *falsum de aliqua re judicium*, seu æstimatio unius pro alio; unde differt ab ignorantia, quæ est tantum cognitionis carentia, nullum ideo judicium supponens. Hic tamen de utroque indistincte loquemur, quia in præsenti materia error et ignorantia iisdem subjiciuntur regulis.

2. Duplex est erroris genus, nimirum substantialis vel accidentalis.

Substantialis seu essentialis error ille est, qui cadit in aliquid, quod est *contractui inito essentiale*, sive *in se*, sive *in intentione* utriusque ad alterutrius ex contrahentibus. *Accidentalis* autem ille est, qui cadit in *mera accidentalia* contractus.

Error *accidentalis* est vel *incidens*, concomitans, seu non dans causam contractui, vel *antecedens* seu ita *dans contractui causam*, ut sine illo contractus initus non fuisset. Potest autem dare causam *positive*, quando voluntatem reipsa determinat; vel *negative*, quando non influit quidem, sed tamen talis est, ut eo detecto contractus initus non fuisset.

46. — *Quæritur* 2° *quandonam* error sit *substantialis*, vel *accidentalis* simul et *dans positive causam contractui?*

Resp. Substantialis est error 1. circa *naturam* contractus: v. g., intendo *vendere* equum, alter autem intendit eum mihi *locare*.

2. Circa *personam*, in contractibus gratuitis, quotiescunque illius intuitu fit donatio: v. g., intendo donare equum *Petro*, non autem cuilibet alii.

3. Circa *causam* seu *motivum finale intrinsecum*, quod dicitur motivum *contractus*, ut distinguatur a motivo *extrinseco*, quod motivum *contrahentis* nuncupatur, n. 57, v. g., intendo donare Petro, falso existimans eum esse meum consanguineum; vel talem summam ei esse ex legato patris debitam.

Error circa motivum *extrinsecum* v. g., emo equum, quia falso mihi nuntiatum est meum interiisse, non fit in foro juridico substantialis, nisi quatenus conditio essentialis alteri contrahenti ante contractum manifestatur. Ita probabilior sententia.

4. Circa *ipsum objectum*, v. g., intendo emere equum A, alter vero intendit mihi vendere equum B; vel intendo talem equum emere pro pretio 1,000 fr., dum alter intendit vendere pro pretio 1,500 fr.

5. Circa *qualitates* objecti, quando eorum defectus objectum reddit in communi hominum æstimatione *moraliter*

diversum ab eo, quod *explicite* vel saltem *implicite intendebant* contrahentes : v. g., intendo emere annulum, quia puto esse *aureum*, dum revera cupreus est; vel quia creditur illo annulo usum fuisse Napoleonem, quod falsum est; vel quia idem annulus falso reputatur tempore Augusti imperatoris, aut a tali celebri artifice confectus.

Itaque substantialis est error, qui versatur circa id 1. cui utraque vel saltem alterutra pars *stricte* et *explicite* aut *implicite alligat suum consensum;* 2. vel cujus defectus rem facit *inhabilem ad finem a partibus intentum;* 3. vel cujus defectus *tollit omne motivum rationabile agendi.*

Error autem est *accidentalis* simul et *dans positive causam contractui,* quando versatur circa aliquod *motivum extrinsecum* non sufficienter alteri contrahendi, utpote dans contractui causam manifestam : v. g., emo equum, quia falso nuntiatum est meum interiisse, nec comparti pono hujusce nuntii veritatem uti conditionem essentialem emptionis; vel quando versatur circa *objecti qualitates*, quæ in communi æstimatione hominum non illud reddunt moraliter diversum, sed quia nihilominus determinant contrahentem, quin hujusmodi influxus alteri contrahenti, dum conficitur contractus, explicite aut implicite manifestetur : v. g., emo equum, apud me falso putans eum esse fortem; vel constituo hæredem Petrum meum consanguineum, falso existimans eum de me bene dixisse.

47. — *Quæritur* 2° quisnam error ita consensum vitiat, ut contractum irritet?

Resp. 1. Error *substantialis radicaliter* irritat contractum n. 16, 24. Etenim ibi nullus est contractus, ubi nullus est consensus : atqui nullus est consensus, quando error substantialis est, siquidem non datur consensus, nisi sub conditione quod adsit contractus substantia. Ita aliunde Codex civilis, art. 1109.

Hoc autem verum est de errore sive *facti*, sive *juris*, v. g., do Joanni partem successionis, falso existimans eum esse consanguineum in tali gradu, in quo reipsa lex aliquod jus confert : en substantialis error *facti;* do ei, gradum in

quo est consanguineus omnino cognoscens, sed falso existimans aliquid a lege talibus consanguineis tribui : en substantialis error *juris*. Codex enim civilis non distinguit, et ideo nec nos distinguere debemus, art. 1109, 1235, 1377, 1376. Ita communiter Jurisperiti recentiores.

Attamen Codex civilis excipit transactiones, art. 2053, et confessionem judiciariam, art. 1356 : quæ duplex exceptio principium generale confirmat.

2. Error *accidentalis positive dans causam contractui, non irritat contractus onerosos*, sed *bene gratuitos*. Non *onerosos*, quia, non obstante illo errore, contrahentes et vere et libere consentiunt in contractus substantiam quam cognoscunt integram; et aliunde bonum publicum et securitas commercii exigunt, ut unus e contrahentibus non alliget consensum meris accidentibus, nisi id formaliter exprimat, alioquin incerti efficerentur omnes contractus.

Sed irritat *gratuitos* contractus; impedit enim ne sint pure voluntarii, etiam quoad substantiam; siquidem donator potest et censetur alligare suum consensum his omnibus, quæ illum efficaciter determinant. Cæterum inde non periclitatur bonum publicum, et donatarius non potest rationabiliter conqueri, sicut fieret in contractibus onerosis, v. g., in venditionibus.

NUMERUS II

De Dolo.

48. — *Quæritur* 1° quid sit dolus, et quotuplex?

Resp. 1. Dolus est *fallacia* aut *machinatio ad alterum fallendum adhibita*. Unde dolus ab errore differt in eo, quod dolus supponit in uno contrahente intentionem alium decipiendi, et media ad decipiendum reipsa adhibita; dum error absque illa intentione et a fortiori absque hujusmodi mediis consistere potest.

2. Dolus, sicut error cujus est causa, est *substantialis* vel *accidentalis*, *positivus*, vel *negativus* : *positivus* quidem, cum aliquid *fit* aut *dicitur*, quo alter in errorem inducatur; *negativus*, quando consistit in dissimulatione aut reticen-

tia veritatis culpabili. De hoc posteriori dicemus ubi de venditione; de priori hic tantum agitur.

49. — *Quæritur* 2° quinam dolus positivus ita consensum vitiat, ut contractum *irritet*, aut reddat *rescindibilem?*

Resp. 1. Dolus *substantialis*, seu inducens contrahentem in errorem *substantialem, irritat* contractum etiam ante sententiam judicis. Nam talis est effectus erroris substantialis, ex dictis, n. 47; ergo a fortiori, aut saltem pari jure, idem est effectus, quando adest idem error ex dolo proveniens.

2. Dolus *accidentalis* dans positive causam contractui, *irritat* contractum *gratuitum; rescindibilem* vero facit contractum *onerosum*, si dolus proveniat *culpabiliter* ab *altero contrahente*.

Et quidem radicaliter *irritat* contractum *gratuitum*. Nam talis est effectus erroris accidentalis dantis positive causam contractui gratuito, n. 47; ergo a fortiori, aut saltem pari jure, idem est effectus, quando adest idem error ex dolo proveniens.

Rescindibilem vero facit contractum *onerosum*, si dolus *culpabiliter* proveniat ab *altero contrahente*. Equidem, *error* accidentalis non facit rescindibilem contractum *onerosum*, ut vidimus, n. 47. At hujusmodi contractus rescindibilitas est effectus doli, per modum *reparationis* injuriæ ex dolo consequentis. Etenim, in contractibus incundis, jus habemus considerandi, deliberandi et varia pensandi motiva : porro, qui dolo determinavit alium ad contrahendum, istium libertatem violavit; ergo, in pœnam et reparationem illius injuriæ, rescindibilis esse debet contractus ad nutum partis læsæ ante sententiam judicis, ut deceptus ponatur in statu libertatis, in quo erat ante contractum. Sic aliunde Codex civilis, art. 1116, 1117.

Itaque hujusmodi rescindibilitas peti non potest nisi a parte decepta, non autem a contrahente deceptore, qui ideo stare tenetur contractui, donec pars læsa facultate rescissionis utatur.

3. Dolus *accidentalis*, etiam dans positive causam con-

tractui, si proveniat a *tertia persona, absque ulla participatione contrahentis*, contractum *onerosum non facit rescindibilem*. Ita probabilius.

Contractus enim onerosus non est rescindibilis ob errorem accidentalem ex dolo provenientem, nisi ad reparandam injuriam parti deceptæ per dolum illatam : atqui justum non esset quod alter contrahens, qui nullo modo fuit deceptor, reparare teneretur illam injuriam per contractus rescissionem; ergo, etc. Huic opinioni favet art. 1116.

Aliud dicendum, si contrahens fuerit particeps doli; aliquando autem particeps censetur, eo ipso quod dolum cognoverit, quando nempe agitur de re, quam ex se manifestare tenebatur, v. g., de vitio occulto equi in hujus venditione. Et in hoc casu iste contrahens propter dolum suum condemnari posset, in quantum mea interesset non fuisse deceptum.

NUMERUS III

De Vi et Metu.

50. — *Quæritur* 1° quid sit *vis*, et *metus*, et quotuplex?

Resp. 1. *Vis* in genere, est *motio contra voluntatis inclinationem impressa a causa extrinseca*. Si hæc causa sit *physica*, v. g., si manus alicujus invite ducatur ad subscribendum contractui, illa motio dicitur *vis* simpliciter, aut *violentia*, *coactio*. Si autem illa causa sit tantum *moralis*, v. g., si in minis consistat, motio dicitur *metus*. Unde metus est *trepidatio mentis, instantis aut futuri periculi causa*.

2. Metus ratione intensitatis duplex est, nimirum, *gravis* vel *levis*, prout timetur malum grave aut leve.

Gravis autem metus talis est vel *absolute*, quando scilicet timetur malum, quod afficit, vel afficere potest *constantem* virum, gallice *un homme fait*, seu, ut dicitur, art. 1112, *une personne raisonnable;* vel *relative* tantum, quando nempe timetur malum absolute quidem leve, sed grave relative ad sexum, ætatem, indolem personæ, cui injicitur metus; sic pueri, mulieres, senes metu majori, cæteris paribus, affici solent, quam viri ætate maturi.

51. — *Quæritur* 2° an et quandonam metus contractum *irritet*, aut eum reddat *rescindibilem?*

Resp. 1. Metus *extremus*, id est, qui rationis usum perturbat, radicaliter irritat quemcunque contractum, defectu consensus sufficienter deliberati ad contractum omnino requisiti, n. 43.

2. Metus *absolute* vel *relative gravis, injuste incussus*, radicaliter irritat contractus *gratuitos*. Tunc enim non adest voluntarium purum, ad contractus gratuitos requisitum, n. 43. Illudque verum est, sive metus incutiatur ab altero contrahente, sive a tertia persona, sive in ordine ad contractum, sive sine illo ordine.

3. Metus *absolute* vel *relative gravis*, injuste incussus *ab altero contrahente*, etiam *sine ordine* ad contractum, *rescindibilem* reddit contractum *onerosum;* item si incutiatur a *tertia* persona *in ordine* ad contractum onerosum.

Et quidem *rescindibilem* reddit contractum *onerosum*. Nam, ex una parte, sub metu gravi, remanet voluntarium mixtum, quod sufficit in contractibus onerosis; et ideo contractus non est invalidus ex parte consensus; ex altera autem, qui metum intulit, commisit injustitiam, quam perfecte reparare nequit, nisi læso relinquat facultatem contractum dissolvendi; ergo metus gravis contractum onerosum reddit non invalidum, sed rescindibilem.

Etiamsi *alter contrahens non incusserit metum in ordine ad contractum*. Semper enim verum est eum, qui intulit metum alteri, istum ad contractum injuste induxisse ex necessitate vitandi malum intentatum; ac proinde eadem ratio rescissionis subsistit.

Item, *si incutiatur a tertia persona, saltem in ordine ad contractum*. Hæc assertio evidens est ex art. 1111, qui generaliter statuit vim adhibitam adversus eum, qui obligationem contraxit, esse causam nullitatis, etiamsi adhibita fuerit a tertio. Revera consensus datus in eo casu est fructus injustitiæ; ergo, qui vellet contractum esse firmum, injustitiam consummaret, et ex illa fructum perciperet : quod æquitati contrarium est.

Equidem in simili casu dolus rescindibilem probabilius

non facit contractum onerosum, n. 49 ad 3; et hujusce diversitatis conclusionis varias rationes afferunt Theologi et Jurisperiti; quas cum exposuit Carrière, n. 72, putat satius esse stare juri civili, et in eo præcipue stabilire rationem diversæ decisionis, quæ datur pro utroque casu.

Si metus incutiatur a *tertia* persona, sed *non in ordine ad contractum*, valde scinduntur auctores.

4. Quæ hactenus diximus de metu gravi et injusto, applicantur etiam, quando metus fuit incussus contrahentis *conjugi* aut *ascendentibus* et *descendentibus*, ex art. 1113; hoc in foro interno extendi potest ad fratres, aut alios propinquos, secundum varias circumstantias.

5. Metus *levis* in foro *externo* non attenditur, saltem generatim loquendo, alioquin via aperiretur innumeris litibus.

In foro *interno* autem *levis* metus irritat contractus *gratuitos*, quando eorum vera causa fuit, quia tunc impedit plenam spontaneitatem, n. 43; *onerosos* vero contractus *rescindibiles* facit, si vera sit eorum causa; injuria enim levis reparanda est, sicut et gravis; et ideo hic militat ratio allata pro gravi metu.

NUMERUS IV

De Læsione.

℘ 52. — *Quæritur* 1° quid sit *læsio?*

Resp. Per *læsionem* in contractibus intelligitur damnum quod patitur alteruter ex contrahentibus, quando non servatur æqualitas, quæ ex jure naturali requiritur in conventionibus hominum; id est, quando pretium et cætera opera superant vel non exæquant valorem communem rei in stipulationem deductæ.

Dicitur : *valorem communem*, quia justum rerum pretium non consistit præcise in aliquo puncto individuo, sed quamdam latitudinem suscipit, habita ratione circumstantiarum; ac proinde læsio adesse non dicitur in contractu, nisi cum illud quod acceptum est ab uno ex contrahentibus, superat *maximum pretium* rei in stipulationem deductæ, aut minimum non exæquat.

Itaque læsio oritur ex dolo aut saltem ex errore; et sub

eo respectu computatur inter vitia consensus, de quibus agimus; et reipsa art. 1118 supponit per læsionem *vitiari* consensum.

§ 53. — *Quæritur* 2° an læsio invalidet aut rescindibiles faciat contractus?

Resp. 1. In foro *interno* non invalidatur contractus ratione læsionis, quia non est error substantialis. Sed lædens tenetur ad reparationem inæqualitatis; imo, si dolum adhibuerit, tenetur ad reparandum damnum inde secutum, etiamsi dolus probari non posset.

2. In foro *externo*, quoad *majores*, non tenetur lædens in eorum gratiam restituere læsionis causa, nisi in casibus et positis conditionibus a lege expressis, art. 1313. Isti autem casus sunt : 1. variæ *partitiones* (partages), in quibus læsio superat quartam partem; ita in materia *hæreditatis*, art. 887, 1079; in materia *communitatis* inter conjuges, art. 1476; inter socios, art. 1872. Sed ex art. 891, rescissio impediri potest, si lædens solvat partis suæ supplementum. 2. Venditio immobilium, quæ non indiget auctoritate judicis, quando læsio excedit septem ex duodecim (*les sept douzièmes*) valoris rei venditæ. Extra hos duos casus, non admittitur rescissio inter majores.

Quoad *minores*, si non sit emancipatus, minor potest obtinere rescissionem simplicis læsionis causa, in omnibus conventionibus contra legem initis; si autem minor sit emancipatus, potest obtinere rescissionem in conventionibus tantum quæ excedunt ejus capacitatem; art. 1305. Sed de hoc plura dicemus, n. 64.

§ 54. — *Quæritur* 3° an nullitas ex errore, dolo, metu et læsione, sit *directiva*, vel *pœnalis*, n. 20, 21.

Resp. 1. Nullitas tum ex errore *substantiali*, et, pro contractibus gratuitis, ex errore *accidentali* dante positive causam contractui, tum ex dolo in iisdem casibus, tum ex metu extremo et gravi, tum ex læsione, est directiva, seu generalis, eo quod fundatur in vitio consensus; et ideo opponi potest non solum alteri contrahenti et hujus hære-

dibus universalibus, sed etiam hæredibus particularibus et tertio cuilibet detentori. Hoc implicite supponunt art. 1881, 2125, 2182.

Attamen, quæ statim dicemus de nullitate contractus *onerosi* ex dolo *accidentali*, forsan dici possent etiam de nullitate ejusdem contractus ex metu gravi, n. 49 ad 3.

2. Nullitas autem ex dolo *accidentali* dante positive causam contractui *oneroso*, n. 49 ad 3, est *pœnalis* juxta plerosque auctores. Non afficit enim substantiam consensus; sed a lege statuta est per modum reparationis damni consequentis ex dolo alterius contrahentis; ergo hujusmodi nullitas est pœnalis et personalis, haud secus ac quælibet reparatio; est ideo opponi nequit nisi contrahenti, qui dolo utitur, et hujus hæredibus universalibus, n. 21.

ARTICULUS III

De Materia Contractuum.

55. — *Quæritur* 1° quid sit *materia contractuum?*

Resp. Contractuum materia seu objectum est id *de quo conveniunt* contrahentes : cum autem contractus sit medium acquirendi, quidquid dominii objectum esse potest, sive res mobiles aut immobiles, sive ususfructus rei aut usus, sive simplex possessio, sive factum aut omissio facti, potest generatim esse materia contractuum; art. 1126, 1127. Vide Tract. *de Justit.*, n. 14 et seq.

Quædam tamen requiruntur conditiones, de quibus nunc agendum. Unde

56. — *Quæritur* 2° quænam necessariæ sint *conditiones*, ut res aliqua possit esse materia seu objectum contractus?

Resp. Requiritur quod res sit *possibilis*, creditori *utilis*, *propria danti*, aliunde *non debita* ex *stricto jure*, ad *contrahentes spectans*.

Et quidem 1° *possibilis* sive *in se*, sive relative *ad contrahentem*, sive relative *ad legem*.

1. *In se*, alioquin, cum res esset omnino impossibilis, et ad impossibile nemo teneatur, nullum obligationis vinculum ex consensu circa tale objectum oriri posset, v. g.,

si quis vendat equum B, qui jam periit ante hujusmodi contractum. Si autem impossibilitas absoluta ab uno tantum contrahente cognoscatur, hic damnum ex deceptione consecutum reparare tenetur, non vi contractus, cum non potuerit consentire. qui illam impossibilitatem cognoscebat, sed propter injuriam alteri illatam.

2. *Relative ad contrahentem,* eadem ratione ac in casu præcedenti; res enim in neutro casu dici potest in commercio relative ad contrahentes, v. g., si quis vendat centum frumenti mensuras, quæ nec habet, nec sibi procurare potest.

3. *Relative ad legem,* sive naturalem, sive divinam, sive ecclesiasticam, cive civilem.

Sive *naturalem;* quædam enim ex lege naturali sunt extra commercium, seu illicita materia contractus, v. g., facta turpia, commutatio rei temporalis pro re spirituali seu simonia.

Sive *divinam*, quæ prohibet ne res temporalis *concomitanter,* sed intrinsece et necessario annexa rei *spirituali,* sit materia contractus onerosi, in quo temporale ex alia parte detur, v. g., labor necessario conjunctus administrationi sacramentorum, ex verbis Christi : *Gratis accepistis, gratis date.*

Sive *Ecclesiasticam,* ex quo res temporalis *antecedenter* vel *consequenter* annexa spirituali in quibusdam casibus determinatis non potest esse materia contractus onerosi, v. g., pretium accipi nequit pro chrismate et oleo sacro, quod per ecclesias distribuitur; venditio-emptio beneficiorum quoad jus ad fructus prohibetur lege ecclesiastica.

Sive *civilem,* quæ plura excludit ab hominum pactionibus, v. g., ea quæ ad Rempublicam pertinent titulo supremæ auctoritatis, præscribi non possunt; prohibetur etiam alienatio successionis personæ viventis, bonorum dotalium, nisi in casibus a lege determinatis, etc.

2° *Utilis* creditori; alioquin vanus et illusorius esset contractus, nec stipulans fieret vere creditor, si promissio etiam servata, nullum commodum ei suppeditaret.

Porro objectum, ut sit utile, debet esse *determinatum*

aut saltem *determinabile* quoad qualitatem et quantitatem.

1. Quoad *qualitatem*, requiritur et sufficit determinatio *speciei*. Requiritur, alioquin per quodcumque objectum obligationi satisfacere posset debitor : sufficit, tunc enim objectum determinari potest saltem a judice, ac proinde obligatio aliquod commodum confert creditori : sic non valeret conventio de tradendo animali, bene vero de equo aut bove. Quando objectum in specie tantum determinatur, debitor nec tenetur rem optimam in sua specie dare, nec potest dare pessimam, art. 1022, 1246; sed requiritur ut res sit apta ad usum, ad quem destinatur.

2. Quoad *quantitatem*, non requiritur ut sit certa, sed sufficit quod sit determinabilis, recurrendo nempe ad regulas interpretationis contractum, et attentis variis circumstantiis : sic non valeret conventio de tradendo frumento; bene vero de tradendo frumento quod est in horreo meo, vel quo indigeo *per annum*.

3° *Propria dantis*, id est, sub dominio illius qui eam tradit; quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam habet ipse; art. 1021, 1599. Attamen, ex art. 2279, 2280, valide acquiruntur mobilia, etiamsi alienata a non domino, quando empta fuerunt in foro, sub hasta, vel apud mercatorem publice hujusmodi merces vendentem.

Similiter, pro pactis commercii, venditor rei alienæ tenetur ad rem similem emptori evicto procurandam, vel ad eum indemnem faciendum; quia venditor emptori assecurationem præstare debet contra totalem vel partialem evictionem.

4° *Aliunde indebita stricto jure accipienti*. Qui enim rem jam debet stricte, ad nihil novum ex parte sua se obligat, ac proinde nullum jus habet accipiendi pretium, nec rem præstare potest titulo donationis : v. g., qui rem alterius isti venderet, nullum titulum haberet ad accipiendum pretium, ac proinde ad restitutionem teneretur.

5° Ad *contrahentes spectans*, ita ut, scilicet unus pro se stipuletur, et alter pro se promittat. Sicut enim nemo potest alterum non consentientem ligare, ita nec pro illo non

consentiente jus strictum acquirere; art. 1119, 1165. Unde, si quis alium daturum vel facturum aliquid promiserit, non obligabitur. Si autem dixerit se effecturum, ut alter aliquid det aut faciat, utilis erit stipulatio, quia tunc non alienum, sed proprium factum promittitur, art. 1120.

Attamen, valet stipulatio facta in favorem alicujus tertii, si tanquam conditio apponatur stipulationi, quæ nostra interest, vel donationi quam alii facimus; nec revocari potest, si tertius acceptationem suam manifestaverit : v. g., vendo agrum, et stipulor quod liceat tertiæ personæ illac transire; art. 1121. Similiter valet stipulatio facta ex mandato tertiæ personæ, quia tunc ea, cujus nomine agitur, censetur ipsa contrahere.

Tandem, quod pro nobis stipulamur, præsumitur in stipulationem deduci etiam pro hæredibus nostris, et pro causam nostram habentibus (*pour nos héritiers et ayants-cause*), nisi aliud expresse conventum fuerit, vel sequatur ex conventionis natura, art. 1122. Hæres enim ipsius contrahentis personam repræsentat.

ARTICULUS IV

De Causa Contractuum.

57. — *Quæritur* 1° quid sit contractuum *causa*, et quotuplex ?

Resp. 1. Causa contractuum est *ratio proxima* et *intrinseca* ipsius contractus, et ideo dicitur causa *finalis*, motivum *intrinsecum*. Unde differt a causa remota et extrinseca, quæ dicitur *motivum extrinsecum* seu *contrahentis*, n. 46, ad 3.

Scilicet, in contractibus onerosis causa intrinseca est obligatio reciproca : do *ut* des, do *ut* facias, facio *ut* des, facio *ut* facias; sic in omni venditione pactio de pretio est causa pactionis de mercede, et vice versa; si quis vero emit equum, quia audivit suum interiisse, tale motivum est extrinsecum contrahenti, et superadditur motivo intrinseco omni emptioni.

In contractibus gratuitis causa seu motivum intrinsecum est animus benefaciendi, aut delectatio ex beneficio proveniens.

Porro, in sensu juridico, agitur de causa immediata seu de motivo *intrinseco;* et ideo requiritur ut adsit vel intuitus obligationis mutuæ, vel animus benefaciendi : si utrumque desit, contractus est irritus, quia jam non datur ratio sufficiens consensus.

2. Duplex esse potest causa contractuum, nempe *vera* vel *falsa,* et utraque est vel *licita,* vel *illicita :* vera quidem aut falsa, prout revera in se, vel in mente tantum contrahentium existit; licita autem vel illicita, prout permittitur aut prohibetur ab aliqua lege legitima.

58. — *Quæritur* 2° an et quandonam contractus sit *invalidus* aut *rescindibilis* ratione *causæ?*

Resp. 1. Si causa sit *falsa,* radicaliter irrita est conventio, v. g., subscribo obligationi tibi dandi talem summam, existimans eam fuisse a patre meo tibi legatam : postea vero detego testamentum fuisse revocatum; ergo corruit obligatio defectu causæ. Tunc enim adest error substantialis, n. 46, ad 3.

2. Si causa sit *illicita* ex utraque parte, id est, de præstanda re vel actione, quæ hic et nunc præstari nequit sine peccato, v. g., de adulterio aut homicidio perpetrando, de injusta sententia ferenda, distinguendum est : vel agitur de contractu *ante crimen patratum,* vel *post illud patratum;* vel post *exsecutionem ipsius contractus.*

Si agatur de contractu *ante crimen patratum,* nulla est obligatio; imo unus tenetur a re turpi abstinere, et alter non solvere quod promisit, ne alterum ad crimen incitet; et si pretium solverit, qui illud recepit, restituere tenetur, cum nullum habeat titulum ad retinendum.

Si agatur de contractu *post patratum crimen,* non consentiunt Theologi; sed, juxta communiorem et in praxi probandam sententiam, generatim invalidus est contractus ob turpem causam, etiam *post patratum crimen.* Res enim turpis non est pretio æstimabilis; et aliunde obligatio per se et directe ad crimen patrandum incitaret, ut promissarius jus suum acquirat. Ex jure civili, generatim invalidi sunt contractus ob turpem causam, quæ, scilicet, *prohibetur a*

lege, vel *contraria* est *bonis moribus*, aut *ordini publico*, art. 1131, 1133, 1172.

Si agatur de contractu *post hujus exsecutionem*, ex jure naturali, qui vi talis contractus aliquid accepit, tenetur restituere ei, qui solvit; contractus enim invalidus nullum jus ipsi transtulit. Secus vero, si ille, qui solvit, compertum habuerit se ad id non teneri, et tamen donare voluerit,

Idem dicendum est ex jure civili, art. 1376; jamque hodie talis est jurisprudentia, ait Marcadé. Excipiunt quidam casum, quò princeps tolerandas judicat quasdam professiones turpes, ad vitanda, ut putat, majora mala; tunc, inquiunt, qui eas professiones exercent, possunt retinere quod ipsis datur, ex auctoritate legis dominium ipsis transferendi eorum, quæ fisco non addicit; n. 280.

Unde meretrices, attentis circumstantiis et intentione dantis atque legis, non tenentur probabilius ad restitutionem; et revera S. Pœnitentiaria declaravit non esse cogendas a Confessario, sed hortandas ut pretium in usus pios erogent; 23 apr. 1822.

Tandem, si causa sit illicita ex una parte, licita autem ex altero, hæc invocare potest contractum et illius exsecutionem, v. g., promitto tibi decem nummos, ea conditione, ut reddas mihi annulum pretiosum, quem tanquam depositum tibi commisi; et tu accipis hanc promissionem : porro, vi istius promissionis, possum licite vindicare annulum aliunde debitum; tu autem non potes licite a me vindicare decem nummos.

ARTICULUS V

De conditionibus ad validitatem Contractus requisitis ex parte Subjecti.

59. — *Quæritur*, scilicet, quinam ad contrahendum sint habiles ex jure naturali, vel civili?

Resp. 1° Ex jure *naturali*, ii omnes et soli valide contrahere possunt, qui usum rationis habent. Nam ad contractum requiritur et sufficit ex parte contrahentis capacitas transferendi dominium bonorum suorum, aliasque obliga-

tiones sibi imponendi : atqui ad hoc necessarius est et sufficit rationis usus, ut per se patet; ergo, etc.

Hinc, ex jure naturali, non possunt valide contrahere infantes nondum usum rationis adepti, nec perpetuo amentes, nec lunatici tempore amentiæ, nec furiosi, nec ebrii, dum furiosi et ebrii sunt.

Hæc incapacitas est absoluta et radicalis, adeo ut in quovis casu contractum efficiat ab initio nullum, saltem pro conscientia, ante sententiam judicis.

2° Ex jure *civili*, art. 1123, capaces sunt ii omnes, qui a lege non declarantur incapaces, ita ut capacitas sit principium generale, incapacitas autem exceptio. Porro plus minusve incapaces sunt, ex art. 1124, minores, plene aut semiplene interdicti, uxores. De his igitur sigillatim agemus.

§ I

De incapacitate Minorum.

60. — *Quæritur* 1° quis sit minor, et quotuplex minoris status?

Resp. Minor dicitur quicunque non complevit annum vigesimum primum, art. 388.

In triplici statu minor considerari potest, scilicet, sub potestate paterna, sub tutela, vel ab utraque immunis per emancipationem. Incapacitatem minoris in hoc triplici statu breviter expendemus; deinde aliquid dicemus de efficacia dispositionum civilium, quibus determinatur minorum incapacitas. Itaque

61. — *Quæritur* 2° quænam sit incapacitas minoris sub *potestate paterna?*

Resp. Minor est sub potestate paterna, quando nec patre, nec matre orbatus est. In hoc statu, si habeat bona propria, pater retinet eorum usumfructum vel saltem administrationem, ut dictum est in Tract. *de Justit.*, n. 43 et seq. Quoad autem contractus a minore initos, applicanda sunt quæ mox dicturi sumus de casu tutelæ, cum quibusdam tantum restrictionibus per legem indicatis.

§ 62. — *Quæritur* 3° quid et quotuplex sit *tutela*, et quænam minoris incapacitas sub tutela?

Resp. 1. Tutela *ordinaria*, de qua tantum dicemus, est *munus jubente aut permittente lege alicui* impositum *ad personam et bona minoris gratuito administranda.*

2. Triplex est, nempe, legitima, testamentaria, dativa. *Legitima* ea est, quæ lege et pleno jure defertur patri, aut matri, aut ascendentibus; art. 390 et seq., 402 et seq. *Testamentaria* ea est, quæ defertur a patre, vel matre superstite, saltem post mortem deferentis exercenda; art. 397 et seq. *Dativa* seu *nominativa* ea est, quæ defertur a concilio familiæ, deficiente tutela sive legitima, sive testamentaria; art. 405 et seq.

3. Minor in statu tutelæ nihil agere potest *proprio nomine*, etiam cum tutoris auctoritate seu licentia, sed in cunctis negotiis civilibus a tutore repræsentatur, eique quoad personam subjicitur, salvo tamen jure recursus contra malam ejus administrationem; art. 450.

Tutor autem, quoad bona minoris, potest quosdam actus per seipsum solus elicere, quosdam alios elicere nequit sine concursu concilii familiæ; quosdam alios perficere non potest sine interventu tribunalis; et demum quidam ei absolute prohibentur. Scilicet,

Solus elicit actus administrationis, v. g., locationes init, art. 1719; vendit bona mobilia, art. 452, 453, recipit solutionem redituum, etc.

Indiget *concursu concilii familiæ* quoad actus, qui haberi nequeunt ut meræ administrationis, v. g., ad acceptandam vel repudiandam successionem, vel donationem, art. 461, 463; ad vendendum census publicos supra 50 fr. reditus annui; ad emenda aut conducenda pro seipso bona minoris, art. 450.

Indiget *auctoritate magistratus* seu *tribunalis* ad mutuum sumendum pro minore, vel constituendam hypothecam super illius bona, vel alienanda bona immobilia, art. 457, 458; ad faciendam firmam partitionem, vel transactionem, art. 466, 467.

Tandem *omnino prohibetur* lites ad minorem spectantes judicio arbitrorum subjicere (gallice *compromettre*), art. 83, 1004 Cod. judicialis. Nec potest tutor quamcunque cessionem adversus pupillum acceptare, art. 450.

o 63. — *Quæritur* 4° quid sit *emancipationis* status, et quænam incapacitas minoris in hoc statu?

Resp. 1. Emancipatio est status in quo minor, patria potestate vel tutoris auctoritate absolutus, jure seipsum regendi et bona sua administrandi potitur. Duplex est emancipatio, *legalis* seu tacita, quæ fit ipso jure per Matrimonium, art. 476; *voluntaria* seu expressa, quæ a patre vel matre superstite fieri potest, vel a concilio familiæ coram competente Judice (Juge de paix), art. 477, 478.

2. Minor emancipatus in quodam statu medio inter majorem et minorem sub tutela constituitur. Videlicet, *propria auctoritate*, et sine assistentia curatoris, agere potest quidquid meræ administrationis est, reditus bonorum suorum percipere, fundos ad novem annos locare, art. 481; item elicere actus commercii, art. 487, modo ad illud exercendum impletæ fuerint conditiones præscriptæ, art. 2 et 6 Cod. commercii.

Indiget *assistentia curatoris* ad rationes tutelæ accipiendas, art. 480; ad partitionem peragendam, art. 840; ad standum in judicio pro rebus suis immobilibus vel recipiendas summas sibi debitas, art. 482; ad acceptandas donationes, art. 935.

Indiget *concursu concilii familiæ*, et *auctoritate tribunalis*, ad pecuniam mutuo accipiendam, art. 483 : ad vendendum aut alienandum res immobiles, vel de illis conventionem ineundam quæ meræ administrationis fines excedat, etc., art. 484, 457, 458, 461, 467.

Demum *nullo modo* potest donationes facere inter vivos, nisi in casu matrimonii, ad sensum art. 1309 et 1398; per testamentum autem, disponere potest tantum de dimidia parte bonorum de quibus disponere potest major, art. 903 et 904. Pariter non potest ad arbitros recurrere secundum ea quæ diximus modo, n. 62.

o 64. — *Quæritur* 5° an invalidi aut rescindibiles sint contractus a minore, aut tutore, aut ab emancipato initi contra legis præscriptionem, vel cum læsione minoris aut emancipati?

Resp. Ex supradictis, lex in gratiam minorum præscribit formas duplicis generis : nempe aliæ sunt *communes*, quæ consistunt in minoris repræsentatione per tutorem, vel in assistentia curatoris, si minor sit emancipatus: aliæ vero sunt *speciales*, et consistunt vel in absoluta prohibitione actuum quorumdam, vel in concursu concilii familiæ vel in interventu tribunalis. Unde,

1. *Irrescindibiles* sunt actus, pro quibus præscribuntur formæ *speciales, si servatæ sint illæ formæ.*

Si enim servatis formis per legem præscriptis, secure cum minoribus conventiones iniri non possent, nemo cum eis contrahere vellet; atque ideo leges in favorem minoris statutæ, in ejus detrimentum verterent. Sic aliunde Codex civilis, art. 167, 461, 462, 466, 840, 1314, 1309, 1398, 2052.

2. *Si servatæ non fuerint illæ formæ speciales, actus sunt rescindibiles ad nutum minoris, independenter a læsione*, quando initi sunt *a tutore:* ita omnes jurisperiti. Nam tutor est mandatarius : porro, ex art. 1997, mandans seu, in in hoc casu, minor non tenetur adimplere obligationes a mandatario contractas, nisi quando sunt mandato consenneas, n. 222; ergo ad nutum minoris rescindibiles sunt actus, quibus tutor suum mandatum excedit.

Si autem hujusmodi actus perficiantur ab ipso *minore*, dissentiunt inter se jurisperiti; scilicet, juxta alios, rescindibiles sunt illi actus in *casu læsionis tantum;* ita de Farges, Merlin : alii vero putant illos actus esse rescindibiles defectu *formæ*, et independenter a læsione; ita Duranton, Demolombe, *Traité de la Minorité*, n. 825-25.

3. Quoad actus, qui subjiciuntur formis *communibus*, si hujusmodi formæ *servatæ sint, irrescindibiles* sunt illi actus etiam *in casu læsionis*. Omnino constare videtur, contra quosdam, ex prævia discussione legis, et ex jam dictis de actibus pro quibus formæ speciales servatæ sunt. Vide Demolombe, *ibid.*, n. 822,

Si autem *non servatæ fuerint* illæ formæ, ita ut ipse minor absque consensu tutoris aut curatoris illos actus inierit, *rescindibiles* sunt isti actus in *casu læsionis tantum*. Constat, contra quosdam, ex prævia discussione legis, ex decisionibus Curiæ supremæ. Cæterum, minor ex actu præsumitur læsus, ex quo ad eum nulla utilitas redundari potest, sed nonnisi damnum. Vide Demolombe, *ibid.*, n. 821.

Facultas rescissionem obtinendi minoribus concessa in supradictis casibus, decem annis exerceri potest a die majoritatis, nisi specialiter breviori intervallo limitata fuerit, art. 1304; n. 17.

◦ 65. — Rescissio autem non admittitur etiam in casu læsionis, si minor læsus fuerit tantum fortuito casu, art. 1306; si læsus fuerit in actibus commercii vel professionis, art. 1308, 487; si læsus fuerit in contractu matrimonii, cui consenserunt illi quorum consensus exigebatur, art. 1309; si delicto aut quasi-delicto alium induxerit ad contrahendum, art. 1310; si, major factus, approbaverit contractum a se minore initum, art. 1311; si ditior ex contractu evaserit, vel damnum injustum alteri contrahenti intulerit, art. 484.

◦ 66. — Hinc infertur quid *in conscientia* sentiendum sit de illis minorum actibus.

Scilicet hic agitur de nullitate non radicali seu de rescindibilitate, et quidem ex jure tantum civili orta; et ideo, qui cum minore contraxit, stare potest contractui, donec rescindibilitas contractus invocetur, aut a judice pronuntietur : hæc autem tuta conscientia invocari potest ab eo cujus interest, n. 28.

Attamen, in casu rescissionis, minor debet restituere id in quo reipsa ditior factus est, vel in quo damnum injustum intulit, etsi aliter contrahens illud commodum vel damnum coram judice probare nequeat.

◦ 67. — Cæterum, plures sunt circumstantiæ, in quibus stare debent contractus a minoribus, etiam absque formis

communibus initi. Sic nemo ambigit an ingenuus juvenis, etiam infra decennium ætatis, vel stipem largiri valide possit, vel librum fructusve aliquot emere, cum his rebus quæ pupillorum voluntati omnino dimittuntur.

Sic etiam qui, studiorum causa, absunt a domo paterna, possunt profecto inire contractus necessarios, ut suis necessitatibus provideant.

Pariter minores qui, urgente necessitate, quando ad parentes aut tutorem recurrere nequeunt, v. g., morbo laborantes, in regione extranea detenti, etc., mutuum recipiunt, vel ad alios contractus recurrunt, debent sane iis stare; alioquin, quod in eorum gratiam sancitum est, contra eos evidenter converteretur. In hujusmodi casibus lex ipsa civilis admittit plerumque validitatem contractuum. Revera in his casibus minores ditiores facti sunt, et si non starent contractui, ex dolo et fraude fructum perciperent; aliunde rationabiliter præsumitur consensus parentum aut tutoris.

§ II

De incapacitate plene aut semiplene Interdictorum.

0 68. — *Quæritur* 1° quid sit interdictio, et quotuplex?

Resp. Interdictio est *privatio juris contrahendi* a lege vel a judice declarata.

Duplex est, *plena*, vel *semiplena*. 1. *Plena* ad omnes contractus extenditur, et propterea est *interdictio* simpliciter seu proprie dicta. Dividitur in *legalem* et *judiciariam*. *Legalis*, ea est, quæ indirecte a judice pronuntiatur, scilicet, cui subjicitur, durante pœna, ille qui damnatus est ad triremes temporaneas, vel ad pœnam detentionis aut reclusionis, art. 29 Cod. pœnalis. *Judiciaria* ea est, quæ directe sententia judicis pronuntiatur propter habitualem statum imbecillitatis, amentiæ aut furoris, etiamsi ille status admittat intervalla quædam lucida; art. 489. Cessante autem causa, cessare potest interdictio, per novam judicis sententiam; art. 512.

2. *Semiplena* extenditur ad quosdam tantum actus, pro quibus requiritur interventus *concilii judiciarii*, seu a ju-

dice designati. Hoc autem concilium in duplici casu dari solet, nempe, in casu *dementiæ* vel *imbecillitatis*, quæ adeo gravis non est, ut indigeat remedio extraordinario interdictionis plenæ, sed nihilominus obstat rectæ administrationi bonorum illius, qui tali laborat infirmitate, art. 499; in casu etiam *prodigalitatis*, art. 513.

Porro semiplene interdicti non possunt, absque assistentia concilii judiciarii, litigare, transigere, mutuam pecuniam accipere, credita percipere, bona sua alienare, nec ea in pignus vel hypothecas tradere; art. 499, 513.

◦ 69. — *Quæritur* 2° an *irriti* aut *rescindibiles* sint contractus initi a *plene* vel *semiplene interdicto, qua tali?*

Resp. 1. Actus a *plene* interdicto *post judicium interdictionis* initi, *sunt radicaliter nulli* ex lege naturali simul et civili, si defuerit intelligentia ad requisitum consensum; et si adfuerit sufficiens intelligentia, *rescindibiles* sunt ex jure civili tantum, hoc ipso quod facti sunt ab interdicto, et independenter a læsione, art. 501. Unde, sub hoc respectu, interdicti conditio coram lege civili differt a conditione minoris, qui sæpe restituitur tantum ut *læsus*, n. 64.

Revera illorum actuum nullitas invocari potest a solo interdicto, et intra tempus a lege determinatum, art. 1304; ergo actus illi non sunt radicaliter nulli ex lege civili, sed rescindibiles tantum, n. 17.

Quoad actus initos *ante* judicium interdictionis, si eorum nullitas postuletur *adhuc vivente* interdicto, actus sunt tantum *rescindibiles*, id est irritari possunt a judice, si *causa* interdictionis *notoria* esset *tempore, quo initus est contractus*, art. 503.

Si vero *mortuus sit* ille, qui interdici potuisset aut debuisset, irritari non possunt actus causa *dementiæ*, nisi ante ipsius mortem interdictio postulata fuerit, vel dementia colligatur ex ipsomet contractu, vel agatur de donationibus et testamentis; art. 504, 901.

2. Actus initi a *semiplene interdicto dementiæ* aut *imbecillitatis* causa, et sine requisita assistentia concilii judiciarii, sunt *nulli* vel *rescindibiles*, prout initi sunt *post*, vel *ante*

judicium interdictionis semiplenæ, ut dictum est de actibus interdictorum simpliciter.

Actus vero initi a *semiplene* interdicto *prodigalitatis* causa, sine requisita concilii judiciarii assistentia, rescindibiles sunt, si initi sunt *post* judicium interdictionis; valent autem, si præcedunt hujusmodi judicium.

b 70. — *In foro conscientiæ*, 1. radicaliter nulli sunt actus ab interdicto sive ante, sive post interdictionis judicium initi absque intelligentia ad valide contrahendum requisita, ex dictis n. 24, 43.

2. Actus autem a plene vel semiplene interdicto initi, et ex jure civili tantum rescindibiles, irriti sunt saltem post sententiam judicis, ut dictum est, n. 26, 27, 28, cum restrictionibus jam appositis n. 66, in casu quo interdictus ex contractu reipsa ditior evaserit, aut alteri contrahenti damnum injustum intulerit.

§ III

De incapacite Uxorum.

c 71. — *Quæritur* 1° quænam sit contrahendi incapacitas *uxoris?*

Resp. Potestas uxoris relative ad contractus maxime pendet a regimine matrimoniali, quod sponsi ante matrimonium amplexi sunt, atque ideo hæc statui possunt : 1. Sub regimine *dotali*, mulier potest *alienare* bona *paraphernalia mobilia*, et *immobilia paraphernalia administrare*, art. 1576; vide Tract. *de Justit.*, n. 56, 57.

2. Sub regimine *communitatis*, valide contractus iniri potest pro omnibus actibus *commercium* spectantibus, quando vacat commercio publico et separato, art. 220 Cod. civ., art. 5, 7, Cod. com.

3. Sub regimine *communitatis exclusivo*, cum *stipulatione separationis bonorum*, *alienare* potest *mobilia*, et *immobilia administrare*, art. 1444, 1536. Vide Tract. *de Justit.*, n. 59, 60.

Extra hos casus, mulier inhabilis est ad quoscunque contractus ineundos absque speciali concursu mariti vel

judicis auctoritate, nisi agatur de actibus causa mortis; art. 217, 776, 906, 1124, 1595.

Unde, sub quocunque regimine nupserit, mulier non potest bona *immobilia donare, vendere*, nec titulo gratuito aut oneroso quidquam *acquirere*, extra casum commercii publici, ut diximus, absque consensu mariti, vel judicis. Præterea conjuges inter se venditiones facere nequeunt, nisi in tribus casibus designatis art. 1595. Sed potest uxor pro libito suo disponere de bonis suis per testamentum.

o 72. — *Quæritur* 2° quænam sit nullitas contractuum ab uxore initorum contra legis præscriptionem?

Resp. Illi actus sunt rescindibiles ex jure civili tantum, et quidem independenter a læsione, n. 17, 28. Unde invocari potest illa nullitas tantum ab uxore, marito et eorum hæredibus; si tamen excipias donationis casum, quia, juxta plures, hæc nullitas ab ipso donatore opponi potest.

Si uxor ratihabeat actum sine consensu mariti, aut interventu judicis, ratihabitio non magis valebit, ac ipse actus; si vero ratihabeat cum consensu mariti, actus firmabitur, imo censebitur valuisse ab initio, n. 17. Si maritus ipse solus ratihabeat non pauci dicunt illum mariti consensum sufficere, modo uxor actum jam non retractaverit, vel mortua non sit. Alii autem exigunt novum uxoris consensum.

In foro *conscientiæ*, maritus illam nullitatem legalem invocare potest, cum in ejus præcipue gratiam sancita sint; sed si ditior inde evaserit, debet restituere, ut dictum est, n. 66.

Quoad *uxorem*, cum non possit invocare nullitatem nisi propriam culpam allegando, tenetur, juxta plures recentiores, restituere non solum id in quo ditior facta est, sed etiam quodcunque accepit ab iis quibuscum contraxit, modo non fuerit læsa et decepta.

Juxta alios, potest generatim uxor uti beneficio legis haud secus ac minores, n. 66. Juxta omnes, uxor poterit sæpius excludi a beneficio legis ratione doli, ut sic reparetur damnum ab ea alteri contrahenti dolose illatum; hoc

facilius evenire potest, quando mulier non habitat cum marito et vulgo reputatur innupta.

Tandem, cum illa nullitas non sit radicalis, qui cum uxore contraxit, stare potest contractui, donec nullitas invocetur, n. 28, et uti beneficio præscriptionis, si non invocetur intra tempus a lege determinatum.

CAPUT III

DE CONTRACTUUM EFFECTIBUS

Triplex est contractuum effectus, scilicet, 1° productio jurium et obligationum, 2° eorumdem modificatio, 3° eorumdem exstinctio. Unde tres erunt articuli.

ARTICULUS PRIMUS

De productione jurium et obligationum per Contractus.

Contractus in genere possunt duos effectus producere, nempe translationem proprietatis, vel obligationem : seu jus in re, vel jus ad rem. De utroque seorsim dicemus.

§ I

De translatione proprietatis seu juris in re per Contractus.

75. — *Quæritur* 1° quid sit effectus contractuum translativus proprietatis, et an producatur in jure Gallico?

Resp. 1. Effectus contractuum translativus proprietatis est ille, quo *jus in re* confertur *vi solius contractus, antequam rei traditio facta fuerit.* Unde contractus, qui talem producit effectum, non est tantum titulus acquirendi, nec producit solum obligationem seu jus ad rem, sed est proprie *modus acquirendi* ipsum dominium in rem ipsam.

2. Porro, in Jure Romano, contractus erat tantum titulus acquirendi, et conferebat solum jus ad rem ; atque ideo sola rei traditio erat proprie modus acquirendi, et conferebat jus in re, juxta axioma : *Traditionibus et usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis, transferuntur.*

Contrarium principium statuit Codex civilis, ex quo generatim dominium transfertur *vi solius contractus,* et ante-

quam realis traditio facta fuerit, art. 711, 938, 1138, 1583. Excipiuntur tamen contractus 1. quorum objectum est corpus certum ad alium pertinens; 2. quorum objectum in specie tantum est determinatum, n. 56, ad 2; 3. in quibus contrahentes statuerunt mutationem proprietatis non futuram esse nisi post quoddam lapsum temporis.

74. — *Quæritur* 2° quænam sint consectaria contractus, quo transfertur rei proprietas?

Resp. Duo sunt præcipua consectaria, scilicet, *creditor*, seu ille in cujus gratiam contrahitur, rem ubique prosequi potest. et, si res pereat, perit creditori.

1. Creditor *rem ubique prosequi potest*, ita ut *debitor*, seu ille qui jus in re alteri transfert, non possit rem tertio tradere; qui enim vi contractus rei dominium acquisivit, rem hujusmodi sibi vindicare potest, ubicunque sit; et qui vi contractus dominium alicui iam contulit, non potest ad alterum postea transferre.

Equidem, si agatur *de re mobili*, posterior contrahens, vi præscriptionis seu principii ex quo *in mobilibus possessio æquivalet titulo*, art. 2279, rem retinebit, modo tamen illam bona fide acquisierit, art. 1441; quod supponit dominium fuisse revera translatum vi contractus ad priorem contrahentem, alioquin posset transferri ad posteriorem, etsi non esset bonæ fidei.

2. *Si res pereat*, antequam a debitore tradatur, *perit domino* seu creditori; ita ut, creditor teneatur rei pretium solvere absque compensatione, nec possit repetere, si solverit. Excipitur tamen casus, quo debitor esset in mora; tunc enim ei applicantur principia quæ spectant possessorem malæ fidei, expositæ in Tract. *de Justit.*, n. 212.

§ II

De productione Obligationis seu juris ad rem per Contractus.

Dicemus 1° de notione et speciebus obligationum; 2° de obligatione directa; 3° de obligatione indirecta per contractus producta.

NUMERUS PRIMUS

De notione et speciebus Obligationum per Contractus productarum.

75. — *Quæritur* quid et quotuplex sit obligatio, de qua hic agitur?

Resp. 1. Obligatio, de qua hic movetur quæstio, *est vinculum juris stricti ad rem*, quod scilicet immediate personam attingit, et mediate tantum rem a persona possessam, ut dictum est in Tract. *de Justit.*, n. 5.

2. Hujusmodi obligatio oritur vel a *sola lege*, vel ab hominis *facto*. Oritur a sola lege, quando aliam non agnoscit causam quam leges, absque ulla utriusque contrahentis actione, art. 1370 : tales sunt obligatio gerendi tutelam, nisi adsit justa excusationis causa, art. 402; obligatio inter ascendentes et descendentes sibi invicem præstandi alimenta, art. 205 et seq.; obligatio vendendi vicino medietatem muri ipsius fundum tangentis, art. 661, etc.

Obligatio *a facto hominis* proveniens oritur vel ex *contractu*, seu a facto utrique contrahenti communi, et dicitur *conventionalis;* vel a facto quod uni contrahenti proprium est, et tunc vocatur obligatio *sine conventione;* talis est ea quæ provenit ex quasi contractu ad sensum legis civilis, n. 7; vel ex *delicto* seu actione per se damnificativa et culpabili, de quo dictum est in Tract. *de Justit.*, n. 224; vel ex *quasi-delicto* seu actione per se damnificativa sed inculpabili, art. 1382 et seq.

Hic speciatim agimus de obligatione orto ex contractu. Plura tamen de hac obligatione dicenda ad quaslibet obligationes referuntur.

3. Obligatio autem ex contractu proveniens, ratione *modi* quo ex contractu oritur, est *directa* vel *indirecta :* prior ea est quæ adstringit ad exsequendum ipsum contractum, seu ad id agendum vel omittendum, de quo contractum est; posterior autem ea est, quæ adstringit ad compensanda damna per inexsecutionem contractus illata. De utraque seorsim dicemus.

NUMERUS II

De obligatione directa seu de executione Contractuum.

Sub triplici respectu considerari potest obligatio, quæ directe ex contractu nascitur, nempe vel relative ad contrahentes, vel relative ad objectum contractus, vel relative ad modum exsequendi contractum. Unde

76. — *Quæritur* 1° quænam sit obligatio directa relative ad *contrahentes?*

Resp. Contractus legaliter initi obligant ex justitia unum saltem e contrahentibus, nec habent vim nonnisi inter partes contrahentes vel eos qui ipsorum locum tenent.

Et quidem 1. *obligant ex justitia unum saltem e contrahentibus*. Nam, ex art. 1134, ex Jurisperitis et Theologis, contractus legaliter initi vim legis habent respectu contrahentium in utroquo foro. Revera omni juri correspondet obligatio ejusdem generis : atqui contractus instituuntur ad conferendum uni saltem e contrahentibus jus strictum; ergo necesse est ut imponant alteri obligationem strictam seu justitiæ.

Hinc non est contractus proprie dictus conventio, in qua partes non intendunt se obligare ex justitia; nec contractus revocari possunt nisi mutuo consensu partium, vel quibus unius voluntas sufficit, v. g., in societate, art. 1865, 1869, 1870; in mandato, art. 2003, 2007.

2. *Vim non habent nisi inter partes contrahentes*. Nemo enim privatus alteri invito onus imponere aut beneficium dare potest, n. 56, ad 5. Unde contractus nec prodesse, nec nocere possunt aliis quam contrahentibus, art. 1165.

3. *Et eos qui partium locum tenent;* quia contrahentes censentur generatim stipulari pro suis hæredibus et causam habentibus, art. 1122, nisi aliter convenerint, vel id sequatur ex ipsa natura conventionis : tales sunt casus prævisi art. 617, 625, 1514, 1795, 1865, 2003. At non censetur contrahens, hæredibus *titulo particulari*, n. 189, sua jura vel obligationes transferre, nisi id expresse asserat, vel hæc sint rei transmissæ annexa.

77. — *Quæritur* 2° quænam sit obligatio *directa* relative ad *objectum* contractus?

Resp. Triplex esse potest, scilicet, aliquid dandi, aut aliquid faciendi, aut aliquid non faciendi.

1. *Dandi* quidem, et ex hac parte debitor ad duo tenetur, nimirum, ad rem tradendam tempore et loco convenientibus, art. 1136, 1605; et interea rem servare, illiusque conservationi invigilare quemadmodum bonus paterfamilias, art. 1137.

2. *Faciendi*, aut *non faciendi*, obligatio adimplenda est in conscientia, secundum intentionem contrahentium. Imo contrahens tenetur *per seipsum* opus perficere, quoties certum est ipsius industriæ intuitu contractum fuisse initum, v. g., si agatur de tabula a pictore celebri delineanda. Quare student Jurisperiti clausulam pœnalem convenientibus de re præsertim facienda adjici, ut istæ firmiores efficiantur.

Revera lex civilis, ex libertatis reverentia, obligationem faciendi generatim resolvit in compensationem damni, quod patitur creditor ob contractus inexsecutionem, art. 1142, juxta axioma : *Nemo ad factum præcise cogi potest.*

Attamen, etiam in foro civili, non liberum est debitori eligendi inter actionem faciendam et damnorum compensationem ob inexsecutionem contractus. Unde si alter opus æque facere potest, creditor jus habet, ut reipsa impensis debitoris præstetur opus, salva compensatione damni, quod ob moram passus est, art. 1143, 1144.

Similiter creditor obtinere potest, ut opus non faciendum, et quod nihilominus factum est, destruatur impensis debitoris, salvo semper jure compensationis damnorum, quæ passus est ex facto violatæ obligationis; art. 1142, 1144.

78. — *Quæritur* 3° quænam sit obligatio *directa* relative ad *modum exsequendi* contractus?

Resp. Contractus *bona fide implendi sunt*, art. 1134, id est obligant non solum ad ea quæ in iis exprimuntur, sed ad omnia eorum consectaria, quæ exiguntur sive ab æquitate, sive ab usu, sive a lege. Contrahentes enim censentur

consentire sicut probi homines, ac consequenter velle quod non solum expresse in stipulatione deducitur, sed etiam quod ab ea nasci solet, art. 1135.

Unde studiose inquirenda est contrahentium intentio ope regularum, quas tradit Codex ab art. 1156 ad art. 1165. Si omnibus perpensis, dubium tolli nequeat, consulenda est amicabilis transactio, nisi contrahens persuasum habeat se bono jure potiri; in eo casu, obtenta judicis sententia, ea securus uti potest.

NUMERUS III

De obligatione Contractuum indirecta.

79. — Indirecta obligatio, ut diximus n. 75, ea est qua debitor adstringitur ad compensanda damna, quæ patitur creditor ex inexsecutione contractus translativi proprietatis, aut productivi tantum obligationis.

Porro circa hujusmodi obligationem, tria inquiri possunt, an, scilicet, existat, quandonam, et quænam sit compensatio debita. Itaque

80. — *Quæritur* 1°-an *existat obligatio* compensandi damna, quæ patitur creditor ex inexsecutione contractus, aut quasi-contractus?

Resp. Datur obligatio compensandi damna per violationem contractus illata. Constat tum ex jure civili hoc expresse statuente, art. 1136, 1142, 1145, etc.; tum ex jure naturali, attentis præsertim conditionibus ad illius obligationis existentiam statim evolvendis.

81. — *Quæritur* 2° *quandonam* compensanda sint damna ex inexecutione contractus consecuta?

Resp. Ut debitor teneatur compensare damna ex inexsecutione contractus aut quasi-contractus consecuta, duo requiruntur, scilicet, quod *sit in mora*, et quod *a facto debitoris aliquo modo culpabili* proveniat damnum ex inexsecutione contractus consecutum.

Et quidem 1° requiritur quod sit in *mora*. Hoc fit vel per solum factum elapsi termini, quando ita *expresse conven-*

tum fuit, art. 1139, qui omnibus obligationibus applicandus est; vel quando ita statuit *expressa legis dispositio*, v. g., quoad societatem et commodatum, art. 1846, 1881; vel per *actum juridicum*, id est, interpellationem factam coram judice, aut per ministerium apparitoris (*d'un huissier*) gallice *sommation*, aut per alium actum æquivalentem, art. 1139.

Excipiuntur duo casus : si obligatio sit de non faciendo, art. 1145, et si obligatio nonnisi quodam tempore impleri possit utiliter, art. 1146 : tunc vel nulla requiritur mora, vel potius ipso facto incurritur.

2° Sed insuper requiritur quod *a facto debitoris aliquo modo culpabili* proveniat damnum ex inexsecutione contractus aut quasi-contractus consecutum.

Scilicet, damnum inferri potest vel ex *casu fortuito* seu eventu, qui *communi prudentia* humana *præcaveri non potuit.*

Vel ex *culpa theologica*, seu delicto *voluntario* et ideo *coram Deo culpabili :* quod fit aut per *dolum* seu factum nocivum, *voluntarie* positum *cum intentione nocendi*, n. 48, aut per *malam fidem*, seu factum nocivum, voluntarie positum, *absque intentione nocendi*, v. g., si debitor suæ obligationi desit ad majora lucra percipienda.

Vel *ex culpa mere juridica*, seu actione aut omissione *alteri nociva*, in damnificante quidem *involuntaria*, sed quæ *a lege præsumitur vitari posse* per *diligentiam ordinariam.*

Jam vero 1. damnum *ex fortuito casu* proveniens, non est debitori imputandum, art. 148 : nisi in se casus fortuitos susceperit, art. 1302; aut admiserit culpam, quæ locum dedit casui fortuito, art. 1807, 1883, aut nisi fuerit in mora, nec res eodem modo periisset apud creditorem, art. 1042, 1302.

2. Damnum *ex culpa theologica* proveniens reparandum est, si agatur de *contractus* aut *quasi-contractus inexsecutione*, ut diximus in Tract. *de Justit.* n. 225, 230.

Unde ad restitutionem tenetur 1. judex, qui ex imperitia graviter notabili rem uni litigantium injuste adjudicavit; 2. advocatus, procurator, qui ex ignorantia crassa

aut gravi negligentia causa est, cur cliens causa cadat; 3. Parochus, Confessarius, Theologus, Jurisconsultus, qui, ex nimia præcipitatione vel defectu scientiæ competentis, decernit aliquem teneri ad restitutionem, quando non tenetur, vel non teneri, quando ille tenetur. Tales enim ex quasi-contractu debent scire ea quæ communiter munus suum spectant, et in functionibus suis exercendis gravem præcavere negligentiam.

3. Damnum *ex culpa mere juridica* proveniens, reparandum est, *ante sententiam Judicis*, si agatur de inexsecutione *contractus proprie dicti*. Nam contractus bona fide implendi sunt, servando, scilicet, quæ de jure et consuetudine veniunt, n. 78 : atqui jus et consuetudo volunt, ut compensatio damnorum fiat in contractibus ex culpa mere juridica, ante sententiam Judicis; ergo, etc. Ita plerique Theologi contra plures, qui volunt teneri tantum post sententiam Judicis.

Revera bonum publicum exigit ut contrahentes in omnibus contractibus certam adhibeant diligentiam, alioquin res suas aliis committere non vellent, et pacta inire non auderent : quod valde societati noceret.

4. Si agatur autem de inexsecutione *quasi-contractus* ad sensum Theologorum aut Jurisperitorum, n. 7, damnum ex culpa *mere juridica* proveniens, compensandum est tantum *post sententiam Judicis*.

Talis enim obligatio non oritur ex jure naturali, quod culpam theologicam supponit; nec ex jure positivo, quia nullibi decernitur satis clare talis obligatio ante sententiam Judicis; nec ex contractu implicito, quia nullus, suscipiendo officium, intendit se obligare ad majorem diligentiam, quam adhibent viri periti et prudentes; ergo oritur tantum ex judicis sententia, eique standum est, cum fundetur in motivo boni publici, cui favere intendit, homines reddendo vigilantiores in rebus alienis conservandis.

82. — *Quæritur* 3° *quænam* sit compensatio damnorum debita ob inexsecutionem contractus, vel quasi contractus?

Resp. Diversa esse potest compensatio debita, prout ob-

jectum obligationis est *res præstanda*, vel *pecuniæ summa*. In priori casu, compensatio debita generatim designatur per hæc verba, *dommages-intérêts;* in posteriori vero compensatio dicitur simpliciter *intérêts*. Videlicet,

1. Si obligationis objectum sit *res* quædam *præstanda*, vel præcessit conventio determinans compensationem debitam pro damnis ex pacti inexsecutione provenientibus, et tunc huic firmiter standum est, art. 1152; quia determinatio compensationis facta est veluti contractus aleatorius. Secus vero, si creditor abusus fuerit necessitate debitoris ad stipulandam compensationem excessivam. In omni hypothesi, judex moderare potest stipulationem in compensationem damnorum, quando obligatio principalis exsecutioni jam partim mandata est, art. 1231; vide n. 99.

Vel nulla præcessit conventio compensationem determinans, et tunc, si non adfuerit dolus, compensanda sunt damna emergentia et lucra cessantia, quæ tempore contractus *prævisa sunt* aut *prævideri potuerunt* ex inexsecutione conventionis *directe* consecutura, art. 1150. Si vero adfuerit dolus ex parte illius, qui obligationem non implevit, compensanda sunt damna *etiam non prævisa*, quæ *directe* sequuntur ex inexsecutione contractus, art. 1151.

2. Si obligationis objectum sit *pecuniæ summa*, taxatio legalis est 5 vel 6 pro 100, prout obligatio est mere civilis vel commercialis, a die interpellationis facta coram Judice. Ante enim hanc interpellationem, creditor non censetur damnum pati ex inexsecutione contractus.

Porro huic taxationi in conscientia regulariter standum est, quamvis majus vel minus damnum sit illatum. Nam lex, providere volens creditori simul et debitori, attendit ad probabilitates ordinarias lucri et damni, et utrique contrahentium pariter favet. Aliunde, cum ea veniant in contractibus, quæ sunt juris consuetudinis, debitor censetur ad majus vel minus se obligasse in nullo casu; ergo taxationi legis regulariter standum est.

Attamen, si debitor sit ex dolo aut mala fide in mora, et creditor inde majus damnum patiatur, debitor, modo fue-

rit monitus, debet illud compensare, ut injustus et voluntarius damnificator.

Similiter, si creditor, ineundo conventionem, monuerit debitorem de damno sibi imminente, et debitor illud in se susceperit, damno reipsa superveniente, valebit, saltem in conscientia, illa stipulatio, quamvis legalem excederet taxationem : quia tunc est contractus aleatorius, in quo par est ex utraque parte conditio. Forsan enim damnum eventurum minus erit taxatione legali, et tunc stipulatio proderit debitori; sed fortasse majus erit, et tunc favebit creditori.

ARTICULUS II

De Modificationibus jurium in re et obligationum per Contractus.

83. — Contractibus adjici possunt clausulæ quæ, etsi illorum naturam et essentiam non mutent, tamen eorumdem effectus modificant, id est, nunc suspendunt vel perimunt, nunc augent aut restringunt, nunc obfirmant. Quæ mere accidentales clausulæ dicuntur contractuum *modificationes*, atque afficere possunt sive jura in re, sive obligationes, id est, sive contractus translativos proprietatis, sive productivos tantum obligationis [1].

Præcipuæ hujusmodi modificationes sunt contractuum effectus conditionales; sub modo; ad diem; alternativi; in solidum : dividui vel individui; cum clausula pœnali; cum juramento. De his omnibus breviter dicemus.

1. Fere omnes Theologi et Jurisperiti, post Codicem civilem, loquuntur tantum de modificationibus *obligationum* : et tamen in jure nostro contractus, cum sæpe producant jus *in re*, in hujusmodi productione juris, haud secus ac in productione obligationum, modificari possunt. Sic v. g., jura in re aut ad rem conferri possunt cum modificatione conditionis suspensivæ aut resolutoriæ. « Tous les droits *réels*, comme les droits *personels*, peuvent être *conditionnels*. C'est par inadvertance que notre Code, dans la rubrique de notre section, ne parle exclusivement que des *obligations* conditionnelles. Pothier, qui traitait de la condition au titre des *Contrats*, n'avait pas à s'occuper des droits *réels* conditionnels; car, de son temps, les contrats étaient simplement productifs d'*obligations*. Le Code a fait comme lui, sans prendre garde qu'aux termes des articles 711 et 1138, les contrats peuvent tout à la fois créer des obligations et transférer des droits réels. » **Mourlon, tom. 2, n. 1188.**

§ I

De Contractuum effectibus conditionalibus.

Expendemus 1. notionem et species conditionum; 2. earum effectus; 3. earumdem adimpletionem.

NUMERUS PRIMUS.

De notione et speciebus conditionum Contractibus appositarum.

84. — *Quæritur* 1° quid sit conditio contractibus adjecta?

Resp. Conditio, de qua hic agitur, est *eventus in se incertus, cui subordinatur existentia vel revocatio juris realis aut personalis.*

Dicitur 1 : *eventus* seu factum aliquod sive producendum sive non producendum, v. g., si pater intra mensem sit moriturus, vel non moriturus.

Dicitur 2 : *in se incertus*, id est, non solum subjective seu quoad contrahentes, sed etiam objective incertus, ac proinde *futurus*. Nam 1. si eventus est actualis, etsi non cognitus a contrahentibus, conventionis effectus est hic et nunc certus et absolutus; et ideo ad contractum vere conditionalem requiritur eventus futurus.

2. Si vero eventus, etsi futurus, est nihilominus certus. effectus conventionis est eo ipso certus, et ideo hic et nunc absolutus evadit, cum *talia futura præsentia sint in causis,* ut ait S. Thomas; et proinde, ad contractum vere conditionalem, requiritur eventus *in se incertus,* simul ac futurus et ignotus.

Dicitur 3 : *cui subordinatur existentia vel revocatio juris;* quibus indicatur duplex effectus, quorum uterque pendet a conditione, scilicet, vel productio, vel revocatio juris stricti : si productio juris pendeat a conditione, hæc dicitur *suspensiva;* si vero recvocatio juris jam producti conditioni subordinetur, hæc *resolutoria* nuncupatur. In utroque casu conditio est aliquo sensu suspensiva, ut patet.

Dicitur 4 : juris *realis*, vel *personalis;* conditioni enim suspensivæ aut resolutoriæ subordinari potest sive jus in re seu effectus conventionis translativus proprietatis, sive jus ad rem seu effectus conventionis productivus obligationis.

85. — *Quæritur* 2° quotuplex sit conditionis species?

Resp. Duplex est, ut jam vidimus, conditionis species, scilicet, conditio *suspensiva*, vel *resolutoria* : prior suspendit ipsos effectus conventionis, v, g., tibi vendo domum meam, si Petrus intra mensem mihi domum suam vendiderit : patet effectum hujusmodi venditionis esse incertum seu suspensum, donec Petrus mihi domum vendiderit aut mensis elapsus fuerit. Posterior suspendit ipsam revocationem effectuum jam productorum, v. g. : tibi vendo domum meam et hæc venditio erit revocata, si Petrus mihi domum intra mensem non vendiderit : patet illam domum interea esse venditam, et incertam esse tantum hujusmodi venditionis firmitatem.

86. — Conditio autem sive suspensiva, sive resolutaria, est *positiva*, vel *negativa*, *possibilis* vel *impossibilis*, *casualis*, *potestativa* vel *mixta*, *expressa* vel *tacita*.

Et quidem *positiva*, quando contractus initur ex hypothesi quod talis eventus eveniat; *negativa* vero, si initur contractus ex hypothesi, quod talis eventus non contingat.

Possibilis, quando eventus non repugnat naturæ, neque legibus, neque bonis moribus; *impossibilis* physice aut moraliter, quando eventus naturæ vires absolutas aut relativas superat, vel legibus aut bonis moribus adversatur, et in eo casu conditio dicitur *illicita*, *turpis*.

Casualis, quando conditio nullo modo a voluntate contrahentium pendet, sed respectu eorum plane est fortuita : v. g., emo gregem tuum, si eum intra mensem morbus contagiosus non infecerit; art. 1169. — *Potestativa*, quando pendet a voluntate unius contrahentis, v. g., centum nummos tibi dabo, si voluero, aut si Lutetiam non ivero. — *Mixta*, quando pendet a voluntate contrahentis simul et a casu aut a voluntate tertii, v. g., legatarium meum te instituam, si palmam in concursu academico reportaveris, vel si consobrinam meam duxeris.

Expressa, seu quando conditio *facti* in contractu verbis enuntiatur; *tacita* seu *legalis*, *juris*, quando non enuntiatur quidem, sed adesse præsumitur, vel ex dispositione legis,

vel ex natura contractus, vel ex præsumpta contrahentium voluntate attentis circumstantiis deducitur.

NUMERUS II

De effectibus conditionum Contractibus adjectarum.

Varii sunt illi effectus pro conditionum diversitate. Itaque

87. — 1° *De effectu conditionis suspensivæ.* Contractus sub conditione suspensiva considerari potest vel ante eventum conditionis, vel ea adveniente, vel ea deficiente.

1. *Ante eventum* conditionis, suspenditur effectus conventionis; interea debitor rei manet illius dominus; ideo facit fructus suos, et in se suscipit pericula fortuita. Creditor autem acquirit jus in spem juris realis aut personalis, quod forsan ex eventu nasciturum est; et ideo contrahentes tenentur ex justitia nihil agere, quod conditionis purificationi officiat, art. 1178, 1182.

2. *Adveniente conditione*, statim consensus partium transit in absolutum, et habet effectum retroactivum, seu contractus generatim censetur ab initio exstitisse, art. 1179; et ideo si debitor, pendente conditione, rem in hypothecam tradiderit, vel alia ei onera annexuerit, hæc omnia, impleta conditione, evanescunt, art. 2125, 2182. Controvertitur autem an fructus percepti a debitore, pendente conditione, ad eum pertineant. Affirmant Toullier, Duranton; negant vero multo plures hodierni jurisperiti, quia res fructificat domino.

Si res, adveniente conditione, sit deteriorata, creditor potest vel contractum resolvere, vel rem accipere qualis est absque pretii imminutione. Attamen, quando facta est deterior ex culpa debitoris, creditor damna exigere potest, art. 1182.

3. *Deficiente conditione*, contractus censetur ab initio nullus.

88. — 2° *De effectu conditionis resolutoriæ.* Considerari potest ille effectus, sicut præcedens, vel ante eventum conditionis, vel ea deficiente.

1. *Ante eventum conditionis*, contractus omnino perficitur, et, si res interea pereat, aut fiat deterior, hoc damnum patitur dominus actualis; quia conditio resolutoria non suspendit consensum, sed tantum istius revocationem,

2. *Adveniente conditione*, contractus ita revocatur, ut res ad priorem dominum redeat in eodem statu, ac si nunquam exstitisset contractus, art 1183, et hoc quidem *ipso facto* seu pleno jure, si conditio sit *expressa;* si vero conditio sit tacita, ea adveniente, tenet etiam conventio, donec resolutio contractus petita fuerit et a judice pronuntiata : et ideo illa conditio tacita dat tantum jus obtinendi a judice resolutionem contractus; ita in omni contractu bilaterali, art. 1184.

3. *Deficiente conditione*, contractus statim censetur ab initio fuisse simpliciter perfectus, fitque in posterum irrevocabilis; art. 1183.

89. — 3° *De effectu conditionis impossibilis*. 1. Ex jure naturali et civili, conventio *onerosa*, sub conditione *physice impossibili*, vel *illicita*, nulla est et *invalida*, art. 1172, ut dictum est, n. 58.

Si vero conditio non sit *substantialiter* mala, seu ratione ipsius operis in se spectati, ut adulterium, homicidium; sed tantum *accidentaliter*, id est ratione circumstantiarum, adeo ut sit bona in se, v. g., opus servile die dominica factum, omnes fatentur validum esse contractum sub illa conditione; alioquin fere nulla esset in commercio humano securitas, cum sæpe materiæ in se bonæ admisceatur aliqua materia accidentaliter mala.

2. Ex jure *civili*, conditiones physice *impossibiles* aut *illicitæ, donationibus* aut *testamentis* appositæ, pro *non scriptis* habentur, art. 900. Revera, qui in contractibus onerosis conditionem physice impossibilem adjiciunt, creduntur vel nolle contrahere, sed potius jocari, vel insanire; si vero apponunt illicitam, cum hoc fiat ex mutuo consensu, digni sunt pœna, quæ in contractus irritatione consistit.

At in testamentis, (quæ semper mortis causa fiunt), hoc admitti non potest; nemo enim de morte cogitans ludere

velle consendus est; insuper legatarii non acquieverunt illicitæ conditioni, quam ignorare censentur; ideo conditio impossibilis vel illicita consideratur tanquam mendum testatori elapsum.

Eædem forte rationes non valent quoad *donationes inter vivos*, ideoque, ante Codicis civ. promulgationem irritæ fiebant per adjectionem conditionis impossibilis vel illicitæ; sed aliud Codice civili statutum est. Revera donatio fit proprie a solo donatore; nec sufficienti libertate gaudet donatarius ad recusandam impossibilem aut illicitam conditionem, cui donator suam libertatem subordinare intendit; et ideo non deest ratio cur talis conditio, etiam in donatione inter vivos, ut non scripta habeatur.

Attamen, si constaret donatorem alligare consensum conditioni, ita ut intenderet jus conferre ea impleta, et non aliter, actus esset invalidus, sive ante, sive post eam impletam; si vero non constet de voluntate donatoris, videtur standum dispositioni legis.

90. — *De effectu conditionis potestativæ*. Ex utroque jure non valet conditio, quæ pendet ex mera debitoris voluntate, v. g. : tibi dabo centum nummos, si voluero, art 1174. Tunc enim nullum adest vinculum, quo debitor ad solvendum adstringi possit.

Valet autem contractus sub conditione de aliquo pacto in voluntate debitoris relicto, v. g. : tibi dabo centum nummos, si intra Lutetiam annum ivero; tunc enim adest vinculum juris ex quo tenetur promissor vel non ire Lutetiam, vel centum nummos præstare. A fortiori valet contractus sub conditione casuali, aut mixta.

NUMERUS III

De adimpletione conditionum Contractibus adjectarum.

Quæ hoc punctum spectant, reduci possunt ad modum, quo impleri debent conditiones, ad tempus quo impleri censentur, ad personas a quibus vel erga quas possunt impleri. Unde

91. — *Quæritur* 1° *quomodo* conditiones adimpleri debeant?

Resp. Præsertim attendendum est ad *voluntatem contrahentium;* nam conditio adimpleri debet modo verisimiliter a contrahentibus intento, art 1175. Hinc ordinarie conditiones adimpleri debent *in forma specifica*, id est, attendendo ad sensum rigorosum verborum; possunt tamen adimpleri per *æquipollens*, quoties prudenter judicari potest talem fuisse mentem contrahentium, v. g., si constet eum cujus gratia adjecta est conditio, nullum damnum inde esse passurum.

Cæterum adimpletio conditionis non potest dividi, etiamsi res in conditione posita sit aliquid ex natura sua divisibile.

Si vero plures adjectæ sint conditiones, vel sunt disjunctive, vel conjunctive adjectæ : si prius, sufficit ut una tantum adimpleatur; si posterius, omnes adimpleri debent.

92. — *Quæritur* 2° quonam *tempore* adimpleri debeat conditio?

Resp. 1. Si tempus certum definitum est ad conditionis adimpletionem, distinguendum est inter conditiones *positivas* et *negativas*. Nam *quoad conditionem positivam*, illa adimpleta censetur, quando casus expressus intra tempus definitum evenit; dicitur e contra defecisse, si tempus definitum effluxerit, et casus expressus non evenerit, art. 1176. Si tamen per debitorem sub conditione obligatum steterit, ut illa obligatio adimpleretur, pro impleta censetur, art. 1178; si autem casu fortuito impediatur conditio, non concordant Doctores.

Quoad conditionem negativam, impleta hæc censetur vel quando intra tempus definitum casus non evenit, vel quando antea constat casum non eventurum, art. 1177.

2. Si tempus non fuerit definitum ad adimpletionem conditionis, conditio *positiva* semper impleri potest, et non censetur defecisse, nisi quando constat rem non esse eventuram, art. 1176. Unde patet quod, si agatur de conditione *potestativa*, sæpe non constabit de eventu vel defectu con-

ditionis, nisi post mortem illius cui imposita est. Conditio autem *negativa* pro impleta non habetur, nisi quando certum est casum non eventurum, art. 1177.

93. — *Quæritur* 3° an conditio impleri possit ab hæredibus illius cui imposita fuit, et erga heredes illius in cujus gratiam fuit apposita?

Resp. 1. Si agatur de testamentis, non potest impleri ab hæredibus illius cui apposita est, quia legatum, cum sit in gratiam solius legatarii, corruit, si iste moriatur ante conditionis eventum, n. 124. Si agatur vero de aliis contractibus, impleri potest ab hæredibus, quia quisque contrahît sibi et suis hæredibus, art. 1122. Secus tamen, si conditio niteretur in ipsa contrahentis qualitate, v. g., qui insigni pictori tabulam demandat, ordinarie intendit, ut ab ipso pictore perficiatur, n, 77, et ideo pictoris hæredes ad nihil tenerentur.

2. Iisdem rationibus, conditio apposita in testamentis impleri non potest erga hæredes illius, in cujus gratiam fuit apposita; bene vero in aliis contractibus.

§ II

De Contractuum effectibus sub modo, ad diem, alternativis, in solidum, dividuis aut individuis, cum clausula pœnali, cum juramento.

94. — 1° *De effectu sub modo.* Modus est *onus adjectum dispositioni*, quo quis gravatur ad *aliquid præstandum, vel faciendum*, vel *non faciendum, ob utilitatem dantis aut tertii.*

Porro, in *testamentis*, dispositiones sub modo statim valent, et non fiunt irritæ, etiamsi modus non impleatur; in hoc modus differt a conditione, quæ vel suspendit, vel resolvit effectum contractus. Unde, si quis certam legaverit summam ut Missæ celebrentur, hæredes legantis non possunt rei legatæ possessionem sibi vindicare, eo prætextu quod non servetur modus, sed tantum habent jus ad cogendum legatarium ut Missas celebret, aut ut celebrentur curet. Si tamen legans expresse voluisset, ut legatum nullum foret, modo non impleto, legatum corrueret, si modus non impleretur.

In *Donationibus inter vivos* et in contractibus synallagmaticis, pariter valent statim conventiones, nec potest earum executio moram

pati sub prætextu, quod modus impletus non fuerit. Sed earum revocationi, vel resolutioni locus esse potest si modus postea non impleatur, art. 953, 1184.

95. — 2° *De effectu ad diem.* Effectus ad diem ille est, qui *sortitur tempore præfixo.* Unde ipse contractus non suspenditur, sed sola ejus exsecutio ad tempus fixum differtur; ita ut debitor ante diem præfixum non teneatur ad contractum exsequendum. Si tamen ante diem exsecutus sit, repetitioni locus non est, art. 1186.

96. — 3° *De effectu alternativo.* Effectus alternativus ille est quo quis adstringitur *ad plura danda vel facienda,* ita tamen ut *unius solutione*, ab *omnibus liberetur*, v. g., si promittam me tibi ædificaturum domum, vel tibi daturum centum francos. Si quis autem promiserit duas varias pecuniæ summas disjunctive, obligatio non est alternativa, sed quod minus est, tantum debetur, v. g., si spoponderim me quinque vel decem nummos daturum, quinque debentur. Consectaria effectus alternativi determinantur in art. 1190-95, 1302.

97. — 4° *De effectu in solidum.* Debitum in solidum est illud, quod *contrahitur a pluribus debitoribus ita conjunctis, ut, respectu creditoris, eamdem efforment personam ab unoquoque repræsentatam.* Eadem definitio dari potest de solidaritate creditorum erga debitorem.

Itaque 1. creditor quemlibet debitorum vel omnes simul, vel omnes successive prosequi potest, et pro toto, art. 1203, 1204; debitores autem erga se invicem tenentur tantum *viriliter*, seu pro rata parte uniuscujusque ex illis, art. 1213, 1214. — 2. Si res debita perierit culpa unius ex debitoribus solidaribus, vel dum esset in mora, cæteri non liberantur ab obligatione solvendi pretium. Sed non tenentur resarcire creditori damnum quod patitur ex rei exstinctione, art. 1205, — 3. Unusquisque ex debitoribus solidaribus potest opponere creditori exceptiones, quæ ex natura obligationis oriuntur, vel quæ suæ inhærent personæ, vel quæ sunt communes omnibus debitoribus solidaribus; non vero exceptiones quæ personæ quorumdam ex aliis codebitoribus inhærent, art. 1208. Quoad alios effectus, vide art. Cod. civ. 1209 ad 1216. — 4. Si debitor totum solverit uni ex creditoribus solidaribus, erga omnes liberatur, art. 1197.

98. — 5° *De effectu dividuo,* vel *individuo*. Conventiones effectus *divisibilis* ille est, cujus objectum seu *res solvenda* aut *factum præstandum dividi potest*, vel ex *natura sua,* v. g., dolium vini, vel *ex fictione intellectus*, v. g., jus quod plures habent in equum, quodque etsi ratione materiæ indivisibile sit, pretio separatim æstimari potest, et sic dividitur ejus *utilitas.*

Indivisibilis autem ille est, cujus objectum partiri non potest vel *ex natura sua*, v. g., actio, jus servitutis seu transitus, luminis, stillicidii quæ dividi non possunt, *ne fictione quidem intellectus;* vel etiam *ex intentione contrahentium*, quæ aliquando rem in se divisibilem apprehendit ut incapacem exsecutionis partialis, v. g., obligatio a duobus contracta domum mihi ædificandi, quæ obligatio licet a duobus partim exsequenda, utrumque ligat pro *toto*, ita ut unus teneatur in *loco alterius*, art. 1217 et 1218.

Jam vero inter creditorem et debitorem, quandiu vivunt, effectus conventionis est indivisibilis. Ipsis autem mortuis, eorum jura et debita dividuntur inter hæredes; et tunc maxime utile est discernere effectus contractuum divisibiles vel indivisibiles. Vide art. 1220-22.

99. — 6° *De effectu sub clausula pœnali.* Clausula pœnalis ea est, qua quis *ad firmandam conventionis executionem, aliquid solvendum promittit, si obligatio omittatur, vel differatur*, art. 1226. Pœna autem est compensatio damni vel mœroris, quod patitur creditor propter inexsecutionem obligationis principalis, art. 1229. Itaque cum clausula pœnalis sit accessorium obligationis principalis, hinc sequitur : 1. eam non subsistere, si principalis obligatio nulla sit; sed obligationem principalem non vitiari per clausulæ pœnalis nullitatem, art. 1227; 2. creditorem posse obligationis principalis exsecutionem persequi, neglecta pœnali clausula, art. 1228; sed ei non licere principale et pœnam simul petere nisi pœna *ob moram* adjecta fuerit, art. 1229. Vide n. 82.

100. — 7° *De effectu cum juramento*. Juramentum, prout hic sumitur, est *advocatio Dei in testem eorum quæ promittuntur per contractum,* ut sic jurans contractum adimpleat non solum ex virtute justitiæ strictæ, sed etiam *ex virtute religionis.*

Porro 1, si contractus sit *invalidus,* nullam vim ei confert juramentum, quod, utpote quid accessorium respectu contractus, semper supponit principale seu ipsius contractus validitatem. A fortiori illud verum est, quoties juramentum

servari non potest absque peccato. Nam juramentum esse nequit vinculum iniquitatis, nec contra bonos mores obligare.

2. Si vero contractus sit tantum *rescindibilis*, probabilius non firmatur juramento, quando rescindibilitas inducitur motivo boni publici; et ideo non valent juramenta minorum, uxorum et similium ad firmandos contractus lege irritos, etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta; quia, secus, perversi homines semper juramentum ab eis exigerent : quod in societatis detrimentum cederet.

Firmatur autem probabilius contractus juramento, si conventionis rescindibilitas inducta fuerit in utilitatem privatam contrahentium; quia unusquisque renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto : porro interpositio juramenti in eo casu est quædam renuntiatio beneficio rescissionis in gratiam contrahentis inducto. Unde firmari videtur contractus juramento, quo quis promittit libere alteri se non revocaturum testamentum vel legatum in ipsius favorem factum, quia jurans e jure suo cedere potest.

101. — Quoad *dispensationem* juramenti, non licet eam petere, si juramentum sit in confirmationem contractus *validi*. Tunc enim obligatio juramenti non potest relaxari sine detrimento tertii, cujus interest ut jus suum sit juramento firmatum.

Licet autem illam dispensationem petere, si contractus fuerit rescindibilis ex *delicto* alterius; aut ex dispositione legis; tunc enim vel jurans liberatur ab injustitia per alterius delictum allata, vel de jure alterius non satis constat.

Si quis per secundum juramentum promisisset se prioris juramenti relaxationem nunquam petiturum esse, illud juramentum invalidum esset, utpote spiritualis potestatis quodammodo restrictivum, ipsique injuriosum ex parte juramentum extorquentis. Cæterum, in hoc casu, causa simpliciter exponi potest superiori spirituali; et si dispensationem licet non petitam concesserit, ea jurans tuta conscientia uti poterit.

ARTICULUS III

De Exstinctione jurium in re, et obligationum.

102. — Cessant jura realia et obligationes ex contractibus orta, solutione, condonatione, confusione, novatione, interitu rei, præscriptione, compensatione, effectu conditionis resolutoriæ, rescissione : porro de præscriptione et compensatione actum est in Tract. *de Justit.* n. 129 et seq., n. 179 et seq.; de effectu conditionis resolutoriæ jam diximus n. 88; de rescissione contractus sæpius actum est in decursu præsentis Tractatus, et iterum dicemus in secunda parte. Alia igitur exstinctionis media breviter expendenda sunt.

§ I

De Solutione.

103. — Solutio, juxta etymologiam, est liberatio ab obligatione, quocunque modo fiat. Hic autem definiri potest : *præstatio rei ex contractu debitæ*, quæcunque sit, sive pecunia, sive alia res, sive factum. De obligatione rei faciendæ jam sufficienter diximus, n. 77: Hic igitur de pecunia et re præstanda solum agemus, expendendo a quo, cui, quomodo, quo tempore et loco fierit debeat solutio.

104. — *Quæritur* 1° *a quo* fieri possit solutio?

Resp. Regulariter a debitore facienda est solutio; sed ex jure tum naturali, tum civili, præter debitorem, valide etiam solvere potest alius quilibet, sive ejus intersit, ut codebitor aut fidejussor, sive etiam non intersit, modo tamen *nomine debitoris* solutio fiat. Si vero solvens creditoris jurium *subrogationem* non exigat, non potest creditor hujusmodi solutionem rejicere; cum enim jus suum recipiat, tenetur permittere quod ipsi non nocet et alteri prodest. Imo fieri potest solutio *invito ipso debitore*, vel cum animo donandi, vel etiam sine illo animo; et in isto secundo casu, si vere fiat in commodum debitoris, solvens recursum habebit erga debitorem tanquam *negotiorum gestor*.

Dixi : *modo non exigat subrogationem*, etc.; tunc enim

adesset potius emptio *crediti*, quam debiti solutio. Subrogatio tamen non obstat solutioni, quando ista fit a codebitore vel ab alio cujus interest, ut infra dicemus. In foro civili valde diversa sunt contra debitorem jura solventis *in commodum debitoris*, et jura solventis in *proprium commodum*, quando non adest subrogatio; art. 1249 et seq.

Ex jure naturali et civili, is tantum valide solvere potest, qui *dominium* habet rei in solutione datæ; et si agatur de solutione, qua transfertur actu dominium, is tantum valide solvit, qui habet potestatem *alienandi*, n. 1238.

105. — *Quæritur* 2° *cuinam* facienda sit solutio?

Resp. 1. Si creditor sit *unicus*, facienda est creditori, modo sit capax recipiendi; vel ei cui creditor, aut lex, aut Judex jus accipiendi nominatim mandavit, ut procuratori, tutori, aut ei qui pro tutore negotia gerit. Imo valet solutio facta ei, qui creditum (*la créance*) possidebat, licet postea evictionem iste passus fuerit, v. g., ei qui tanquam hæres possidet, licet postea destituatur ab hæreditate.

2. Si creditores sint *plures*, distinguendum est inter privilegiatos, hypothecarios et mere chirographarios

Scilicet, *privilegiati* sunt illi, quibus *qualitate causæ* jus confertur, ut eis præ cæteris creditoribus solutio fiat. Unde, si privilegiati sint plures, servatur ordo, non pro tempore, sed pro natura et qualitate privilegii, art. 2096. Quisnam autem ordo servandus sit, seu quænam privilegia cæteris anteponenda sint, in quibusdam determinat Codex civilis, art. 2101, 2105; sed de aliis omnino silet, atque ideo in assignando illo ordine multum dissentiunt Jurisperiti.

Hic nobis duo notare sufficiat. 1. Inter privilegia, alia afficiunt omnia bona debitoris, alia vero tantum mobilia, vel tantum immobilia; art. 2101, 2105. — 2. In materia commercii exstant dispositiones peculiares, art. 191, 549, 550, 574-578, Cod. com. per legem 28 maii 1838 reformati.

Si vero privilegia sint ejusdem ordinis, unicuique privilegiato solvitur pro rata parte debiti, sicut non essent inter se privilegia, art. 2097.

Hypothecarii post privilegiatos solvendi sunt ex bonis, quæ per hypothecam illis obligantur, *servato ordine inscriptionis* in tabulis conservationis hypothecarum. Excipiebantur olim, ex Codice civili, hypothecæ legales uxorum et minorum, quæ inscriptione non indigebant et computabantur a die qua constitutæ censentur, art. 2135, 3136. Sed ex lege 23 martii 1855, art. 8, cessante matrimonio aut tutela, *intra annum* inscribi debent hypothecæ, alioquin non valebunt erga alios.

Si plures hypothecæ eodem die fuerint inscriptæ, nullus inter eas ordo servatur, sed creditores jus æquale habent pro rata parte debiti.

Creditores *mere chirographarii* seu communes ad solutionem vocantur ultimi. Sed quæstio est an aliquis ordo inter eos servandus sit. Hæc statui possunt. 1. Ex communi sententia, prius solvenda sunt debita titulo oneroso quam titulo gratuito, saltem regulariter loquendo. 2. Ex sententia fere unanimi Theologorum, prius solvenda sunt debita *certa*, quam debita *in se* incerta. 3. Negant omnes Juristæ et plerique hodie Theologi præferendos esse creditores antiquiores mere chirographarios; in hoc enim præcise consistit discrimen inter debitum hypothecarium et debitum simplex. Aliunde, si contrarium fuisset admissum, via pateret fraudibus, cum sit facile decipere circa veram unius debiti epocham. 4. Similiter, extra casum extremæ aut forte etiam valde gravis necessitatis, debitores pauperes non sunt ditioribus anteponendi, ut communissime docent hodie Theologi.

106. — *Quæritur* 3° an in foro conscientiæ standum sit præfatis dispositionibus legis civilis?

Resp. Affirmative, generatim loquendo, quia, juxa plerosque Theologos, in illis articulis, lex est determinativa proprietatis, pleno jure irritans contrarium agendi modum n. 17, 25, 26, atque ante eventum omnibus æque favorabilis, et ideo in praxi ab omnibus acceptata.

Attamen, debitor conscius suæ impotentiæ, solvere potest integrum debitum creditori, qui juridice petit; legi-

tima enim judicis sententia creditori illi privilegium confert.

Idem probabilius dicendum est, si creditor extra judicium petat, saltem si debitum sit exigibile, juxta S. Ligor. Nam creditor habet actionem personalem in debitorem, et totum debitum petendo, jus suum prosequitur; unde axioma : *Jura vigilantibus prosunt*.

Imo ex eodem principio colligunt plures creditorem, conscium status debitoris, qui in hoc casu solutionem *sponte oblatam* accepit, non teneri ad restitutionem erga alios creditores; cum enim habuisset jus petendi, habet jus retinendi.

Plures tamen negant creditorem, qui *certo cognoscit* debitorem esse imparem omnibus debitis solvendis, posse solutionem sui debiti integram *petere* aut oblatam recipere, quia, aiunt, bona debitoris habentur ut omnium creditorum, quorum jurium æqualium sunt commune pignus, quod proinde pro rata parte inter ipsos dividendum est.

Sed omnes fatentur 1. *non esse inquietandos* qui debitum exigunt, aut recipiunt, quando non adest nisi *suspicio* aut *dubium* de statu debitoris, ne creditores cogantur attentius perscrutari statum fortunæ suorum debitorum, et quia hoc exigit securitas commercii; 2. *non valere* solutiones hujusmodi, quando *a lege irritæ declarantur*.

Porro in Gallia prorsus invalida est, ex pleno jure, omnis solutio a debitore commercium exercente facta post *cessionem declaratam* in tribunali commercii; item solutiones peractæ intra decem dies quæ declarationem præcedunt, nisi sint debitorum exigibilium et fiant pecunia aut chirographis commercialibus. Ex lege 28 maii 1838. Vid. etiam Cod. Comm., art. 443 et seq.

Quoad eos vero qui commercium non exercent, declaratio *decoctionis*, gallice *déconfiture*, producit varios effectus quos indicat Codex civilis art. 1276, 1446, 1613, 1865, 1913, 2003, 2032. Sed quia nullibi Jus statuit quod talis debitor amittat administrationem bonorum, nec etiam ulla instituta fuit legalis præsumptio fraudis quoad actus, quos elicuit intra decem dies qui præcesserunt decoctionem,

actus et proinde solutiones non invalidantur, nisi fraudulentas fuisse probetur.

Itaque confessarius, qui plerumque nonnisi jam peractam solutionem detegit, sæpe debet a pœnitente monendo abstinere, sive ob dificultatem res de novo aliter componendi, sive ob bonam fidem debitoris et creditoris.

107. — An et quatenus possit debitor sese liberare per solam *cessionem bonorum*, jam expendimus in Tract. *de Justit.* n. 285. In eo casu debitor quædam sibi retinere, quædam a creditoribus aut a judice obtinere potest; sed, juxta omnes, peccat contra justitiam, si ultra id retineat aliquid magni momenti, quia damnum infert creditoribus, eosque fraudulanter decipit. Plerumque tamen ultra necessitatem, in quantum possunt, retinent illi debitores. Cod. pœn., art. 581, 593.

108. — *Quæritur* 4° *quomodo* solutio fieri debeat?

Resp. 1. Aliud pro alio solvi creditori invito non potest, etiamsi res oblata non minoris, imo et majoris pretii sit; volenti vero et consentienti potest, art. 1243. Ad creditorem enim pertinet æstimare, quid ipsius magis intersit. Vid. *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 211.

2. Non potest solvi per partes *invito* creditori debitum rei *etiam dividuæ*, nisi ita conventum sit, quia solutio partium plura solet habere incommoda. Possunt tamen Judices, exigentibus causæ circumstantiis, et magna ea de re circumspectione servata, quasdam *moderatas dilationes* debitori tribuere, art. 1244.

3. Debitor rei *certæ* et *determinatæ* liberatur traditione rei in statu quo reperitur tempore traditionis, nisi res illa deterior facta fuerit debitoris culpa, aut dum iste esset in mora; art. 1245. Quia res, sicut perit, ita deterioratur domino.

4. Solutio autem fieri debet impensis debitoris, nisi aliter conventum sit.

5, Mutuatarius, qui aureos nummos accepit, et promisit solutionem sortis et fructuum in eadem monetæ specie,

sin minus additamentum differentiæ inter conventam pecuniam monetamque papyraceam, tuta conscientia solvere non potest creditori rationabiliter invito monetam chartaceam depretiatam pro valore nominali, non obstante quavis contraria dispositione legis civilis. Ita S. Congr. Inquisit. 20 ap. 1876, 12 sept. 1877. Vide de Angelis, t. 2, p. 365.

109. — *Quæritur* 5° *quonam tempore* et *loco* fieri debeat solutio?

Resp. Regulariter solutio non debetur nisi dies solutionis venerit; ac proinde, si obligatio sit *in diem*, vel *sub conditione*, debitor cogi non potest ad eam solvendam, antequam vel dies, vel conditio exstiterit : potest tamen debitor ante diem solvere, nisi probetur diem adjectam fuisse in favorem creditoris.

Solutio fieri debet in loco a contrahentibus determinato; si vero nullus fnerit determinatus, eo loco ubi res erat tempore obligationis contractæ, quando certa species in stipulationem deducta est; aliter, in domicilio actuali debitoris, art. 1247.

§ II

De Condonatione, Confusione, Novatione, Interitu rei.

110. — 1° *De Condonatione.* Condonatio seu *remissio debiti* æquivalet solutioni, ut patet. Sed requiritur 1. ut sit ex una parte donandi capacitas, et, ex altera, capacitas accipendi : 2. ut condonatio sit plene libera. Solemnitates pro donationibus hic non requiruntur.

Condonatio est *expressa*, *tacita*, vel *præsumpta*, modo generet certitudinem. Vide Tract. *de Justit.*, n. 289, 290.

Facta condonatione debitori principali, liberantur fidejussores; quia, sublato principali, tollitur accessorium. Facta autem fidejussori, non liberantur debitor principalis, nec alii fidejussores : sublato enim accessorio, subsistit principale; et aliunde creditor favere potest uni fidejussori, quin faveat aliis.

Remissio tituli uni e creditoribus in solidum n. 97, cæteros liberat.

111. — 2° *De Confusione.* Confusio dicitur cum *obligatio debitoris et jus creditoris in eadem persona coadunantur*, v. g., si creditor fiat hæres debitoris, vel debitor instituatur hæres creditoris,

vel eadem persona fiat hæres creditoris simul et debitoris, art. 1300 et seq. Tunc exstinguuntur omnia jura, quorum exsecutio fit impossibilis, sed illa sola.

112. — 3° *De Novatione.* Novatio est *transfusio* et *translatio prioris debiti* vel *obligationis in aliud jus* aut *obligationem;* unde necessario et indivisibiliter includit exstinctionem prioris cum ejus accessoriis, v. g., hypotheca, et constitutionem novi juris et obligationis.

Fit autem interventu vel novi debiti, vel novi debitoris, vel novi creditoris, atque semper supponit contrahendi capacitatem, art. 1272. Nunquam præsumitur novatio, sed necesse est quod novandi animus ex instrumento clare appareat, art. 1273 et seq.

113. — 4° *De interitu rei.* Vel agitur de re indeterminata, v. g., de equo in genere, vel de corpore certo, v. g., de tali equo : si prius, debitor non liberatur interitu rei, quia genus non perit; si posterius, rei destructio aut perditio absque culpa debitoris, eum ab obligatione liberat, quia, materia contractus sublata, ipse tollitur contractus, art. 1302. Si vero res perierit ob culpam debitoris, vide n. 108, et Tract. *de Justit.*, n. 224.

In contractu autem *bilaterali*, si fuerit perfectus, v. g., in venditione-emptione pura et simplici, interitus rei debitæ non liberat alterum contrahentem ab obligatione solvendi pretium; nam res jam *ipsius erat,* et ipsi, ut domino, periit. Nec applicatur art. 1184, quia nulla culpa supponitur ex parte debitoris rei perditæ. Si vero contractus non fuerit perfectus, v. g., quando adest venditio quæ dicitur *au compte, à la mesure, à l'essai,* ad nihil tenetur alter contrahens, quia, deficiente objecto, non potest contractus perfici, nec proinde oriri obligatio, art. 1585-7.

PARS SECUNDA

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

114. — Quæ dicta sunt in prima parte hujusce Tractatus, generatim applicari debent singulis contractibus. Sed insuper aliæ dantur regulæ certis conventionibus speciales, de quibus agendum superest in hac secunda parte.

Jam vero translatio proprietatis fieri potest, aut obliga-

tio contrahi vel titulo gratuito, vel titulo oneroso; et hinc duplex genus contractuum, qui in praxi variis formis induuntur, atque innumerabiles generant species propter circumstantiarum diversitatem. De illo duplici contractuum genere et de præcipuis cujusque speciebus seorsim dicemus in duplici capite.

CAPUT PRIMUM

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS

Quatuor erunt articuli : 1° de promissione gratuita; 2° de donationibus sive inter vivos, sive per testamentum; 3° de commodato et mutuo gratuito; 4° de deposito, mandato et negotiorum gestione.

ARTICULUS PRIMUS

De Promissione gratuita.

115. — *Quæritur* quid sit promissio gratuita, utrum et quatenus obliget, quomodo obligare desinat?

Resp. 1° Promissio gratuita vulgo definitur : *Contractus quo quis gratuito et sponte fidem suam alteri obligat de præstanda re possibili, licita ac promissario grata.*

Dicitur 1 : *contractus*, id est, conventio ab uno proposita et ab alio acceptata; 2. *gratuito;* id est, absque ulla merce ex parte promissarii; in hoc differt a promissione *onerosa* de qua dicemus ubi de venditione; 3. *sponte,* id est, cum perfecto voluntario; 4. *fidem obligat,* id est, alteri jus aliquod conferre intendit; unde differt tum a mero proposito, tum a donatione, in qua res statim donatur; ideo dicitur a quibusdam *donatio fidei.*

2° Promissio, spectata *ejus natura,* obligat saltem ex fidelitate. Nam, sicut veracitas obligat ad conformanda verba externa cum mente, ita fidelitas obligat ad conformanda facta cum verbis præteritis : utrumque pariter exigit humani commercii securitas. Sed talis obligatio non est *per se* gravis; idem enim dicendum de infidelitate illa, ac de mendacio.

Promissio autem *serio facta* et *ex animo sese vere obli-*

gandi, quando *acceptata* fuerit, obligat etiam *ex justitia*. Talis est enim effectus communis contractuum, et proinde ex isto oriri debet, si intendant contrahentes, ut valeat promissio *quantum ex natura sua valere potest*. Hinc, qui deest promissioni, tenetur reparare damnum emergens, sed non videtur teneri de lucro quod promissarius ex ipsa re promissa, aut ea mediante acquisivisset; nam promissionis non possunt esse iidem effectus ac ipsius donationis perfectæ[1].

Dixi : *si serio fiat;* nam promissiones gratuitæ, *prout fieri solent inter homines*, sæpe nullam proprie dictam obligationem inducunt, defectu intentionis, et sæpius obligant tantum ex fidelitate; aliquando tamen obligant ex justitia, et tunc possunt omnes obligare sub gravi peccato.

Cæterum communis sententia est majorem requiri quantitatem, ut obligatio promissionis ex justitia sit gravis, quam in furto.

3° Promissio desinit obligare tum ex mutuo consensu, tum mutatione notabili rerum. 1. Mutuo consensu, ut evidens est; quia per quas causas nascitur obligatio, per easdem et dissolvi potest. 2. Mutatione notabili rerum : id est ea mutatione quæ tanta est ut, spectatis circumstantiis, promissor prudenter præsumatur noluisse sua promissione hunc eventum comprehendere; quare, si res promissa facta sit inutilis, vel multum damnosa, vel illicita, exinde cessat obligatio promissionis.

Similiter, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam promissarii, et iste moriatur ante promissionis exsecutipnem, promittens ad nihil tenetur, quia per mortem promissarii cessat finis in promissione intentus.

1. L'engagement pris par un maître vis-à-vis d'un vieux serviteur dans une lettre missive, de lui assurer une rente viagère à raison des bons services qu'il lui a rendus, doit être considéré comme l'acquit d'une obligation naturelle et non comme une donation soumises aux prescriptions des articles 931 et 932 du Code civil (C. Paris, 19 mars 1880. — G. 7 juillet). Cette solution doit être généralisée. En effet, toutes les fois que l'engagement pris dans une lettre missive a le caractère d'une donation en payement, il faut le considérer comme valable.

ARTICULUS II

De Donationibus sive inter vivos, sive per testamentum.

Dicemus 1° de utriusque donationis notione; 2° de regulis donationi inter vivos, et testamento communibus; 3° de regulis specialibus donationi; 4° de regulis specialibus testamento; 5° de quibusdam donationibus peculiaribus.

§ I

De notione Donationis sive inter vivos, sive per testamentum.

Donatio in genere, *doni datio*, est *concessio gratuita et spontanea alicujus rei.* Triplici mode fieri potest, nempe *inter vivos*, vel *per testamentum*, vel *causa mortis*. Unde

116. — *Quæritur* 1° quid sit *donatio inter vivos?*

Resp. Donatio inter vivos definitur : *Contractus quo quis actualiter et irrevocabiliter dominium rei suæ alteri transfert ex mera liberalitate.*

Dicitur 1 : *contractus*, quia ad translationem juris donatoris requiritur acceptatio donatarii, et ideo concursus duplicis voluntatis in idem placitum, art. 894, 932.

Dicitur 2 : quo quis *actualiter*, id est, ipso actu donationis; et in hoc distinguitur donatio inter vivos a testamento quod dominium non transfert nisi post mortem testatoris. Unde cadit donatio bonorum futurorum, quia eorum dominium actualiter transferri nequit, art. 943.

Dicitur 3 : et *irrevocabiliter*, alioquin jam non esset donatio proprie dicta, juxta axioma : *Donner et retenir ne vaut.* Hoc tamen nom impedit donationem ex justis causis posse revocari in quibusdam casibus, art. 944, 955.

Dicitur 4 : *dominium rei*, licet sit ad diem, aut conditionatum, modo jus proprie dictum et nunc irrevocabiliter conferatur.

Dicitur 5 : *rei* cujuscunque, sive mobilis, sivei mmobilis, etiam usufructus, aut juris incorporei seu crediti, etc.

Dicitur 6 : *rei suæ;* nemo enim dare potest rem alienam siquidem nemo dat, quod non habet; unde donator non

tenetur de evictione, cum censeatur velle tantum transferre jus, quo ipse gaudet.

Dicitur 7 : *ex mera liberalitate*, alioquin non adesset donatio, sed contractus onerosus, aut solutio quædam.

Attamen non requiritur, quod nullum onus donatorio imponatur; sed sufficit, quod res donata sit saltem ab initio utilis donatario, nec proinde oneribus compensentur commoda, atque donator aliud det, quam quod debet.

119. — *Quæritur* 2° quid sit *testamentum?*

Resp. Testamentum est *actus revocabilis, quo quis disponit de suis bonis vel de quadam eorum parte, pro tempore mortem ejus subsecuturo.*

Dicitur 1 : *actus*, non vero contractus, quia in testamento adest unius tantum voluntatis nempe testatoris actus et manifestatio.

Dicitur 2 : *revocabilis;* cum sit enim actus unius voluntatis, et nemo se erga seipsum obliget, talis actus ita per se est revocabilis, ut saltem in jure hodierno, testator revocabilitati renuntiare nequeat, juxta axioma Juris Romani : *ambulatoria est voluntas hominis usque ad vitæ supremum exitum.*

Dicitur 3 : *quo quis*, in numero singulari, quia testamentum non potest exprimere nisi unius tantum voluntatem, alioquin ex jure civili, art. 968, plane irritum esset. Sic supremum est testamentum quod dicebatur *conjunctivum*, sive *mutuum.*

Dicitur 4 : *disponit*, non vero alteri disponendum relinquit, alioquin non esset testamentum. Quo sensu illud sumendum sit, seu quousque extendendum, non constat apud Jurisperitos. Cæterum illa dispositio fieri potest vel per institutionem hæredis, vel per legatum quocunque alio titulo, ex quo voluntas illius innotescat.

Dicitur 5 : *de suis bonis*, vel *de quadam eorum parte;* quia potest testator, si velit, non disponere nisi de parte bonorum suorum; tunc cætera transibunt ad hæredes naturales. In Jure Romano institutio legatarii universalis sola admittebatur.

Dicitur 6 : *pro tempore mortem ejus subsecuturo;* ita ut nullum jus hic et nunc transferatur. Revera « Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris ; *testamentum* enim *in mortuis confirmatum est;* alioquin *nondum valet, dum vivit qui testatus* est ; » Hebr. 9, v. 16.

Unde, sub triplici respectu, testamentum a donatione discrepat, videlicet, donatio est actus duplicis saltem voluntatis, atque transfert jus actuale et irrevocabile ; testamentum autem est actus unius tantum voluntatis de se revocabilis, nec jus transfert nisi post mortem testatoris.

Donatio per testamentum relicta, ordinarie vocatur *legatum*, a voce *legis*, quia voluntas testatoris tanquam lex reputatur; eadem ratione hæredes testamento constituti vocantur *legatarii;* qui vero per donationem inter vivos recipiunt, *donatarii* nuncupantur.

118. — *Quæritur* 3º quid sit *donatio in causa mortis?*

Resp. Donatio in causa mortis est dispositio, qua quis ex *mera liberalitate* alteri *acceptanti* transfert *actualiter dominium* rei suæ, sub conditione quod *res sibi restituatur*, *si eam petat*, et *ad illum pertineat*, si ipse *moriatur absque revocatione prioris voluntatis.*

Unde talis dispositio quasi medium tenet inter donationem et testamentum ; scilicet, ex una parte, sicut in donatione ex mera liberalitate transfertur actualiter dominium rei, atque donatarius accipit, ita ut adsit contractus et non actus tantum : ex altera parte, sicut in testamento, revocabilis est illa dispositio ad nutum donatoris, nec fit irrevocabilis antequam mors insequatur, et propterea dicitur donatio *in causa mortis.* Sic igitur illa donatio est sub conditione resolutoria, n. 85, atque per eam donator seipsum anteponit donatario, donatorium autem hæredi suo.

Non consentiunt Jurisperiti utrum ex jure civili hodierno valeat donatio in causa mortis. Attamen valeret donatio inter vivos etiam sub conditione resolutoria, modo non esset mere facultativa ex parte donatoris, art. 941 ; sed eo ipso non adesset donatio in causa mortis, qualis olim intelligebatur.

Similiter hodie satis communiter admittitur dispositionem factam in forma testamenti validam fore, quamvis in ea concurreret acceptatio donatarii ; sed cum hæc acceptatio ut inutilis haberetur, illa dispositio esset testamentaria potiusquam donatio inter vivos in causa mortis.

Præcipua difficultas est an et quatenus doctrina de donatione in causa mortis extendenda sit usque ad donationes manuales, de quibus postea, n. 166.

§ II

De regulis Donationi inter vivos, et Testamento communibus.

Quæ regulæ respiciunt vel donandi et accipiendi capacitatem, vel extensionem illius capacitatis.

NUMERUS PRIMUS

De Capacitate donandi et accipiendi.

Donandi et accipiendi capacitas considerari potest quoad jus naturale, vel quoad jus civile. Unde

PUNCTUM PRIMUM

De Capacitate donandi et accipiendi quoad jus naturale.

120. — 1° Capacitas *donandi inter vivos* non minus constat quoad jus naturale, quam ipsa capacitas contrahendi, de qua diximus, n. 59. Semel enim inducto dominio privato, nihil obstat, quin dominium habens ei renuntiet, sub conditione ut alter per suam acceptationem illud acquirat; et ideo ex jure naturali capax est donationis inter vivos, quicunque est capax contrahendi; art. 1125, 902.

121. — 2° *Donandi* autem *per testamentum* capacitas ex jure naturali non ita constat. Alii quidem affirmant talem facultatem ex illo jure oriri, eo quod sit ubique recepta, et bono familiarum atque societatis necessaria. Vide D. Thiers, *de la Propriété*, lib. 1, c. 7, et seq.

Alii vero negant, et ideo capacitatem testandi repetunt tantum ex jure civili. Non est enim translatio juris absque concursu voluntatis jus transferentis cum voluntate jus acquirentis : atqui, vivente testatore, nullum jus transfertur; mortuo autem testatore, eo ipso deficit et potestas et voluntas jus transferendi; ergo, in donatione per testamentum, concurrere non possunt voluntas acceptantis, ac proinde fieri nequit vera juris translatio.

Alii distinguunt. Scilicet, capacitas testandi radicatur in jure naturali, cum fuerit in usu constanti et universali, atque sit omnino necessaria bono familiarum et societatis. Talis autem capacitas non est completa et perfecta, id est, suum effectum non sortitur, nisi interventu societatis, quatenus, mortuo testatore, societas bona testatoris immediate accipit, atque attentis testatoris voluntate et necessitate sociali de hujus voluntatis effectu, transmittit cum pleno jure bona testatoris ejus hæredi vel legatorio.

3° De capacitate *accipiendi* ex jure *naturali* idem dicendum est ac de capacitate donandi.

PUNCTUM II

De Capacitate donandi et accipiendi quoad jus civile.

122. — Quoad jus civile in Gallia hodie vigens, capacitas donandi et accipiendi, sicut et capacitas contrahendi, n. 59, est regula generalis, ita ut incapacitas sit exceptio. Sufficit igitur expendere 1. quinam ad dandum, 2. vel accipiendum inhabiles declarentur a lege civili? 3. an eorumdem inhabilitas admittenda sit in foro conscientiæ; 4. quonam tempore existere debeat capacitas donandi vel accipiendi? Itaque

I

De iis qui, coram lege civili, sunt donandi incapaces.

Incapacitas donandi inter vivos aut per testamentum est vel *absoluta* seu erga omnes et in omni casu, vel *relativa* seu erga quosdam tantum, aut in quibusdam tantum casibus. Itaque

125. — *Quæritur* 1° quinam sint ex jure civili *absolute* incapaces donandi?

Resp. Ex jure civili, absolute sunt incapaces donandi inter vivos aut per testamentum, 1. qui *usu rationis actualiter carent;* 2. *interdicti,* n. 68[1]; 3. *minores* ante 16[um] an-

1. Ea occasione, disserunt Jurisperiti de donationibus vel testamentis, obtentis *per captationem* et *suggestionem.* Lex silet de illo duplici modo impugnandi donationes; et ideo recurrendum est ad principia generalia jam exposita de dolo et

num, præterquam in contractu matrimoniali, art. 1095 : excipiuntur tamen parvæ donationes manuales ; vide n. 61, 62, 67 : 4. *damnati* ad *pœnas afflictivas perpetuas*, ex lege 31 maii 1854.

124. — *Quæritur* 2° quinam ex jure civili sint relative incapaces donandi?

Resp. Ex jure civili, relative sunt incapaces donandi, 1° *minor*, qui post 16um annum nullo modo quidem potest donare inter vivos; tamen ei licet disponere per testamentum de dimidia bonorum parte, quam dare posset, si esset major, n. 63; art. 904.

2° *Uxor*, quæ non potest inter vivos donare absque assistentia aut consensu *speciali* mariti, vel etiam sine auctoritate judicis; sed ad testamentum conficiendum nulla assistentia vel auctoritate indiget. Inhabilitas uxoris ad donationem inter vivos, fundatur in eo quod præsertim mariti valde interest, ne donationes ab uxore fiant; quare illam incapacitatem relativam satis stricte intelligunt Jurisperiti, n. 71; art. 905.

3° *Semiplene interdictus*, qui similiter pro libito testari potest, non vero inter vivos donationem perficere, absque consensu concilii judiciarii, n. 68.

4° *Bonorum cessores*, gallice *faillis*, qui donare non possunt intra decem dies, quæ præcedunt declarationem judiciariam illorum status.

II

De iis qui, ex lege civili, sunt accipiendi incapaces.

Accipiendi, sicut et donandi, incapacitas per donationem inter vivos aut per testamentum, est *absoluta* vel *relativa* tantum. Unde

125. — *Quæritur* 1° quinam sint ex jure civili absolute incapaces recipiendi?

metu. Scilicet, rescissio donationis ratione suggestionis aut captationis non admittitur, nisi quatenus probatur fraudem seu mendacia et dolum fuisse efficaciter adhibita, ut conficeretur donatio aut testamentum cum hæredum naturalium detrimento. Vide Tract. *de Justitia*, n. 248, 249.

Resp. Ex jure civili *absolute* sunt incapaces accipiendi per donationem inter vivos, aut per testamentum, 1. qui *nondum conceptus* est tempore mortis testatoris, si agatur de testamento, art. 906. Revera per se patet eum, qui non existit, non posse recipere.

2. Qui, etiam conceptus tempore donationis aut mortis testatoris, non nascitur *vitalis* seu vitæ habilis, v. g., puer natus mortuus, aut vivens, sed ante 180um diem a conceptione sua, art. 906, 725, 312. Vide Demolombe, *Traité des sucess.*, t. 1, n. 180, 181, 186, 187.

3. Qui *damnatus* est ad *perpetuas pœnas* afflictivas; potest tamen recipere pensionem alimentariam.

126. — *Quæritur* 2° quinam ex jure civili sint *relative* incapaces accipiendi?

Resp. 1° *Uxor* acceptare nequit absque consensu mariti, vel judicis auctoritate, art. 934. Naturam hujusce incapacitatis jam expendimus, n. 71.

127. — 2° *Surdi-muti*, qui scribere nesciunt, acceptare non possunt nisi per curatorem ad hoc nominatum, art. 936. Hæc formalitas requiritur ut de sufficientia consensus accipientis certius constet, et ideo incapacitas, quam inducit, potius pertinet ad speciem nullitatum ex defectu formalitatum, 162.

128. — 3° *Tutor* nihil a pupillo suo recipere potest, nec etiam post hujus majoritatem, donec tutelæ rationes ei reddiderit, art. 907. Timuit enim legislator ne minor in hujusmodi dispositionibus plena non gauderet spontaneitate, et ne tutor auctoritate sua abuteretur in pupilli detrimentum. Unde, cum hæc nullitas lata sit directe in utilitatem minoris, videtur constituere tantum nullitatem relativam seu rescindibilitatem actus, n. 17; ita Carrière, n. 276. Potest tamen tutor, si sit in numero ascendentium pupilli, ab eo recipere, n. 62.

129. — 4° *Filii illegitimi*, seu *spurii*, a parentibus *legaliter agnîti*, ex lege recipiunt aliquam tantum partem por-

tionis, quam ex bonis *parentum* habuissent, si fuissent legitimi, quando adsunt descendentes legitimi, vel ascendentes aut collaterales patris vel matris; capiunt autem universam hæreditatem, si deficiant hæredes legitimi, n. 147; art. 757, 758, 908.

Illa proinde partialis incapacitas statuta videtur primario et præcipue in utilitatem hæredum naturalium; secundario etiam ad favendum matrimonio et bonis moribus, ut infertur ex discussionibus legis; sicque constituit nullitatem relativam tantum, seu actus rescindibilitatem.

130. — Filii *spurii non legaliter* agniti, coram lege reputantur extranei pro patre et matre, et ideo a parentibus recipere possunt coram lege civili, sicut extraneus quilibet aliunde recipiendi capax.

Equidem plures sentiunt incapacitatem a lege statutam contra spurios legaliter agnitos, probabilius ipsos spurios non legaliter agnitos attingere in foro conscientiæ, ob motiva quibus nititur præfata incapacitas; ita Carrière n. 278.

Sed hæc opinio a plurimis rejicitur. Jurisperiti enim et tribunalia consentiunt filios spurios non legaliter agnitos esse coram lege civili sicuti extraneos pro patre et matre : hoc autem posito, difficile concipitur, quod eadem lex eosdem spurios efficiat incapaces in foro conscientiæ.

Revera lex uti extraneos habet filios spurios non legaliter agnitos, ne et ipsimet filii legitimi infamarent suum proprium parentem, inquirendo et probando fratrem esse illegitimum, et ideo invalidam esse donationem in hujus favorem a parente constitutam.

131. — 5° Filii *incestuosi* et *adulterini*, ut tales *legaliter* constantes[1], a patre et matre nihil recipere possunt præter pensionem alimentariam, art. 762 et seq.

1. Lex, ad præcavenda scandala et inter conjuges dissensiones, quamlibet respuit recogniti nem sive voluntariam, sive judiciariam filiationis incestuosæ et adulterinæ; ac proinde filiis incestuosis et adulterinis denegat quamcunque participationem legalem hæreditati parentum, art 335. Attamen aliquando, de facto seu *vi rerum ipsarum*, filiatio incestuosa aut adulterina legaliter cognoscitur; et tunc applicationem habet art. 762. Porro de incestuosa aut adulterina filiatione legaliter constat in triplici præsertim casu, ut videre est apud Marcadé, t. 2, p. 53, 94.

Porro legislator, in bonum matrimonii, in odium incestus et adulterii, et in pœnam parentis ob crimen incestus aut adulterii, per illam incapacitatem voluit impedire ne parentes filios incestuosos aut adulterinos, *ut tales legaliter constantes*, in donatione aut in testamento tanquam *suos successores nominare* et *coram lege agnoscere* possent.

Unde incapacitas 1. afficit tantum donationes actu authentico factas a patre vel matre; 2. respicit tantum filios incestuos aut adulterinos ut tales legaliter cognitos; 3. constituere videtur nullitatem absolutam seu radicalem, cum tales filii non vocentur ad hæreditatem, etsi deficiant hæredes sive naturales, sive testamentarii.

Hic tamen de filii incestuosi aut adulterini non legaliter agniti incapacitate in foro conscientiæ, eadem et aliquatenus a fortiori movetur controversia, ac supra de illa incapacitate pro spurio non legaliter agnito, n. 130, de qua lucide disserit Marcadé, t. 2, p. 51[1].

132. — 6° *Medici, chirurgi, pharmacopolæ, ministri cultus*, qui in *ultimo* morbo *ægrotum vere curaverunt*, ab eo per donationem accipere non possunt, si *durante illo morbo donatio facta* fuerit, nisi sint vel hæredes directi, vel hæredes collaterales in quarto gradu aut propinquiori, deficientibus hæredibus directis, art. 909.

Ratio hujusce dispositionis desumitur ex imperio, quod in mentem æqroti exercere possunt ii, de quibus agitur : ac proinde illa incapacitas ejusdem est generis ac incapacitas tutoris, n. 128, seu efficit actum in foro civili rescindibilem tantnm.

Excipiuntur donationes remuneratoriæ, factæ titulo particulari, modo sint proportionatæ facultatibus donatoris, et officiis præstitis; non censentur enim factæ titulo gratuito. Propter eamdem rationem, idem dicendum est de donatione facta Confessario ut Missas celebret. Excipitur etiam

1. Lex silet de *concubinis*, et ideo sibi invicem donare possunt. Aliquando tamen irritari poterit dispositio, vel ob causam illicitam, n. 58, vel ut facta personæ interpositæ, si adsit filius ex commercio illegitimo, n. 129, 131, 134; vel demum ratione captationis, n. 123 ad notam.

Sacerdos, qui tantum viaticum aut Extremam Unctionem administrat, ex decisione Curiæ supremæ; 18 maii 1807.

Cæterum. ut adsit pro ministro cultus præfata incapacitas, non requiritur, quod minister audierit auricularem ægroti confessionem, cum illa legis dispositio attingat non minus ministros protestantes et rabbinos, quam Sacerdotes catholicos; sed sufficit quod minister aliquod sui cultus exercuerit officium ex natura sua idoneum ad movendum ægroti animum secundum ministri beneplacitum.

133. — 7° *Xenodochia*, *pauperes alicujus communitatis* (*d'une commune*), et *varia utilitatis publicæ instituta*, v. g., fabricæ, seminaria, communitates Monialium legaliter approbatæ, etc. non possunt recipere summam 1,000 francos non excedentem sine approbatione Gubernii, ex decreto 15 febr. 1862.

Imo communitates *Monialium* legaliter agnitæ, aut singula earum membra simul sumpta *a moniali* ejusdem communitatis recipere non possunt, sive per donationem inter vivos, sive per testamentum, ultra *quartam* bonorum partem, nisi donatio non excedat summam decem millium francorum, vel fiat directe hæredi donatricis aut testatricis; ita ex lege 24 maii 1825, art. 5.

Jam vero 1. præfata prohibitionem recipiendi absque approbatione Præfecti aut Gubernii, ut ipsi oratores Gubernii agnoverunt, non tam respicit habilitatem donatarii, quam *formam* in donationis acceptatione servandam; et ideo non spectat donationes *manuales*, quæ non subjiciuntur formis pro donationibus præscriptis, n. 164. Ita fert praxis communis; neque alius sensus legi tribui posset, quia nimium coarctaretur libertas disponendi, et gravissimum damnum inferretur multis communitatibus.

2. Idem propter fere easdem rationes dicendum est de donatione *manuali* quantacunque, *a moniali* facta communitati aut hujus membris.

Sed etiam donationes a moniali factæ *per actum authenticum* contra legis prohibitionem, sunt tantum rescindibiles. Namque, si fiant alicui ex membris communitatis,

valent donec earum rescissio postuletur ab iis, quorum interest. Similiter, si fiant communitati, valent, modo rescissio non postuletur ab hæredibus naturalibus, nec illas rescindat Gubernium.

Revera omnes illæ prohibitiones nituntur tum in fiscali consideratione, quæ hodie non existit[1]; tum in præsumptione omnino falsa, quod divitiæ affluentes apud communitates religiosas ut alia pia instituta, potius noceant quam prosint societati civili; tum in motivo utilitatis hæredum : porro ex his omnibus colligi nequit nullitas radicalis, sed ad summum actus rescindibilitas. Vide Tract. *de Justit.*, n. 88, 89.

134. — 8° Tandem legislator, ne eluderentur prædictæ. prohibitiones, recurrendo vel ad contractus *simulatos*, vel ad *interpositionem personarum*, nullitatem pro utroque casu statuit, art. 911. Unde in utroque casu donatio sic in fraudem legis irritantis facta, nulla est aut rescindibilis, prout jam diximus, n. 31.

Personæ autem *interpositæ* sunt illæ, quibus datur per donationem inter vivos aut per testamentum, ea conditione explicita aut implicita, ut tradant alteri personæ a lege prohibitæ, art. 911, 1099, 1100. Imo contractus etiam titulo oneroso initus cum personis a lege ut interpositis habitis, mera liberalitas reputatur. Porro, ut interpositæ habentur a lege pater et mater, descendentes, conjux personæ incapacis. In aliis casibus interpositio non præsumitur, sed probanda est.

III

De donandi aut accipiendi incapacitate in foro conscientiæ.

Hujusmodi quæstionis solutio facile colligitur ex principiis jam statutis, n. 24-29. Scilicet,

1. Legislator imprimis impedire voluit, ne nimium crescerent bona quæ dicuntur *de mainmorte*. Cum enim hæc bona nunquam aut raro transmittantur, Gubernium nunquam aut raro ex illis percipit tributum perscriptionis (*le droit d'enregistrement*), adeo in Gallia onerosum. At hæc consideratio hodie fundamento caret. Præfata enim bona jam a pluribus annis tanto gravantur tributo *directo*, ut exinde plene compensentur effectus tributi perscriptionis. Et talem revera compensationem hoc medio obtinere intendit Gubernium,

135. — I. Donatio facta ab iis qui sufficienti rationis usu non gaudent, vel in gratiam eorum qui nondum sunt concepti tempore mortis testatoris, n. 123, 125, omnino invalida est in conscientia, quia tunc adest incapacitas *naturalis* donandi aut accipiendi, n. 24.

136. — II. Donationes actu *authentico* factæ ab illis, vel in gratiam illorum qui ex lege civili afficiuntur *incompleta* tantum incapacitate donandi aut accipiendi, quales sunt minor, uxor, interdictus, surdus-mutus, filius spurius legaliter agnitus, tutor, medici et alii respectu ægroti quem in ultimo morbo vere curaverunt, publica instituta mere civilia, n. 124-133, valent in foro conscientiæ, donec earum rescissio postuletur, n. 26, vel a judice pronuntietur, n. 25, 27, 28, 67, 68.

137. — III. Donationes actu *authentico* factæ alicui communitati *ecclesiasticæ*, cujus dominii capacitas restringitur a lege civili, valent nihilominus in foro conscientiæ, etsi non servetur restrictio a lege civili apposita; eo quod talis restrictio sit contra jus sive divinum, sive ecclesiasticum, quod superius est lege civili, ex dictis n. 29, et in Tract. *de Justit.*, n. 79, 88, 89.

Aliunde, ex dictis n. 133, restrictio de qua agitur, non tam respicit habilitatem donatarii, quam *formam* in donationis acceptatione servandam : porro, ex dicendis n. 186, jus canonicum nullomodo agnoscit necessitatem formæ a lege civili præscriptæ, quando agitur de donatione ad pias causas; ergo, non obstante lege civili valet in foro conscientiæ donatio facta alicui communitati ecclesiasticæ, vel ad piam causam quamlibet; nec proinde hæredes naturales tuta conscientia reductionem aut rescissionem donationis a lege civili permissam petere possunt.

138. — IV. Donatio *de manu ad manum* facta in gratiam alicujus *communitatis ecclesiasticæ* aut ad *piam causam* quamlibet, quantuscunque sit ejus valor, valet in foro conscientiæ, ex dictis n. 133, 137,

Quando autem donatio *manualis* fit in gratiam illorum *privatorum*, qui incapaces per actum authenticum accipiendi a lege declarantur, ipso facto irrita est in foro conscientiæ, juxta plures; alioquin sæpe sæpius lex scopum suum non obtineret.

Valet autem, juxta alios, in foro conscientiæ talis donatio manualis, saltem quando non excedit partem bonorum disponibilem; sufficit enim, aiunt, ad bonum publicum, ut lex effectum suum sortiatur quoad donationes, quæ fieri non possunt nisi actu authentico. Si secus, nimis restringeretur facultas donandi et accipiendi, nimiumque onus conscentiis imponeretur. Huic sententiæ praxis sat communiter favet.

139. — V. Tandem si donatio fiat aut accipiatur per contractum simulatum aut per personam interpositam, in fraudem legis irritantis, nulla aut rescindibilis est in foro conscientiæ, sicut actus qui per hujusmodi simulationem aut interpositionem tegitur, ut diximus, n. 31.

Sed hæc conclusio non respicit communitates ecclesiasticas. Ex dictis enim, n. 137, 138, nullitates legales non afficiunt, in foro conscientiæ, capacitatem dominii ex jure divino et canonico his communitatibus competentem; ergo nec easdem communitates afficit legalis nullitas donationis ipsis factæ per contractum simulatum aut per interpositam personam, modo in hujusmodi donatione non deficiat capacitas ex jure naturali requisita [1].

1. Hic, gallico idiomate, quasdam haud parvi momenti adnotationes quoad formam donationum *ad pias causas* subjiciemus, quas omnes Sacerdotes apprime callere debent.

Les donations manuelles pour œuvres pies ne sont soumises à aucune formalité sous la législation civile actuellement en vigueur; mais il n'en est pas de même des donations ou legs pies par *acte authentique*. Cet acte est souvent frappé de nullité, soit parce que la donation ou le legs ne sont pas faits à celui-là seul qui d'après la loi ou la jurisprudence, a qualité pour les recevoir; soit par l'emploi d'un mot que l'on prend à tort pour l'équivalent du terme consacré, soit par le défaut d'une condition ou d'une substitution directe, soit par suite d'une réserve d'usufruit ou par la constitution du legs à titre universel. Il est donc très important de connaître les points où la liberté charitable ou religieuse se trouve en contact avec la législation et la jurisprudence administrative. Nous allons indi-

140. — Duo hic sedulo notanda sunt. 1. Omnino decet,

quer ces points les plus délicats, en faisant toutefois observer que, en cette matière, ce qui est vrai aujourd'hui peut ne pas l'être demain, et qu'il suffit d'un arrêt du Conseil d'Etat pour tout bouleverser.

En principe, d'après une ordonnance du 2 avril 1817 et un avis du Conseil d'Etat du 4 mars 1841, les pauvres sont représentés par les maires ou les bureaux de bienfaisance; les écoles primaires ou les salles d'asile, par les communes; les hospices, par leurs commissions administratives; l'évêché ou mense épiscopale, la cathédrale, les séminaires, par les Evêques; la cure, par le curé; les intérêts matériels de l'église, les fondations des services religieux, par les fabriques; les œuvres pour lesquelles sont autorisées les congrégations d'hommes et de femmes légalement reconnues, par ces mêmes congrégations.

Le Conseil d'Etat, par les arrêts fortement motivés des 27 février, 6 mars, 24 juillet 1873, a reconnu de nouveau que les capacités établies par l'ordonnance du 2 avril 1817 n'étaient pas exclusives, et que les fabriques pouvaient recevoir et administrer les libéralités entre vifs ou testamentaires en faveur des pauvres, ou destinées aux écoles. En vertu des mêmes considérants, la même faculté est pratiquement reconnue à la cure; mais la jurisprudence actuelle du Conseil d'Etat est contraire à cette extension. Bien plus, presque tous les legs pies, faits selon toutes les conditions requises par la loi et la jurisprudence, sont déclarés inacceptables.

Quand les donations ou legs pies sont confiés, par acte authentique, à des intermédiaires autres que ceux qui sont reconnus par la loi ou la jurisprudence, et même quand ils sont faits à des établissements reconnus par le gouvernement, il est nécessaire, pour qu'ils sortent à effet, d'adopter certaines formules et d'en éviter d'autres.

I. *Dons ou legs en faveur des pauvres.* — On peut dire : « Je donne à M. le curé de..., pour lui et ses successeurs, une somme de 400 francs, désirant, mais sans en faire une condition obligatoire, que le revenu de cette rente soit distribué aux pauvres de la paroisse » — Ou bien : « Je laisse à M. le curé de... la somme de..., qui sera distribuée par ses soins aux pauvres de cette paroisse. » — Ou bien : « Je donne à M. le curé de... une somme ou une rente de..., à condition qu'elle soit par lui consacrée en tout ou en partie à de bonnes œuvres (ou à des œuvres de charité). » L'expression de *bonnes œuvres*, d'*œuvres de charité*, embrasse la charité soit spirituelle, soit matérielle, et ne peut dès lors, en aucun cas, motiver l'intervention du bureau de bienfaisance, comme cela pourrait quelquefois se produire si les *pauvres* étaient nommés. — Ou bien : « Je donne au bureau de bienfaisance de .. la somme de..., pour être distribuée aux pauvres par les mains du curé de la paroisse de. ., sans qu'il ait besoin d'en rendre compte à personne; et, en cas de non acceptation ou d'inexécution de ces clauses, le legs sera dévolu de plein droit au curé pour sa cure, ou à l'Evêque pour son séminaire. »

Mais toutes ces formules sont aujourd'hui insuffisantes. La clause insérée dans un testament : « Je lègue à M. le curé de la paroisse de .., la somme de..., et le prie de la distribuer aux pauvres », est réputée par le Conseil d'Etat, depuis 1881, comme *nulle, non écrite* et *contraire aux mœurs et aux lois*. En conséquence :

ut ab acceptatione donationis a pœnitente facta sese abs-

1° on agira plus sagement en n'attendant pas la mort pour distribuer les libéralités que l'on veut faire aux pauvres, ou pour les remettre au prêtre; 2° si on en réserve pour être faites après la mort par l'entremise du prêtre, on évitera de faire mention des *pauvres* dans la clause testamentaire; 3° on consultera, pour la rédaction du testament, des hommes sages, rompus aux affaires, connaissant la jurisprudence nouvelle, et offrant toutes les garanties qu'un chrétien doit exiger.

II. *Dons ou legs en faveur d'une école, d'une salle d'asile.* — On peut faire ces donations ou legs à une communauté d'hommes ou de femmes légalement reconnue, à condition de fonder ou d'entretenir à perpétuité dans telle commune une école ou une salle d'asile dirigée par cette communauté, en stipulant que, dans le cas où cette communauté ferait défaut, l'Evêque désignerait une autre communauté pour diriger l'école ou la salle d'asile, et que le don ou legs reviendra de plein droit au curé, ou à la fabrique de la paroisse, ou à l'Evêque du diocèse, si la direction de l'école par une communauté religieuse ne peut s'établir ou vient à cesser pour une cause quelconque.

On peut faire aussi la donation ou le legs directement à la commune, à condition que l'école sera dirigée par des Frères ou des Sœurs d'une communauté désignée par le donateur ou au choix de l'Evêque, en statuant que, si ces conditions ne sont pas remplies, le don reviendra de plein droit à l'Evêque, ou au curé, ou à la fabrique de la paroisse.

Quand un legs est fait à des Frères ou à des Sœurs dirigeant une école, il est nécessaire d'indiquer si ce legs est fait pour leurs besoins personnels ou pour ceux de l'école qu'ils dirigent : dans le premier cas, la commune n'intervient pas pour l'acceptation du legs; elle intervient dans le second.

III. *Dons ou legs pour la fondation de messes ou de services religieux.* — Ces dons ou legs doivent être faits au curé ou à la fabrique, et il est utile de désigner l'église où l'on désire que les services soient célébrés.

Les legs de sommes déterminées faits à des curés pour célébration de messes une fois dites constituent, non des libéralités sujettes à l'autorisation du gouvernement, mais de simples charges d'hérédité, dont l'exécution peut être poursuivie directement et sans autorisation par les titulaires ecclésiastiques ainsi désignés. *Arrêts du Conseil d'Etat*, 19 novembre, 1er décembre 1879; *Lettres du Ministre des cultes*, 27 février, 8 avril 1880.

IV. *Dons ou legs faits à des établissements ou pour des œuvres non légalement autorisées* — On peut faire des dons ou legs :

1° A des *Confréries* non autorisées, comme les Confréries de la Vierge, du Rosaire, etc., par l'intermédiaire de la fabrique de l'église dont dépend la Confrérie; par exemple : « Je donne 1,000 francs à la fabrique de l'église de .., à la charge d'en faire profiter la Confrérie du Rosaire de ladite église. »

2° A des œuvres de charité non reconnues légalement, telles qu'orphelinats, ouvroirs, conférences de Saint-Vincent-de-Paul, par l'intermédiaire de la commune ou du bureau de bienfaisance; par exemple : « Je lègue 1,000 francs à la commune de..., pour la conférence de Saint-Vincent-de-Paul établie dans cette ville. »

3° A l'œuvre de la *Propagation de la foi*, non légalement reconnue, par l'intermédiaire de la communauté des *Missions étrangères* ou des Lazaristes; par

tineant Confessarii, vel saltem de ea prius Episcopi approbationem obtineant [1].

exemple : « Je lègue 1,000 francs à la communauté des Missions étrangères, à Paris, pour être employée aux besoins des missionnaires chez les infidèles. »

4° A un établissement sans existence légale, mais dirigé par des Frères ou des Sœurs d'une Congrégation reconnue par la loi, par l'intermédiaire de la maison-mère; par exemple : « Je donne à la Congrégation des Filles de Saint-Vincent-de-Paul la somme de 1,000 francs, à condition d'en faire jouir l'établissement des Sœurs de cet ordre existant à... »

5° A un hospice légalement reconnu, à un bureau de bienfaisance, avec affectation de la somme léguée aux Sœurs attachées à cet hospice, à ce bureau de bienfaisance.

V. *Dons ou legs pour missions à l'intérieur de la France.* — Dans ce cas, pour éviter des difficultés d'interprétation, il est sage de substituer au mot *mission* les termes équivalents de *prédication extraordinaire* ou de *retraite*, consacrés par la loi.

Si on fait des dons ou legs aux Evêques pour les prêtres auxiliaires de leurs diocèses, il faut employer le terme de *prêtres auxiliaires diocésains;* par exemple : « Je donne 1,000 francs à l'Evêque de... pour les prêtres auxiliaires de... »

De même, la *cure* est un établissement légal, capable d'acquérir et de posséder; la *paroisse* ne l'est pas. — L'*Evêché* est reconnu par la loi comme personne morale, capable de posséder; le *diocèse* ne l'est pas.

VI. Toute donation ou legs en faveur d'un *établissement ecclésiastique* quelconque est nul s'il est fait *avec réserve d'usufruit au profit du donateur.* Aussi, les personnes qui désirent conserver l'usufruit ne stipulent pas cette réserve dans l'acte authentique de la donation, mais par convention verbale seulement; ou bien elles donnent de la main à la main à l'établissement ecclésiastique, qui leur sert annuellement le revenu de la somme donnée.

VII. Les congrégations de femmes, même légalement reconnues, ne peuvent accepter que des dons ou legs *particuliers;* les legs universels ou à titre universel faits à ces établissements ne seraient pas autorisés.

VIII. La substitution fidéi-commissaire prohibée par la loi est présumée exister, lorsque le testateur dit que son légataire *devra remplir les conditions qu'il lui a verbalement indiquées.* Le legs, au contraire, sortirait à effet si le testateur n'exprimait qu'un *désir.*

IX. Pour assurer l'exécution et la perpétuité de la donation ou des legs pour œuvres pies, il est toujours sage et souvent nécessaire d'ajouter à la clause de donation, que, dans le cas où la donation ou le legs ne serait pas accepté, ou cesserait d'être appliqué, pour une cause quelconque, selon les conditions prescrites par le donateur, le don ou le legs reviendra de plein droit au curé pour la cure, ou à la fabrique de la paroisse, ou à l'Evêque du diocèse pour son séminaire.

1. Un curé, un desservant, un vicaire, ou tout autre prêtre exerçant le ministère sacré, ne devrait jamais, sans l'agrément de son Evêque, accepter de ceux qui sont ou qui ont été ses pénitents, aucune donation entre-vifs ou testamentaire, ayant pour objet quelque immeuble, ou des meubles de grande valeur, ou une somme d'argent qui serait considérable, eu égard à la position du donateur ou testateur. Tout ce qui est permis n'est pas expédient. Gousset, n. 791.

2. Qui legaliter obtinere possunt, quod rescindantur donationes ad pias causas, in conscientia non eis licet uti tali facultate. Revera, donator ad pias causas ordinarie movetur ex motivo justitiæ aut caritatis, quod ad salutem multum interest. In omni casu certe peccant contra justitiam qui a Gubernio reductionem alicujus donationis non obtinent nisi fraude, id est, facta adulterando, aut suam propriam iudigentiam exaggerando.

3. Pro stricta propriaque transactione, si agatur de legato pio, requiritur 1. ut transactio fiat de re dubia; 2. super lite incerta et nondum definita; 3. ut fiat ab auctoritate ecclesiastica, cum æquivaleat alienationi; vide Tract. de Censuris, n. 77. Consonat decis. S. Congr. Conc., 14 aug. 1875.

141. — *Quæritur* an S. Pontifex, aut etiam Episcopus possit *donationes* aut *ultimas voluntates testatorum commutare*, quando de causis piis agitur?

Resp. 1. Potest S. Pontifex, sed, juxta communem sententiam, *nonnisi ex justa et necessaria causa*, ut ait Conc. Trid. sess. 22, c. 6. Namque S. Pontifex suprema et universali potestate gaudet ex Christi institutione ad bonum supernaturale promovendum; ergo eadem potestate fruitur in pias causas, atque de iis disponere potest, prout exigit necessitas aut utilitas boni spiritualis, ut dictum est in Tract. *de Justit.* n. 87.

Similiter Princeps, ob necessitatem publicam aut aliam justam causam, potest legatum in favorem reipublicæ constitutum commutare in alium usum, quam a testatore fuit destinatum.

2. Quidam asserunt Episcopum posse, saltem tanquam sedis Apostolicæ delegatum, commutare, ex justa et necessaria causa, pias dispositiones; et id probant ex Conc. Trid. sess. 22, c. 6. Alii vero uti probabilius contrarium propugnant, tum quia, ex Coc. Trid., sess. 22, c. 8, Episcopi debent exsequi exacte ultimas voluntates; tum eo quod in c. 6, sess. 22, quod allegatur, Concilium hoc tantum imponit Episcopis, ut, quando a S. Sede committuntur ad

executionem hujusmodi commutationum ab ipso S. Pontifice peractarum, cognoscant an veræ sint causæ expositæ, *prisquam commutationes prædictæ executione demandentur*. Et hoc satis eruitur ex ipso textu.

Attamen probabilius potest Episcopus ex epikia interpretari voluntatem testatoris, et legatum in alium usum convertere, quando talis est causa, ut testator, si eam cognovisset, aliter disposuisset, v. g., si pecunia legata ad usum a testatore designatum non sufficiat; si res legata deservire nequeat pro usu destinato ob aliquod impedimentum; vel si pro illo usu sit fere inutilis, puta, si reliquerit testator pecuniam ad vasa sacra conficienda pro ecclesia, et hæc iis non indigeat. S. Ligor. lib, 3. n. 931.

Missarum reductio pro futuro tempore, vel condonatio pro missis tempore præterito omissis, vel longioris temporis concessio ad missarum onera adimplenda, a S. Pontifice, non ab Episcopo, fieri possunt, ex decreto *cum sæpe* Urbani VIII, ex Bulla *Nuper* Innoc. XII, an. 1697. Facultas autem de qua agitur in c. 4, sess. 25 conc. Trid., tantum fuit pro reducendis missis *ante* Concilium relictis, et non impositis in limine fundationis, ut clare dicitur in allatis decreto et Bulla. Hoc fusius expositum est in Tract. *de Euchar.*, n. 235.

§ IV

De Tempore quo existere debet capacitas donandi aut accipiendi.

Non omnino eadem est solutio pro donatione inter vivos ac pro testamento. Itaque

142. — I. Quoad *donationem inter vivos*, 1. ex parte *donatoris*, requiritur capacitas tempore quo datur consensus quo accipitur donatio a donatario, et qu) donatori notificatur acceptatio donatarii.

Et quidem tempore *quo donator dat consensum*, alioquin daretur consensus invalidus, qui invalidus perseveraret, etiamsi postea tolleretur inhabilitas.

Sed etiam tempore *quo accipitur donatio* a donatario, alio-

quin in idem placitum non concurreret consensus ex utraque parte validus, nec ideo esset contractus.

Tandem tempore *quo donatori notificatur acceptatio* donatarii ; ita ex jure civili, ex quo donatio non valet nisi a die talis notificationis, art. 932. An idem verum sit ex jure naturali, jam expendimus, n. 41.

2. Ex parte *donatarii*, necessaria est capacitas tempore *acceptationis*, ut patet; et etiam, ex jure civili, tempore *notificationis* factæ donatori, ex jam dictis.

143. — II. Quoad *testamentum*, 1° ex parte *testatoris*, capacitas sive *juris*, sive *facti* existere debet tempore quo conficitur testamentum, et capacitas *juris* tempore quo moritur testator.

Et quidem capacitas sive *juris*, sive *facti* existere debet tempore, *quo conficitur testamentum*. Etenim capacitas juris est *jus* in bona sua, seu jus de his *disponendi;* capacitas *facti* est facultas *exercendi* hic et nunc jus illud : porro testator dum conficit testamentum, *utitur jure* disponendi de bonis suis; ergo tunc temporis gaudere debet facultate sive juris sive facti testandi.

Insuper existere debet capacitas *juris tempore mortis testatoris*. Testamentum enim nonnisi per mortem testatoris confirmatur; ergo, qui eo momento amisit jus in bona sua, v. g., damnatus ad pœnas perpetuas afflictivas, non potest illud transmittere, ut patet

2° Ex parte *legatarii*, necesse esse quod sit capax, non quidem dum conficitur testamentum, sed cum legatarius jura testatoris acquirit; scilicet, tempore mortis testatoris si legatum sit absolutum.

Si autem legatum sit *conditionatum*, legatarius debet esse habilis sive tempore quo moritur testator, quia tunc legatarius spem hæreditatis acquirit, sive tempore quo advenit conditio, quia tunc jus proprie acquiritur, art. 906, 1040. Ita plerique auctores, contra quosdam sentientes sufficere, quod legatarius sit habilis eo momento, quo impletur conditio, quia antea nullum jus acquirit.

NUMERUS II

De extensione capacitatis donandi.

Quinque hic expendenda sunt, nempe, 1. an capacitas donandi ad omnia donatoris bona extendatur; 2. quota sit pars disponibilis ex lege civili; 3. quota sit pars disponibilis in foro conscientiæ; 4. an dari possit locus reductioni; 5. an collationi.

PUNCTUM PRIMUM

An donandi capacitas ad omnia donatoris aut testatoris bona extendatur.

Quæstio proposita solvi potest vel ex jure naturali, vel ex jure positivo, vel ex utroque simul. Porro,

144. — I. Ex jure tum *naturali*, tum *civili*, quisque de *omnibus* bonis suis ad libitum disponere potest etiam titulo *gratuito*, si non habeat hæredes *naturales*, v. g., filios, nepotes, patrem, matrem, avos. Tunc enim nullum adest vinculum speciale, quo restringatur naturalis donandi facultas.

145. — II. Ex jure autem *naturali*, limitari potest donandi facultas per præsentiam descendentium, ascendentium, conjugis et collateralium.

Et quidem 1. *descendentium* seu filiorum, nepotum, etc. Etenim filius est extensio quædam parentum, qui vivunt in filiis; et ideo, ex jure naturali, patrimonium non solum ad parentes, sed etiam aliquo modo ad filios pertinet, ita ut æquitati naturali, generatim loquendo, repugnet, quod filii, absque sua culpa, sed ex beneplacito parentis, omnino paterna hæreditate destituantur.

Revera ipsa natura imponit generanti obligationem providendi necessitatibus generati, alioquin generatio maneret imperfecta, atque sæpe sæpius vita generato valde difficilis et nimis laboriosa fieret, cum magno familiæ et societatis detrimento. Ergo, ex jure naturali, facultas donandi aliquo modo limitatur per præsentiam descendentium.

2. *Ascendentium* etiam, seu patris, matris, avi, proavi.

Sicut enim pater tenetur providere per sua bona necessitatibus suorum filiorum, nepotum, quia sunt quædam suiipsius extensio; eadem ratione, filiius tenetur providere necessitatibus patris, matris, avi, proavi, quorum ipse est extensio quædam. Et vero, ille certe reddere tenetur bonum temporale iis, a quibus ipsam vitam recepit; et ideo ex jure naturali, facultas donandi aliquomodo limitari per ascendentium præsentiam.

3. *Conjugis* insuper. Nam sponsi sunt una caro, et mutua habent officia, ut sibi invicem opitulentur, atque haud raro bona communi labore compararunt; ergo talis arctissima conjunctio et laborum communitas postulant ut vir uxoris necessitatibus, durante vita et etiam post mortem, provideat et vice versa uxor pro viro. Revera non sinit æquitas naturalis, ut conjux superstes, si bona propria non habeat, ad statum miseriæ redigatur, vel ob indigentiam cogatur ad secundas nuptias convolare.

Collateralium denique seu fratrum, sororum præsentia ita restringere potest donandi facultatem, ut aliquando donator peccet saltem contra caritatem, si fratres aut sorores, absque rationabili motivo, omnino frustret, v. g., quando sunt in gravi necessitate. Id enim natura ipsa dictare videtur. An vero, etiamsi nullo rationabili motivo duceretur, peccaret contra justitiam, qui sic frustraret suos collaterales, ac proinde legatarii restituere tenerentur, negant communiter auctores.

146. — III. Ex jure *civili*, facultas donandi revera fuit apud omnes populos limitata per præsentiam saltem descendentium aut ascendentium.

In jure nostro admittitur illa restrictio pro *descendentibus* et, pro *ascendentibus*, quando tantum deficiunt descendentes; non autem pro collateralibus, nec pro conjuge; et hinc merito reprehenditur de conjuge omissio facta in Codice; ideoque maxime favendum est conventionibus inter sponsos ineundis, quia sæpe non tam ut liberalitas, quam ut solutio debiti sacratissimi habendæ sunt, ut ait Carrière.

PUNCTUM II

De parte disponibili et reservata, ex jure civili.

147. — *Quæritur* 1° quid sit pars disponibilis, pars reservata, et quota sit pars disponibilis et reservata ex jure civili?

Resp. Ex jam dictis, si adsint hæredes *naturales*, patrimonium a lege naturali et etiam civili dividitur in duplicem partem, sc. *disponibilem* (*quotité disponible*), de qua dominus titulo *gratuito* ad libitum disponere potest; et in partem *reservatam* seu *reservationem* (*la réserve*), quæ ad hæredes naturales ipso jure devolvitur, et de qua ideo dominus titulo *gratuito* disponere non potest, etsi de ea ad libitum possit disponere titulo oneroso.

Ex jure *civili*, diversa est pars disponibilis, et reservata, pro qualitate et numero hæredum naturalium seu descendentium aut ascendentium. Scilicet,

1° Si quis *descendentes* habeat, vel filius *unicus* est, et tunc *dimidia* pars bonorum est disponibilis, altera dimidia pars est legaliter reservata pro filio.

Vel filii sunt *duo*, et tunc *tertia* pars est disponibilis, et duplex alia pars est legaliter reservata pro duobus filiis.

Vel filii sunt *tres* aut *plures*, et tunc *quarta* pars est disponibilis, pars vero dodrans (*trois quarts*) est legaliter reservata pro tribus aut pluribus filiis; art. 913.

Inter liberos reputantur *nepotes*, sed tantum pro stipite, ex quo descendunt. Unde, qui unicum suscepit filium, et ex illo decem nepotes, nihilominus dimidiam partem habet disponibilem, art. 914.

Filii *incestuosi* et *adulterini*, de quorum *conditione legaliter constat*, jus habent tantum ad alimenta, ex lege civili, n. 131.

Filii autem naturales seu *spurii legaliter agniti* ab eo, de cujus bonis agitur, non excluduntur a reservatione, n. 129, 130, quæ sic in istorum gratiam ordinatur : 1. si *adsint descendentes legitimi*, reservatio complectitur *tertiam* partem portionis quam habuissent si fuissent legitimi. 2. *Si adsint tantum ascendentes*, vel *fratres* aut *sorores*, *dimidiam* partem portionis supradictæ complectitur. 3. Si absint *descen-*

dentes, ascendentes, fratres et sorores, ad dodrantem (*trois quarts*) sese extendit, art. 757. Denique, si absint *hæredes legitimi* qui succedere possint, filii naturales universam hæreditatem capiunt, art. 758.

Quid autem, si *plures* simul adsint filii *spurii* legaliter agniti? Non concordant auctores circa hoc punctum : sed juxta communiorem sententiam, sensus legis hic est : *filii spurii* habebunt, 1/3, 1/2, 3/4 partem portionis quam habuissent, si fuissent *legitimi, simul sumpti*. Sint, v. g., duo filii spurii, unus filius legitimus, et 18,000 fr. Si tres filii *simul* supponantur legitimi, unusquisque percepisset tertiam partem, id est, 6,000 fr.; et ideo tertia pars summæ 6,000 fr., id est 2,000 fr. pertinet ad unumquemque ex illis duobus filiis spuriis. Vide Marcadé, in art. 757.

148. — 2° Si quis *ascendentes* habeat, non vero descendentes, vel ascendentes sunt in *utraque linea*, v. g., pater simul et mater, avus patris simul et ava matris; tunc *dimidia* pars bonorum est disponibilis, altera vero dimidia est legaliter reservata pro illis ascendentibus.

Vel ascendentes sunt in *una linea* tantum. v. g., pater, avus patris : tunc dodrans est disponibilis, et *quarta* pars pro ascendente legaliter reservatur; art. 915.

Ascendentes autem remotiores, v. g., avus, ava excluduntur a reservatione per propinquiores, v. g., patrem aut matrem. Imo ascendentes *secundi gradus*, v. g., avus, ava, jus non habent in reservatione, quando concurrunt cum *collateralibus* seu fratribus aut sororibus defuncti, art. 750.

Parenti *mere naturali* defertur successio filii naturalis *legaliter agniti*, qui moritur ab intestato et sine posteritate, art. 765; sed nullibi illi parenti tribuitur reservatio.

Cæterum 1. reservatio est pars hæreditatis, ac proinde non legatariis vel donatoriis, sed bene hæredibus proficit, si unus ex illis, quibus concessa fuit, huic renuntiet.

2. Reservatio in *natura*, non in æquivalenti, solvi debet : sic pecunia dari non debet pro rebus immobilibus, nec etiam pro mobilibus, quorum unusquisque ex cohæredibus partitionem provocare potest; art. 815, 826, 832.

3. Reservatio nunquam debetur ultra vires hæreditatis etiam ab hærede non beneficiario, nisi culpa ejus bona successionis dissipata fuerint.

PUNCTUM III

De parte disponibili, ex jure gallico, in foro conscientiæ.

149. — Questio est, scilicet, quid valeat in foro conscientiæ dispositio legis civilis in Gallia vigentis de parte disponibili, et an donator illam partem possit excedere, quin donatarius aut legatarius ad restitutionem teneatur erga reservatarios.

Hujusmodi quæstio sub multiplici respectu facile præstat inter fere omnes cæteras, quæ in hoc Tractatu agitantur. Ut dilucidius solvatur, dicemus quid certum, quid probabile, nimirum, 1° de donatione annuorum redituum, et de casu in quo, ob speciales circumstantias, exceditur pars disponibilis; 2° de casu in quo, extra speciales circumstantias, pars disponibilis exceditur.

I

De donatione annuorum redituum, et de casu in quo, ob speciales circumstantias, exceditur pars disponibilis.

150. — *Quæritur* 1° an parentes, in favorem unius ex suis natis, disponere possint de aliqua parte annuorum redituum, qui nondum sortem efformant (qui ne sont pas capitalisés)?

Resp. Affirmative. Constat ex art. 856, 928, qui affirmativam sententiam expresse docent. De sensu illorum articulorum disserendo, sic concludit Carrière, *Compend.*, n. 301: « Dicendum ergo fructus seu reditus non cadere sub reservatione. Et revera, videtur unicuique permitti libera redituum suorum dispositio. Insuper præsumitur quod, nisi pater reditus suos filio reliquisset, eos verisimiliter consumpsisset; et aliunde satis providetur filiis suis, modo intacta maneat bonorum proprietas. » — « En permettant à un père de famille de disposer d'une certaine quantité de ses biens, la loi ne paraît pas lui interdire de disposer à volonté de ses revenus. » Gousset, n. 794. — Consonant

Jurisperiti, ut videre est apud Demolombe, *Traité des success.*, t. 4, n. 406, 436-438; *Traité des donat. et des test.*, t. 2, n. 608. Tandem parentes, labore suo nec ex reditibus, adaugere patrimonium per se nullo jure tenentur [1].

151. — *Quæritur* 2° an, in aliquo casu particulari, ob speciales circumstantias, parentes excedere possint in foro conscientiæ partem disponibilem?

Resp. Affirmative, juxta communem Theologorum et Jurisperitorum sententiam. Tunc enim cessat finis legis, quia non censetur velle attingere illos casus particulares, familiæ proficuos, nec bono communi nocivos. Sic parentes excedere possunt partem ex lege civili disponibilem, in favorem filii probi vel secum laborantis, ita ut minus obveniat filio dissipatori, aut apud extraneos et in proprium commodum allaboranti.

II

De casu in quo, extra speciales circumstantias, pars disponibilis exceditur.

152. — *Quæritur* an parentes, non ex arbitrio et libidine, nec ex speciali, n. 151, sed ex *rationabili causa*, in favorem non collateralium aut extraneorum, sed *alicujus ex suis legitimis filiis*, per donationem possint in foro conscientiæ, excedere partem disponibilem, qualis determina-

1. Cette doctrine peut avoir des conséquences très étendues. Supposons, par exemple, que Pierre, sur 5,000 francs de ses revenus annuels, prélève chaque année, pendant dix ans, 2,000 francs et les donne à son fils aîné. Celui ci devient aussitôt propriétaire de cette somme, la met en rente, capitalise le revenu, et, au bout de dix ans, il est en possession de 26,480 francs, dont il n'aura rien à rapporter à la succession après le décès de son père.

Or, le fils ne peut-il pas prier son père d'être son gérant d'affaires en capitalisant pour ce fils l'annuité qu'il lui donne; en sorte que, après dix ans, le père pourra remettre à ce fils 26,428 francs sans même toucher à la quotité disponible? La jurisprudence admet que la donation entre-vifs a pour objet un capital, ou un revenu, ou une annuité, selon que *le donateur entend fournir l'un ou l'autre;* Demolombe, *Traité des success.*, t IV, n° 438. Il ne dépend donc que de l'*intention* de Pierre de donner à son fils aîné une partie de ses revenus à titre d'annuité, et non de capital, et de faire valoir ces annuités au nom de son fils, comme il pourrait le faire pour un étranger.

tur a lege civili in Gallia vigenti, *dum tamen congruentem reservationem pro cæteris filiis relinquant?*

Resp. Quæstio, sic præcise determinata, non una voce solvitur nostris præsertim diebus a Theologis, Jurisperitis et Œconomistis. Siquidem, ut dictum est n. 9, inter se dissentiunt sive Theologi, sive Jurisperiti circa ipsam legis civilis auctoritatem irritandi contractus in foro interno. Vide Carrière, *Magn. curs. de Contract.*, n. 88; *Compend.*, n. 15, 27.

Insuper, quoad legem, de qua agitur, speciales urgent difficultates, quarum ratione magis etiam hærent animi, et quas ideo hic fideliter exponere satis erit.

Scilicet, lex civilis de parte disponibili aut indisponibili in Gallia, conflatur præcipue art. 815, 826, 832, 913. Porro alii, uti probabilius et communius, sentiunt legem civilem in illis articulis esse attributivam proprietatis, eo quod assignet quænam jura unicuique competant; et ideo rescindibiles esse in foro conscientiæ actus contra illam legem initos. Ita Carrière, *de Contract.*, n. 297, 327.

Aliunde, ut aiunt, lex hujusmodi nedum repugnet juri naturali, e contra per divisionem hæreditatum efficaciter favet sive æqualitati, quæ inter ejusdem familiæ membra ex ipso jure naturali oritur, sive matrimoniorum et filiorum multiplicationi, et ita parentum libertati, sive faciliori uberiorique culturæ fundi, et hoc modo omnium fortunæ atque felicitati.

At, ut ait P. Gury, t. 1, n. 817, « Theologis non paucis videtur legem civilem non posse ita obligare parentes ad æqualitatem inter filios servandam. Itaque eos, per se, a culpa eximunt, si de cætero honestæ filiorum sustentationi sufficienter providerint, nec pravo fine moveantur. »

Eamdem sententiam nostris diebus propugnant non pauci œconomistæ, publicistæ, jurisperiti[1], eo quod, juxta illos,

1. Ita sentiunt ephemerides l'*Univers*, le *Monde*, *Études des PP. Jésuites*, le *Correspondant*, le *Journal de la Société de statistique de Paris*, le *Journal des Economistes*, l'*Économiste français*, la *Revue scientifique*, la *Revue catholique des institutions et du droit*, etc., etc. Parmi les particuliers, on compte non seulement les jurisconsultes des Universités catholiques, mais encore MM. de Bonald, Le Play,

præfata lex 1. nata est ex genio socialis perturbationis; 2. auctoritatem parentum familiarumque prosperitatem debilitat; 3. inducit voluntariam matrimoniorum sterilitatem; 4. hæreditates et possessiones in pulverem solvit; 5. stabilitati nationis, et ejusdem existentiæ adversatur.

Et quidem 1° *ex genio socialis perturbationis nata est illa lex.* Namque lex de æqualitate partitionis inter hæredes lata fuit 15 mart. 1790, 8 apr. 1791, 7 mart. 1793, ad hunc expressum finem, nempe, ut familiarum robur ac prosperitas elideretur atque frangeretur. « C'était bien là, dit Demolombe, *Traité des success.*, t. 1, n. 358, le triomphe de cet esprit de démocratie radicale, sans discernement et sans frein, qui veut pousser toujours et quand même au morcellement de la propriété et au nivellement des fortunes[1]. »

Anno 1803, condita fuit lex de parte disponibili hactenus vigens, cujus finem antisocialem confitetur ipsemet Napoleo, auctor illius legis[2].

le P. Félix, Mgr Freppel, Ancel, Martel, Benoist-d'Azy, Mortimer-Ternaux, Paul Bethmont, Gellibert des Seguins, Lambrecht, Lanfrey, Renan, About, etc., etc. En 1875, presque toutes les Chambres de commerce ont demandé l'abrogation ou la modification profonde de notre régime de succession en faveur de la liberté testamentaire. M. de Bismark a fait abroger, en 1873, les articles 815 et 832 pour l'Alsace-Lorraine. Voy. Le Play, *la Réforme sociale en France*, t. 1, liv. 2, 3, chez Mame, à Tours.

1. Hæc leguntur in ephemeride *le Moniteur*, 28 dec. 1793. — *Cambacérès :* « La loi sur l'égalité des partages a déjà occasionné beaucoup de désordres dans bien des familles; vous avez fait un grand acte de justice : *vous avez voulu frapper les grandes fortunes, toujours dangereuses dans une république ;* mais, la loi étant générale, *les petits propriétaires ont été atteints...* » — *Phélippeaux :* « Je m'oppose à tout nouvel examen du principe. L'égalité du partage est un principe sacré, *consacré dans la déclaration des droits...* Votre loi a excité des réclamations : oui, *mais de la part des ennemis de la Révolution.* »

2. Napoleo ad fratrem suum, regem Napolitanum, 5 jun. 1806, sic scribebat : « Etablissez le Code civil à Naples; *tout ce qui ne vous sera pas attaché, va se détruire en peu d'années;* et ce que vous voudrez conserver se consolidera. *Voilà le grand avantage du Code civil* .. Il consolide votre puissance, puisque pour lui, tout ce qui n'est pas fidéicommis tombe, et qu'il ne reste plus de grandes maisons que celles que vous érigez en fiefs. *C'est ce qui m'a fait prêcher le Code civil, et m'a porté à l'établir.* » *Mémoires et correspondance du roi Joseph*, t. 2, p. 275.

Lord Castlereagh, plénipotentiaire de l'Angleterre au Congrès de Vienne, en 1815, n'ayant pu obtenir qu'on restreignît davantage les frontières de la France,

Insuper, quicunque in Gallia jam a nonaginta annis omnem ordinem evertere connituntur, semper illam legem impensius coluerunt, eam omni conatu propugnarunt, atque uti ad suum finem necessariam indesinenter conclamarunt.

Revera, sicut nulla est, nec fuit unquam gens humanitate exculta quæ adeo infecta sit socialis perturbationis genio, ac præsens Galliæ Status; ita nec ulla est aut fuit unquam gens, si tamen Spartiatas excipias, apud quam parentes non potuerint saltem de dimidia parte omnium bonorum suorum disponere. Imo, apud nationes respectu ordinis prosperarumque rerum præ cæteris florentes, uti Anglia, Status-fœderati Americæ septentrionalis, omnimoda viget testamentaria libertas.

Ergo, ex omnium confesso, præfata lex ex socialis perturbationis genio nata est ac perdurat.

2° *Auctoritatem parentum familiarumque prosperitatem debilitat.* Nam, ex lege civili, etiam invitis omnino parentibus, filius inobediens, piger, improvidus, profusus percipit eamdem aut fere eamdem hæreditatis portionem, ac filius pius, diligens, providus, in quo nititur familiæ spes, solatium et prosperitas; ac proinde, ex una parte, parentum auctoritas atque majestas valde deprimitur, nec apud eos jam remanet sufficiens potestas filiorum pietatem excitandi, aut eorum impietatem frænandi, frangendique pervicatiam; ex altera vero parte, dum amor filialis minuitur, et in piis filiis, spe apud extraneos lucri, promovetur et parentum et agrorum desertio; simul favetur filiorum insubordinationi, pigritiæ ac licentiæ, ut luctuosa experientia constat.

Insuper, cum ex art. 815, 826, 852, omnia bonia sive

laissa échapper ces paroles : *Après tout, les Français sont suffisamment affaiblis par leur système de succession!*

Quand, en 1703, le Parlement anglais voulut détruire l'influence des catholiques irlandais, il rendit une loi ainsi conçue : « Tout héritage d'un papiste sera attribué *à tous ses fils par portion égale.* Mais, si le fils aîné de ce papiste est protestant, la propriété lui sera transmise conformément à la loi commune du royaume. » « En vertu de cette loi, remarque un homme d'Etat anglais, Edmond Burke, les familles des papistes, si considérable que soit leur fortune, seront anéanties peut-être à la première et certainement à la seconde génération. »

immobilia partiri necesse sit inter hæredes, eo ipso ruunt, vel extraneis venduntur, et quidem ordinarie post ruinosas plenasque discordiis lites[1], patrimonia atque industriæ aut commercii institutiones, a parentibus cum ingenti labore constitutæ; atque ideo impossibilis prorsus efficitur perpetuitas sive hæreditatum sive familiarum, earumque traditionum conservatio.

Nec dicatur : filii, qua tales, æquales sunt coram parentibus, ac proinde vi nativitatis jus æquale habent ad hæreditatem. Hujusmodi principium omnimodæ æqualitatis plane falsum est, atque juri naturali repugnat.

Etenim, parentes quidem, dando filiis vitam, eo ipso implicite sese obligant ad eis procurandum victum et statum, ut tandem per proprium laborem et industriam sibi subvenire valeant filii, ex dictis, n. 143, et in Tract. *de Oblig.*, n. 126. At, quare teneantur parentes divitias comparare, easque semel comparatas servare, ut filios suos constituant locupletiores hæredes? Numquid, eo ipso quod quis nascitur, jus habet ad æquales divitias, ut autumant communistæ[2]?

1. En 1868, les tribunaux civils ont jugé, en France, 21,317 procès relatifs aux successions. Les jugements relatifs *à tous les autres procès civils* ont été seulement au nombre de 24,899! — Sur 1,080 ventes judiciaires opérées pendant l'année 1850, au-dessous de 500 francs, ayant produit ensemble 358,092 fr., les frais se sont élevés à 628,906 francs! En vérité, si les agents de la loi étaient partisans de notre régime de succession, ils auraient bien quelque raison pour cela.

2. « La loi naturelle ordonne aux pères de nourrir leurs enfants; mais elle ne les oblige pas de les faire héritiers. » Montesquieu, *Esprit des lois*, xxvi, 6. — « La philosophie, dit de Bonald, vous prouvera par de doctes raisonnements, qu'il faut que vos enfants partagent également; la nature vous prouvera, par de grands inconvénients et de grands malheurs, qu'il ne le faut pas. » — Il est trop évident, inquit About, que le père ne doit pas sa fortune à ses enfants. Il leur doit l'éducation et les moyens d'existence. Quiconque appelle un enfant à la vie, s'engage implicitement à l'élever et à le mettre en état de se soutenir par le travail. Mais c'est tout. Et la raison ne décidera jamais qu'un homme riche à 4 millions et père de quatre enfants, soit débiteur de 750,000 francs envers le polisson qui a fait des actes respectueux pour épouser la cuisinière.

« Cette loi, inspirée par un amour aveugle de l'égalité, est un attentat permanent contre la liberté individuelle et l'autorité paternelle; elle ne permet pas au chef de famille de déshériter le fils qui l'a offensé ou déshonoré. C'est une loi jugée au point de vue moral. Pour ne pas émietter l'héritage, on ne procrée

Et profecto, si filii æquales sunt ratione nativitatis, nonne inæquales sunt ratione facultatum, virtutum, vitiorum, meriti aut demeriti? Atqui procul dubio maximi interest, sive filiis, sive familiæ, sive societati, ut in hæreditatis partitione tantæ inæqualitatis respectus habeatur.

« Ex evangelicis documentis, ea est hominum æqualitas, ut omnes eamdem naturam sortiti, ad eamdem filiorum Dei celsissimam dignitatem vocentur, simulque ut uno eodemque fine omnibus præstito, singuli secumdum eamdem legem judicandi sint, pœnas aut mercedem pro merito consecuturi... Ecclesia *inæqualitatem* inter homines, *corporis ingeniique viribus naturaliter diversos, etiam in bonis possidendis*, agnoscit. » Leo XIII, Encycl. *Quod Apostolici*, 28 dec. 1878.

3° *Voluntariam matrimoniorum sterilitatem per se inducit.* Etenim, ex recensione a Gubernio facta an. 1876, natorum numerus pro unoquoque matrimonio in Gallia reducitur ad 2, 90, ita ut nulla sit in Europa alia gens, in qua natorum numerus sit adeo exiguus[1] : porro, juxta œcono-

que le moins possible d'héritiers. Un héritier, deux tout au plus; le second n'advenant qu'à titre de suppléant éventuel du premier en cas de malheur! Voilà au point de vue de la multiplication de la race et du développement de la sève nationale, quels sont les résultats de cette loi absurde et malfaisante..... Parlerons-nous des effets qu'elle a produits en un demi-siècle sur la société française? Elle a poussé jusqu'à l'absurde la division des propriétés; elle a dévoré en licitations et en frais de justice une notable partie du capital acquis; elle a défait peut-être un million de fortunes au moment où elles commençaient à se faire. Le père fonde une industrie et meurt : tout est vendu et partagé; la maison ne survit pas à son maître. Un fils a eu du courage et du talent; avec sa petite part de capital paternel, il fonde une autre maison, réussit, devient presque riche et meurt; nouveau partage, nouvelle destruction; tout est à recommencer sur nouveaux frais : un vrai travail des Danaïdes. L'agriculture en souffre, l'industrie en souffre, le commerce en souffre, le sens commun en rougit. » About, *le Progrès*, p. 295.

1. D'après un rapport du docteur Lagneau à l'Académie de médecine de Paris, le 22 juillet 1890, il naissait en France, en 1801, 323 enfants sur 10,000 habitants. En 1889, on n'en voit plus naître que 231, soit 92 de moins. — En 1888, l'excédent des naissances n'était que de 44,772, dont 29,105 naissances d'étrangers. — En France, la population s'accroît de 119 unités par groupe de 100,000 habitants; en Saxe, de 1,600 unités; en Angleterre, de 1,200; en Ecosse et en Prusse, de 900; en Russie et en Autriche, de 800; en Hongrie, de 500. Le même docteur ajoute : « Le morcellement de la propriété, le régime

mistas in hac re peritissimos animarumque directores, prima ac præcipua tanti mali causa reponenda est in coacta ex lege civili hæreditatum partitione; siquidem parentes, ne in numerosiores et tandem quasi-minusculas partes dividatur hæreditas, ad unius aut duorum tantum filiorum procreationem restringunt primarium matrimonii finem : quæ praxis in parentibus infandam agendi rationem ordinarie præsupponit, ipsarumque familiarum exstinctionem necessario trahit[1].

dotal sont trop souvent la cause des familles peu nombreuses. Les parents veulent laisser des enfants aussi riches qu'eux; ils ne veulent pas que la propriété soit partagée, et, s'ils ont une carrière libérale, ils veulent que leurs fils embrassent la même carrière. Aussi les familles pauvres sont plus nombreuses que les riches, et surtout que les libérales, où l'on ne trouve guère qu'un ou deux enfants. »

1. « La natalité, en France, croit en raison inverse des paysans propriétaires. C'est là un résultat des plus accusés... La bourgeoisie et les manouvriers qui aspirent à la bourgeoisie se gardent d'une famille trop nombreuse, qui paralyserait leur force. » Bertillon, *Journal de la Société de statistique*, août 1877, p. 206. — « Il faut dire toute la vérité : la statistique internationale nous apprend qu'en France les mariages sont notablement moins féconds qu'à l'étranger, et celle de notre pays nous révèle la diminution progressive de la fécondité des mariages français depuis 1817... Quand on étudie la question sans parti pris, on ne trouve *qu'un seul fait économique qui fournisse une explication raisonnable* de ce mouvement de la population : c'est la division croissante de la propriété immobilière de la France, dont le morcellement, ici complet, là seulement rudimentaire, coïncide avec la diminution ou l'augmentation de la population. La propriété passe chaque jour à des mains plus nombreuses. Les nouveaux propriétaires, redoutant de voir leur propriété partagée entre un trop grand nombre d'enfants, deviennent des malthusiens consommés... personne n'avait prévu ces effets désastreux du morcellement de la propriété sur notre population. » Léon Vacher, *ibid.*, nov. 1876.

« Aux yeux d'un bon nombre d'esprits clairvoyants, ait P. Toulemont, la lumière est faite, et surabondamment faite. Il demeure pleinement démontré qu'en supprimant la liberté testamentaire, la Révolution a sacrifié au profit d'un faux idéal d'égalité, une des garanties les plus fondamentales de la famille elle-même; et qu'ainsi elle a déposé au sein de la société française le germe de maux incalculables. De tous ces maux, le plus grave peut-être, c'est la *stérilité calculée*, comme l'appelle M. le Play, stérilité qui a déjà épuisé la vie du pays, et qui tendrait à le faire périr de consomption et d'anémie générale. » *Etudes relig. des PP. Jésuites*, mars 1873.

« Si des lois ont pour effet de pousser la plus grande partie de la population à n'avoir qu'un enfant par famille, il faut avouer que ces lois, pour sacro-saintes qu'on les tienne, *non seulement outragent la morale*, mais encore conspirent contre

4° *Hæreditates et possessiones in pulverem solvit, omnemque familiarum sociale momentum destruit.* Etenim, opere art. 815, 832, 913, intra octoginta annos, quibus hactenus vigent, adeo divisæ sunt hæreditates, ut jam in Gallia plura millia millium possessionum pro proprietario nonnisi victum ad quinquaginta dies producant; sed etiam ejusdem legis opere, destructæ sunt fere omnes magnæ possessiones quibus nititur vigor atque robur status socialis et politici; ac consequenter corruere antiquæ et alicujus momenti familiæ, quæ per se sunt rusticorum præsertim exemplar, vis ac subsidium.

Tandem, quæ modo, ope industriæ, commercii, argentariarum operationum, fructuosique laboris efformantur pollentes possessiones, brevi, sub ineluctabili exitiosoque legis opere, iterum atque iterum dividuntur et in pulverem solvuntur; ita ut, dum parentes, sicut Sisyphon, per titanios conatus indesinenter petunt, augent ædificantque patrimonia, eadem simul a fundamentis destruit lex civilis.

5° *Stabilitati societatis ipsiusque gentis existentiæ adversatur.* Siquidem, dum in pulverem jam solutæ sunt possessiones, eo ipso nulla superest domestica et socialis traditio, nihil permanet stabile; nulla prorsus eminet socialis hierarchia, qua ordinetur immensa omnique vento libidinis fluctuans multitudo, cujusque spumantes contineantur æstus; atque ideo Francorum gens, sicuti ebria et epileptica hæret, hinc et inde titubat, et iterum atque iterum inter turbines et tempestates volvitur.

Dum vero in dies natorum familiarumque numerus decrescit, ac perpetuo conturbatur socialis ordo, quomodo gens ipsa non debilitaretur, nec vergeret in interitum[1]?

la grandeur de la nation. » Leroy-Beaulieu, 1883. — « En France, le maximum de la fécondité se trouve dans les départements les moins riches, ou dans ceux qui ont la plus forte population ouvrière. Beaucoup de familles limitent le nombre des enfants pour ne pas trop diviser leur propriété. La misère est prolifique, la richesse ne l'est pas. » *Journal des économistes*, février, mars, juillet 1867.

1. Telle est l'influence des lois de succession sur toutes les branches de l'activité sociale. « Ces lois, dit Tocqueville, appartiennent, il est vrai, à l'ordre civil; mais elles devraient être placées en tête de toutes les institutions politiques; car elles influent incroyablement sur l'état social des peuples, dont les lois poli-

153. — *Conclusio.* Quibus sic expositis, hæc pro praxi notanda sunt. Scilicet, 1° juxta omnes Jurisperitos et Theologos, lex civilis de parte disponibili aut indisponibili non inducit nullitatem radicalem, sed tantum donationis rescindibilitatem pro parte quæ reservationem excedit : tum quia, ex art. 921, illa nullitas est solummodo *relativa* ad illos in quorum gratiam constituta est reservatio; tum eo quod eadem donatio ratihaberi potest ab iis qui læduntur per ejus excessum : in his autem duobus dignoscitur nullitas non radicalis, n. 17.

Porro, ex dictis n. 28, posita tantum rescindibilitate alicujus actus ex jure civili, irritus non est ille actus in foro conscientiæ nisi post sententiam judicis, aut, si res sit per se clara et aperta, post petitionem eorum, quorum interest, n. 26; vide Carrière, n. 297, 327. Ergo, ante illam postulationem vel etiam ante judicis sententiam, donatarius aut legatarius retinere potest excessum partis disponibilis, modo servatæ fuerint conditiones recensitæ in ipsa quæstionis positione, n. 152. Aliunde donatarius aut legatarius non tenetur de donationis excessu reservatarios monere, ut per se patet, n. 184, in fine.

Qui vero postulant donationis reductionem, non sunt ordinarie inquietandi, ob bonam fidem in ipsa lege civili innixam.

Tandem abrogatio aut reformatio legis civilis de parte disponibili in favorem libertatis testamentariæ instanter omni modo et occasione prosequenda est.

2° Controversia exposita n. 152, et conclusiones practicæ jam recensitæ n. 153, valent procul dubio pro donationibus *manualibus* et *secretis* rerum mobilium sive corporearum sive incorporearum, v. g., censuum publicorum, chirographorum, pecuniæ (rentes au porteur sur l'Etat, actions

tiques ne sont que l'expression. » *La Démocratie en Amérique*, t. 1, ch. 3. « Ce qui m'étonne le plus, dit M. Le Play, c'est de constater que l'importance de cette réglementation n'a guère été signalée par les écrivains modernes. Troublée, en général, par l'oubli de la loi morale, l'opinion publique cède sur ce point spécial à des erreurs et à des préjugés qui sont, pour notre pays, la cause de maux incalculables. » *La Réforme sociale*, t. 1, p. 236.

de la Banque, actions ou obligations au porteur dans les compagnies de chemin de fer, de finance, d'industrie, créances au porteur sur particuliers, argent en numéraire), quæ jam intentione parentum ad ipsam sortem pertinent (déjà capitalisés).

Sed insuper hujusmodi donationum validitas quoad excessum magis urgetur a pluribus. Scilicet, donatio manualis nulli formæ a lege civili subjicitur, ex dictis n. 164-167; et ideo lex civilis de talibus donationibus, quæ per se coactioni externæ se subtrahunt, non curat, juxta axioma : *Quod ignorat, lex non judicat.* Revera, in art. 913, de quo hic disserimus, agitur solummodo de donationibus per actum authenticum cum specialibus formalitatibus a lege civili requisitis, ut colligendum videtur ex ipso articulo 913, et ex articulis 931, 969. Ergo, juxta illos auctores, n. 9, præfata donatio non cadit sub lege de parte disponibili.

PUNCTUM IV

De Donationum reductione.

154. — *Quæritur* 1° quid sit donationis *reductio*, et quænam ejus ratio?

Resp. Reductio, de qua hic agitur, est *donationis vel legati rescissio, pro rata excessus supra quantitatem disponibilem*, art. 920.

Unde reductio est corollarium non servatæ reservationis, et ex hujus violatione nascitur; et ideo quoad *forum conscientiæ*, idem dicendum est de reductione ac de reservatione, n. 150-153.

155. — *Quæritur* 2° a *quibusnam*, et *contra quos* reductio fieri possit ex lege civili?

Resp. 1. Legatorum reductionem petere possunt non solum *omnes hæredes* qui jus habent ad reservationem, sed etiam creditores et aliquando legatarii universales.

2. *Donationum inter vivos* reductio peti non potest *nisi ab iis qui jus habent ad reservationem;* et non solum adversus donatarios, sed etiam adversus eos qui bona donata emerunt, servato ordine de quo agetur in numero sequenti; art. 921, 930.

156. — *Quæritur* 3° quo *tempore*, et *quomodo* fieri debeat reductio?

Resp. ad 1ᵘᵐ : Donationum reductioni locus non est *nisi post mortem donatoris;* tunc enim tantum debetur reservatio iis quibus concessa est : valor autem hujus reservationis dignoscitur ex conjunctione bonorum quæ adhuc in hæreditate sunt, cum iis quæ jam donata sunt, deductione facta æris alieni a defuncto relicti.

Resp. ad 2ᵘᵐ : Distinguendum est : vel enim agitur de donationibus inter vivos, vel de donationibus testamentariis, vel de utrisque simul. In primo casu, reductio donationum fit incipiendo a novissima, et inde ascendendo ad primam donec compleatur reservatio, art. 923 in fine. Hujus ratio est quod novissimæ donationes eæ sunt quæ reservationem lædunt.

In secundo casu, omnes dispositiones attingit reductio, absque ulla distinctione inter legatarios universales et particulares, art. 926, nisi aliud expresse dixerit testator, cujus voluntas adimplenda est, art. 927.

In tertio casu exhauriendæ sunt dispositiones testamentariæ antequam attingantur donationes inter vivos; et si non sufficiat, complebitur reservatio per bona inter vivos donata, servato ordine supradicto, art. 923. Hinc patet, quod si donationes inter vivos exæquent aut superent portionem disponibilem, caducæ fiunt omnes dispositiones testamentariæ, art. 925.

157. — *Quæritur* 4° *quinam sint effectus reductionis?*

Resp. Effectus reductionis sub duplici respectu considerari possunt, vel quoad ipsa bona, vel quoad eorum fructus.

1. Quod ad *ipsa bona* attinet, distinguendum est; vel enim mobilia sunt, vel immobilia. De mobilibus nulla est dificultas; cum enim hypothecæ subjecta non sint, ii, quibus debetur reservatio, agere non possunt nisi in donatarium, actione personali, ad consequendum quod deest reservationi. Quoad immobilia, res determinatur, art. 929, 930.

2. Quoad *fructus,* restitui debent a donatario, a die mortis donatoris, si intra annum facta sit petitio; secus, a die petitionis, art. 928.

PUNCTUM V

De collatione Donationum.

158. — *Quæritur* 1° quid sit *collatio*, et ejus discrimen a *reductione?*

Resp. Collatio est *actus, quo unus ex hæredibus* ad *summam successionis refert,* ea quæ a donatore *directe* vel *indi-*

recte titulo *gratuito* accepit, nisi adsit *expressa donatoris dispensatio,* aut *lex aliter statuat.*

Scilicet coram lege civili, hæreditas *ex æquo* inter omnes hæredes *naturales* dividi debet, quoties uni ex illis præ cæteris non favet expressa donatoris voluntas, aut specialis dispositio legis; ergo, qui directe vel indirecte titulo gratuito aliquid accepit a donatore, absque collationis dispensatione, illud, defuncto donatore, in communem hæreditatem referre debet, ut sic servetur inter omnes hæredes æqualitas.

Unde patet discrimen inter collationem et reductionem. Nempe, collatio fit ad æqualitatem inter hæredes servandam; atque ideo omnis hæres eam exigere potest, nec est nisi ab hæredibus debita; eique se subtrahere potest, usque ad portionis disponibilis concursum, hæres qui hereditati renuntiat; semper etiam valida est alienatio rei immobilis, quæ collationi subjicitur; tandem fructus rei, quæ collationi subjicitur, non debentur nisi a die, quo successio aperta fuit.

Reductio autem fit ad providendum necessitatibus parentum privilegiatorum; qui ideo soli ordinarie eam exigere possunt; atque debetur tum ab bæredibus donatariis etiam cum clausula *præcipui juris* (*par preciput*), tum a donatariis extraneis; sed etiam invalida est alienatio rei immobilis ad reservationem pertinentis, quando privata bona donatarii non sufficiunt ad solvendam illam reservationem; tandem non semper a die, quo successio aperta fuit, debentur fructus rei donatæ quæ sub reservatione cadit, n. 155, 156, 157.

159. — *Quæritur* 2° quænam ad communem hæreditatem non referuntur.

Resp. Ad communem hæreditatem non referuntur 1. *fructus*, quod donatarius percepit *ante mortem donatoris;* 2. nec de bonis paternis etiam male expensa, nisi vere fuerint excessiva; nec expensæ factæ a patre pro educatione filii : « Les frais de nourriture, d'entretien, d'éducation, d'apprentissage, les frais *ordinaires* d'équipement, ceux de noces et *présents d'usage* ne doivent pas être rapportés; » art. 852.

Sed hujusmodi munera essent referibilia, si nimium excederent conditionem facientis; item sumptus ipsi educationis *extraordinarii* collationi forent obnoxii, si filius

bona propria haberet, quorum usufructu gauderet. Item conferri debent quæ expensa sunt ad statum (*établissement*) unius e cohæredibus, et ad debitorum ipsius solutionem. Item pecunia adhibita ad filium e militia redimendum, nisi redimatur in utilitatem partis vel familiæ, quia familia quæ commodum percipit, onus etiam ferre debet.

160. — In *foro* autem *conscientiæ*, donatarius retinere potest res, quæ in foro externo collationi subjiciuntur, si ipse constet de donatione proprie dicta sibi facta, juxta principia exposita, n. 150-153.

§ III

De regulis specialibus Donationi inter vivos.

Dicemus 1° de forma, 2° de revocatione donationum inter vivos.

NUMERUS PRIMUS

De forma Donationum inter vivos.

161. — Ex jure *naturali*, nulla specialis requiritur formalitas ad validitatem donationum inter vivos; sed sufficit, ut adsint conditionibus requisitæ ad consensum utriusque partis in idem placitum.

Ex jure autem *civili* in Gallia hodie vigente, triplex forma, si ita loqui fas est, admittitur pro donationibus inter vivos, nempe forma specialis seu donatio *solemnis*, traditio realis seu donatio *manualis*, forma alterius contractus seu *donatio indirecta*. Triplicis illius formæ necessitas aut sufficientia breviter expendenda est.

162. — I. *De donatione solemni inter vivos.* 1° Quando inter vivos donantur *immobilia*, aut *mobilia absque actuali traditione*, lex civilis quasdam exigit formalitates, ut donatio sit irrevocabilis ex parte donatoris et donatarii, sicque difficilius rariusque recurrant homines al illum disponendi modum, qui ut aliquid satis odiosum habetur utpote perturbans ordinem successionum per legem determinatum.

2° Quatuor sunt autem hujusmodi formalitates, scilicet, 1. *interventus notarii*, apud quem servari debet prima actus donationis perscriptio (*il en restera minute à peine de nullité*), art. 931; 2. *acceptatio expressa* seu *terminis expressis* ex parte donatarii, ita ut non sufficiat tacita seu deducta ex præsentia et subscriptione, art. 932; 3. *index æstimatorius*, si mobilia donentur, subscriptus a donatore et donatario et actui annexus, art. 948; 4. *transcriptio* actus apud hypothecarum Conservatorem in territorio (*arrondissement*), ubi res donatæ sistunt, quando donatio est rerum quæ hypothecis subjiciuntur.

163. — Jam vero tres priores formalitates a lege civili requiruntur non solum ad probationem, sed etiam ad solemnitatem, ita ut, si desint, non detur actio civilis, art. 931.

Si autem deficiat transcriptio apud Conservatorem hypothecarum, donatio quidem per se perfecta est inter donatorem ejusque causam habentibus, ex una parte, et donatarium, ex altera; sed non potest opponi donatio iis (*aux tiers*), qui jus acquisierunt in objecta donata. Defectus igitur transcriptionis invocari potest a creditoribus donatoris etiam mere chirographariis; item ab iis qui ab eo acquisierunt, saltem sub titulo oneroso; sed invocari nequit ab hæredibus donatoris, qui cum ipso unicam personam efficiunt. Itaque nullitas ex defectu transcriptionis non est radicalis, sed relative facit donationem *rescindibilem*, n. 17. Quid autem in foro conscientiæ valeat illa nullitas legalis ex defectu formæ solemnis, infra dicemus, n. 181 et seq.

164. — II. *De donatione manuali* seu *reali*. Donatio manualis est donatio rerum *mobilium facta absque ullo actu authentico*, per *solam traditionem de manu ad manum* a donatore donatario. Quæstio est an talis donatio, *ratione formæ* seu quatenus *manualis* et absque ullo actu authentico facta, sit valida coram lege civili.

Porro validas esse, *ratione formæ*, donationes manuales coram lege civili omnino constat, tum ex art. 2279 : *Pos-*

sessio mobilium æquivalent titulo; tum ex declaratione tribuni Jaubert : « Le projet ne parle pas de dons *manuels*, et ce n'est pas sans motifs. Les *dons manuels ne sont pas susceptibles d'aucunes formes :* il n'y a là d'autres règles *que la tradition;* » tum ob incommoda, quæ ex illarum donationum invaliditate nascerentur pro pace familiarum et commercii securitate.

165. — Itaque 1° ratione *formæ*, valida est donatio manualis facta per traditionem, v. g., vestis, gemmæ, summæ pecuniæ, chirographorum, gallice dictorum, *bons au porteur*, vel per indorsationem (*par endossement*), quando agitur de chirographis eo modo transmissibilibus; sed si non sint eo modo transmissibilia, tunc, ut acquirantur ab alio quam a debitore, adhibendæ sunt solemnitates necessariæ, vel ad donationis validitatem, vel ad cessionem legitimam creditorum quæ in ipsis continentur.

166. — 2° Similiter valida est in foro externo donatio manuali ab ægroto facta *sub ea conditione*, ut res donata sibi restituatur, si *a morbo convalescat*, vel *si ante mortem suam repetat*. Nam, in priori casu, conditio minime pendet a voluntate donatoris, et ideo tunc fit donatio vere irrevocabilis.

In posteriori casu adest vere donatio in *causa mortis*, n 118; et tamen in foro externo valet hæc donatio juxta plerosque auctores, inter quos Merlin, Delvincourt, Carrière, quando revera *traditio facta fuit*. Nam, si lex non obstat validati donationis manualis inter vivos, nulla videtur ratio cur obstaret validati similis donationis in causa mortis. Unde art. 931 et 967 non respiciunt donationes factas absque actu seu instrumento, et quæ statim exsecutioni mandari possunt.

167. — 3° Valet etiam donatio rei mobilis commissæ *mandatario*, ut tradatur donatario, etsi mandatum non impleatur nec ideo res *a donatario acceptetur, ante mortem donatoris*. Ita ex decisione Curiæ supremæ, 13 decemb. 1815. Tunc enim adest vere traditio ex parte donatoris (*il y a eu dessaisissement*), et mandatarius censetur accep-

tasse pro donatario, cujus negotiorum gestor haberi potest. Plures tamen contradicunt, eo quod non adest acceptatio ex parte donatarii.

168. — III. *De Donatione simulata*, seu occulta *sub specie* contractus *onerosi*, v. g.. venditionis. Valet talis donatio in foro externo, *rati ne formæ*, præsupposita capacitate donandi et accipiendi, et etiam ex hypothesi quod non excedatur pars disponibilis. Ita plerique auctores, et ex pluribus decisionibus Curiæ supremæ; ita Demolombe, *Traité des contrats*, t. 6, p. 637. Lex enim non suspicatur fraudem in donationibus indirectis; quæ absque ulla fraude seu simulatione, sed directe fieri potuissent, ex hypothesi; ac proinde illas non irritat.

NUMERUS II

De revocatione Donationum inter vivos.

169. — *Quæritur* quotuplex sit causa revocationis donationum inter vivos?

Resp. Donatio inter vivos revocari potest ob quatuor causas nempe, 1. ob inexsecutionem conditionum; 2. ob ingratitudinem donatarii; 3. ob liberorum supervenientiam; 4. ob stipulationem reversionis rei donatæ.

Et quidem 1° *ob inexsecutionem conditionum;* id est, si donatarius conditiones, aliunde possibiles et licitas, n. 89, donationi appositas non impleat, tunc bona donata ad donatorem redeunt libera ab omnibus oneribus et hypothecis ex parte donatarii, ita ut vindicari possint adversus illos qui ea, quicunque titulo, detinent, art. 954, 900.

2° *Ob ingratitudinem donatarii* insignem, in his tribus casibus comprehensam : 1. si donatarius vitæ donatoris *insidiatus fuerit;* 2. si *manus impias* in eum injecerit, vel atrocibus injuriis illum affecerit; 3. si ei *alimenta denegaverit*, art. 955.

Quæ revocatio non habet effectum retroactivum nisi a die, qua ejus petitio in codice hypothecario inscripta est; nec afficere potest donationes in gratiam matrimonii factas, quæ reputantur factæ non solum in gratiam sponso-

rum, sed etiam liberorum ex illo matrimonio jam natorum, aut forsan nasciturorum, art. 959.

3° *Ob supervenientiam liberorum donatori, modo jam alios non haberet superstites tempore donationis;* quia non præsumitur quod donator voluerit alienos successores propriis anteponere, et recte dicitur inesse donationi quædam conditio tacita : *si liberi non mihi nascantur*, art. 960.

Quæ revocatio non obstante qualibet stipulatione contraria, fit pleno jure, atque plenum habet effectum retroactivum resolutorium, eodem modo ac si nunquam facta fuisset donatio.

4° *Ob stipulationem reversionis* (*du droit de retour*). Scilicet, in actu donationis stipulari potest donationis revocatio in favorem *donatoris* tantum quoad hunc duplicem eventum si ante donatorem moriatur, 1. vel *donatarius;* 2. vel *donatarius et ejus descendentes*. In nulla hypothesi impeditur illa revocatio per existentiam filii spurii aut adoptivi.

Hæc revocatio plenum habet effectum retroactivum, atque ideo bona ad donatorem redeunt libera ab omnibus hypothecis et oneribus a donatario impositis, salva tamen hypotheca dotis et conventionum matrimonialium, art. 952.

§ IV

De regulis Testamento specialibus.

Illæ regulæ respiciunt 1° formam testamentorum; 2° species legatorum; 3° testamentorum revocationem.

NUMERUS PRIMUS

De forma Testamentorum.

Duo expendemus, nempe, 1° an et quænam forma præscribatur ad testamenti validitatem in foro civili; 2° an et quomodo donatio solemnis, n. 162, et testamentum defectu formæ irrita sint in foro externo et interno.

PUNCTUM PRIMUM

An et quænam forma præscribatur ad Testamenti validitatem in foro civili.

174. — Quædam formalitates a lege civili in confectione testamenti requiruntur, tum ut de actus authenticitate cer-

tius constet; tum ut efficacius consulatur testatoris libertati; tum ut restringatur testandi facultas, quæ odiosa est, utpote derogans ordini naturali et legali successionum.

Porro triplex est testamentum ratione *formæ ordinariæ*, scilicet, *olographum, solemne* et *mysticum*, et pro unoquoque exiguntur a lege speciales conditiones, quas exponere necesse est.

175. —*Quæritur* 1° quid sit testamentum olographum?

Resp. Olographum testamentum, sic dictum a duabus verbis græcis ὅλος (*entier*), γράφω (*j'écris*), est illud quod *propria manu testatoris ex integro fuit scriptum, cum indicatione diei, mensis et anni, ejusque nominis subscriptione,*

Unde ad illius validitatem tria requiruntur et sufficiunt, 1. ut integre scribatur propria manu testatoris; 2. ut indicentur dies, mensis et annus quo confectum est; 3. ut nomen proprium testatoris subscribatur, art. 970.

Cæterum indicatio diei, mensis et anni exprimi potest notis arithmeticis et in qualibet testamentiparte collocari, Attamen dubia esset validitas, si subscriptio apponeretur ante designationem temporis : afferuntur enim auctores, et tribunalium judicia pro utraque parte.

Interscriptiones (*les interlignes*) propria manu testatoris scriptæ non vitiant testamentum, licet ab illo approbatæ non fuerint; bene vero, eæ quæ extranea manu scriptæ sunt, quando unum corpus cum testamento certe efficiunt, ut constaret, v. g., ex approbatione testatoris. Liturræ (*les ratures*) deletas dispositiones irritant, nisi approbentur a testatore, aut deficiente approbatione, nisi testamentum in possessione testatoris et illius sigillo obsignatum reperiatur.

176. — *Nota*. Ut testamentum olographum abstrahatur a periculo dilacerationis, cui frequenter exponitur, cum invenitur ab hæredibus naturalibus, cautum est illud deponere apud notarium, vel duplici conficere exemplari, quorum unum apud se servabit testator, alterum vero personæ fide dignæ vel notario committet.

Omnis privatus et in primis quilibet Sacerdos, bona

temporalia si possideat, tempore opportuno, id est, *quamprimum*, debet sermone brevi, claro et simplici et quidem duplici exemplari suum testamentum conficere. Non parum enim interest ad proprium spirituale bonum, ad ædificationem animarum, et ad præcavenda plura haud parvi momenti incommoda, ut suprema cujuslibet privati et præsertim Sacerdotis voluntas suum sortiatur effectum; atque redarguenda est haud raro lugenda illorum negligentia, qui, instante tantum ultimo morbo, imo die suprema, talem actum conficiunt : *C'est le temps des sacrements et non des testaments*, ait Bossuet[1].

177. — *Quæritur* 2° quid sit testamentum solemne? *Resp. Solemne* testamentum illud est, quod *a duobus Notariis coram duobus testibus*, vel *ab uno Notario coram quatuor testibus accipitur*, art. 971.

Ad ejus validitatem sedulo observari debent solemnitates præscriptæ in art. 972, 973, 974, 975 et 980; et notandum quartum gradum consanguinitatis et affinitatis, de quo agitur in art. 975, eumdem esse in linea collaterali

1. Formulam testamenti olographi, quale a Sacerdote instituti potest hic subjicimus.

Au nom de la Très-Sainte Trinité, le Père, et le Fils, et le Saint-Esprit.

Je soussigné Antoine Artémon, curé de X..., déclare que le présent écrit est mon testament, que je veux être fidèlement et ponctuellement exécuté après ma mort. Je charge pour cet effet mon vicaire, Louis Gaston, d'y veiller exactement d'en prendre soin comme pour lui-même.

Je lègue à mon frère, Joseph Artémon, tous les biens immeubles que j'ai reçus en héritage de mon père et de ma mère, et qui m'appartiendront au moment de ma mort, à la charge de remettre, dans le courant des trois mois qui suivront ma mort, à M. le Curé de ma paroisse natale, la somme de mille francs, pour être employée par lui moitié en aumônes, moitié en honoraires de Messes, qui seront dites à mon intention dans le plus bref délai possible.

Je lègue à la cure de la paroisse de X..., et à l'usage de mes successeurs, ma bibliothèque, mes ornements sacerdotaux, calice,..

Je lègue à mon vicaire, Louis Gaston, tout le reste de mon mobilier, en nature ou en espèces, qui se trouvera dans mon presbytère au moment de ma mort, et je désire qu'il le consacre moitié en aumônes, et moitié en honoraires de messes, selon mes intentions.

Fait à X..., le deux août de l'an mil huit cent quatre-vingt-onze.

Antoine Artémon.

ac secundum in Jure canonico; quia in Jure civili, tot numerantur gradus quot sunt personæ generatæ, dum in Jure canonico, tot numerantur gradus quot sunt generationes; n. 188.

178. — *Quæritur* 3° quid sit testamentum mysticum?

Resp. Mysticum testamentum est illud, *in quo testator secreto disponit de bonis suis, quodque clausum et signatum offertur Notario et sex testibus simul præsentibus, ab eodem testatore asserente hoc esse suum testamentum, a se scriptum, et subscriptum, vel ab altero exaratum, et a se subscriptum.* Ad hujus testamenti validitatem diligenter observari debent omnes solemnitates præscriptæ in art. 976 ad 980. At cum magna opus sit vigilantia ad vitandam illius nullitatem, parum in usu est.

Non omnino constat an testamentum olographum rite confectum, Notario et testibus oblatum ut vestiatur solemnitatibus testamenti mystici, valeat *ut olographum*, licet ex defectu quodam non valeat *ut mysticum*. Communiter affirmant auctores; sed plures negant.

179. — Quædam sunt insuper alia testamenta, ad quorum validitatem minores requiruntur solemnitates, scilicet testamenta militantium, navigantium, vel Gallorum in terra extranea degentium, vel incolarum civitatis peste correptæ art. 981 usque ad 1000.

PUNCTUM II

An et quomodo, in foro externo et interno, irritæ sint Donationes et Testamenta, ex defectu legalis formæ.

180. — Hæc quæstio jam breviter indicata, n. 25, hic autem fusius expendenda, varie a variis Jurisperitis et Theologis solvitur; et tamen fere omnes Theologi recentiores in eamdem practicam conclusionem conveniunt.

Ut dilucidius procedamus, rem expendemus quoad utrumque forum generatim pro donatione et testamento quocumque, et speciatim pro donatione et testamento ad pias causas. Itaque.

181. — *Quæritur* 1° an et quomodo, in foro *civili*, *irritæ* sint donationes et testamenta ex *defectu legalis formæ?*

Resp. Non omnino inter se consentiunt Jurisperiti. Quidam sentiunt nullitatem legalem ex defectu formæ consequentem non esse radicalem, sed efficere actum solummodo *rescindibilem*. Ita Zachariæ, tom. 2, p. 453.

Namque donatio etiam sine formalitatibus præscriptis facti ratihaberi potest per donatoribus hæredes, aut per eorum causam habentes, ex art. 1340, qui sic se habet : « La confirmation ou ratification, ou exécution volontaire d'une donation *par les héritiers* ou *ayant-cause* du donateur, *après son décès, emporte renonciation à opposer soit les vices de forme*, soit toute exception. » Porro contractus radicaliter nullus seu non existens, nullo modo confirmari et ratihaberi potest; ergo defectus formæ reddit donationem et testamentum non radicaliter nullum, sed rescindibile tantum.

Alii vero communiter docent nullitatem, de qua agitur, esse radicalem, et quidem per modum pœnæ, inter donatorem et donatarium, ex art. 1339; non radicalem vero inter donatarium et donatoris hæredes causam habentes, ex art. 1340. Vide Demolombe, *Traité des Contrats*, t. 6, n. 734-750.

182. — Itaque, juxta omnes Jurisperitos, in foro civili, 1. donatarius et legatarius stare possunt donationi aut testamento, quandiu nullitas ob formæ defectum non invocatur ab hærede donataris aut testatoris; nam ante postulationem, hæres censetur confirmare et ratihabere donationem aut legatum, juxta art. 1340.

2. Imo nullitas ob formæ defectum, sive sit radicalis, sive non radicalis, coram lege civili suum non sortitur effectum nisi post sententiam judicis saltem declaratoriam; ergo, in foro civili, donatarius et legatarius stare possunt donationi et testamento, quandiu ejus nullitas non fuit a Judice declarata. Duplex illa conclusio non parum interest ad subsequentis questionis solutionem.

184. — *Quæritur* 2° an et quomodo in foro *interno irritæ* sint donationes et testamenta *ob defectum legalis formæ?*

Resp. Theologi, si veteres et recentiores simul sumantur in tres abeunt sententias circa hoc punctum.

1° Alii quippe affirmant nullam vim habere in foro conscientiæ nullitatem ex defectu legalis formæ, ita ut donatarius et legatarius non solum possint adire donationem et

legatum, et in eo permanere, sed etiam donator aut hæres ab intestato teneatur rem donatam aut legatam dimittere, etiamsi a judice ipsi adjudicata fuisset. Ita Molina, Lessius, S. Antoninus, Innoc. III, etc.

Donatio enim et testamentum, de quibus agitur, procul dubio valida sunt ex jure naturali : atqui validitas adeo certa in re tam gravi infirmari nequit per nullitatem legalem dubiam quoad effectum præsertim in foro interno, qualis est nullitas legalis ex defectu formæ, ut patet ex dissensione Jurisperitorum jam exposita, n. 181, 182; ergo hæc nullitas vim non habet in foro conscientiæ.

2° Alii e contra docent nullitatem ex defectu formæ esse in foro conscientiæ radicalem pro donatione et testamento ita ut donatarius et legatarius non possint etiam ante sententiam judicis tuta conscientia adire aut retinere rem donatam aut legatam, Ita, ex Jure Romano, Suarez, Vasquez, Henno, Collet, Logerot, Receveur, Vernier, Toullier, Lyonnet etc.

Etenim, lex, de qua agitur, 1. ipsum pactum afficit, ut agnoscunt omnes Jurisperiti, n. 181; 2. nititur præsumptione periculi, cum, etiamsi probaretur nullam intervenisse fraudem in casu particulari, nihilominus irrita declararetur donatio aut testamentum forma præscripta destitutum; 3. fundatur motivo boni publici, nempe ad consulendum donatoris et testatoris libertati, servandumque ordinem successionum a lege determinatum. Porro talia sunt signa, ex quibus infertur legem civilem obligare in conscientia; ergo, etc.

Et vero lex illa, si non obliget in conscientia ante sententiam judicis, non obtinebit finem suum, cum multi adhuc fraudibus uterentur, spe allecti, quod nullitas non invocaretur ab iis, quorum interest.

3° Alii tandem docent donationes aut testamenta formalitatibus præscriptis destituta, in foro conscientiæ non esse radicaliter nulla, sed *rescindibilia* tantum, ita ut donatarius et legatarius stare possint donationi et testamento, donec eorum rescissio postuletur, si res sit per se clara, n. 26, vel a judice pronuntietur, si res sit dubia; atque

similiter, illi, quorum interest, possint tuta conscientia rescissionem invocare. Ita Bannez, Soto, Sanchez, Layman, Billuart, S. Ligorius, Cabassut, Zachariæ, Carrière, etc., quibus assentimus.

Et quidem 1. illi, quorum interest, possunt invocare rescissionem. Hoc saltem probant argumenta secundæ sententiæ. Revera ut pluries diximus, si tuta conscientia invocari non posset illa nullitas legalis, eo ipso lex civilis noceret viris probis et justis, qui ejus beneficio nunquam uterentur; dum prodesset tantum improbis et injustis viris, qui, non obstante voce contradicentis conscientiæ, rescissionem donationis et testamenti semper invocarent.

2. Donatarius autem et legatarius stare possunt donationi et testamento, donec rescissio postuletur, aut a judice pronuntietur. Nam hoc admittitur a Jurisperitis in foro civili, ex dictis, n. 182 : atqui sane nullitas, de qua agitur, cum tota oriatur a lege civili, non majorem habet extensionem in foro interno, ac in foro civili; ergo, etc. Revera talis est praxis communis.

Imo, juxta hujus sententiæ patronos, donatarius aut legatarius, licet ipsi constaret illos, quorum interest, ignorare actus defectum et rescindibilitatem, nihilominus securus etiam esse potest, nec tenetur vitia instrumenti manifestare, modo nulla fraude aut via injusta ea occultet. Unusquisque enim debet juribus suis prospicere; ac proinde, si jura sua non cognoscat hæres naturalis, sibi imputare debet, juxta axioma : *Jura vigilantibus prosunt.*

185. — Attamen, si testator ab hærede obtinuerit promissionem tradendi legatum, etiamsi testamentum irritum esset, atque ideo præcise propter hanc promissionem, testator abstineat a conficiendo aut mutando testamento, vel ab inscribendo tali legato, hæres tenetur ex justitia ad implendam promissionem, nec invocare potest legalem testamenti nullitatem.

Nam, si, faciendo promissionem, intendebat eam non implere, dolum admisit, et via injusta alterum impedivit a consecutione boni, proindeque ad reparationem tenetur; si

vero sincere promisit, culpam quidem non admisit, sed admitteret, propositum mutando, et sic verum damnum inferendo ei, qui legatarius alioquin institutus fuisset.

186. — *Quæritur* 3° an et quomodo, in foro externo et interno, irritæ sint ex *defectu legalis formæ* donationes et testamenta *ad pias causas?*

Resp. 1° Quoad forum *externum*, piæ dispositiones ab aliis non distinguuntur, sed communi lege reguntur hodie; imo sæpe accidit, ut judices illas facilius infirment.

2° Quoad forum *internum*, sine dubio validæ sunt illæ donationes. Constat 1. *ex* Decretal. lib. 3, tit. 26, c. 4, 6, 10, 11, ubi dicitur validas esse pias donationes etiam viva voce factas, modo de legitimo consensu testatoris certo constet. Sed etiam ex Conc. Trid., quod sic illud statuit : « Episcopi, etiam ut Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, *omnium piarum* dispositionum, tam in *ultima* voluntate, quam *inter vivos sint executores.* » Sess. 22, c. 8. Similiter S. Pœnitentiaria pluries interrogata, respondit testamenta ad pias causas valida esse, etsi formis legalibus careant.

2. *Ex natura* illarum donationum. Donationes ad pias causas ad Ecclesiam pertinent, ejusque jurisdictioni subjacent : porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quæ jurisdictioni suæ directe subsunt; ergo, etc.

Ratione. Sæpe sæpius illæ donationes fiunt vel ad restitutionem implendam, vel ad preces pro anima defuncti obtinendas : porro tunc donatio non fit proprie titulo gratuito, nec proinde legali formæ pro donatione requisitæ subjicitur.

Eadem ratione valet in foro conscientiæ donatio sine forma legali facta 1. in pignus gratitudinis pro officiis ex benevolentia præstitis; 2. vel in compensationem seu mercedem officiorum pretio æstimabilium, quibus alter jus strictum acquisivit.

Nam, in primo casu, fit potius solutio debiti, non quidem stricti, sed naturalis; in secundo autem casu, perfi-

citur actus qui decitur *datio in solutum*, et quædam venditionis species.

NUMERUS II

De variis speciebus, juribus et obligationibus Hæredum.

Per *hæredes* hic intelligimus non solum hæredes proprie dictos, sed alios quoscumque successores, qui ad hæreditatem vocantur. Triplex erit punctum.

PUNCTUM PRIMUM

De variis speciebus Hæredum.

187. — *Quæritur* 1° quotuplex sit in jure nostro *species hæredum?*

Resp. In jure Gallico, triplex distinguitur species successionis seu transmissionis bonorum defuncti, ac proinde triplex hæredum species, nempe successio *legalis*, *testamentaria* et *conventionalis*.

Legalis successio a legis dispositione oritur; *testamentaria* oritur a voluntate hominis per testamentum; *conventionalis* oritur a voluntate hominis per contractum matrimonii, et propterea vocatur *Institution contractuelle;* de ea dicemus, n. 204, 205. Hic itaque agemus de hærede legali et testamentario.

188. — *Quæritur* 2° quotuplex sit hæres *legalis?*

Resp. Hæredes *legales* seu *lege* designati, sunt vel *necessarii*, vel *naturales* seu *legitimi*.

1. Hæredes *necessarii* seu reservatarii sunt illi, quibus lex jus reservationis tribuit, et qui ideo a testatore excludi non possunt : tales sunt, ut vidimus n. 149, 150, 1. *descendentes* in propiori gradu; 2. ipsorum defectu, *ascendentes* tum ex parte patris, tum ex parte matris in gradu pariter propiori.

2. Hæredes *naturales* seu *legitimi* sunt illi, qui vel quoad totum, vel saltem quoad partem excludi possunt a testatore, et qui tamen ex lege succedunt in omnia bona defuncti disponibilia, quando iste nullum aut nonnisi invalidum reli-

quit testamentum ; et tunc dicuntur hæredes seu successores *ab intestato*.

Porro ad successionem *lege* vocantur primo descendentes : deinde ascendentes, et collaterales in propiori gradu usque ad 1um gradum, id est, 7um juxta computationem canonicam, art. 731, 745, 746, 750, 751 [1]. Hujusmodi successores vocantur *regulares* seu *hæredes* proprie dicti.

His deficientibus, hæreditas transit vel ad liberos naturales *legaliter* agnitos, vel ad conjugem superstitem, vel ad fiscum, art. 758, 767, 768. Isti vocantur successores *irregulares*, non hæredes, art. 756 [2].

189. — *Quæritur* 3° quotuplex sit hæres *testamentarius?* *Resp.* Hæredes *testamento* instituti, sunt vel *universales*, vel *titulo universali*, vel *titulo particulari*.

1. Hæredes *universales* illi sunt, quibus testator donat testamento *universitatem* bonorum suorum, art. 1003. Ut igitur censeantur hæredes universales, si plures sint, necesse est ut nulla pars inter eos assignetur, alioquin haberentur tantum ut hæredes titulo universali. Siquidem

2. Hæredes *titulo universali* ii sunt, quibus testator donat testamento *quotam* bonorum partem, v. g., dimidiam, tertiam, quartam partem totius hæreditatis, vel omnia immo-

1. In Jure *civili*, pro linea collaterali, tot sunt gradus, *quot personæ* descendentes a stipite communi, v. g., frater et soror sunt in secundo gradu, consobrini in quarto, filii consobrinorum in sexto gradu.

In Jure autem *canonico*, alius est supputationis modus pro linea collaterali. Scilicet, si collaterales *æqualiter* distent a communi stipite, tot sunt gradus inter se quot a communi stipite ; v. g., frater et soror uno gradu distant a patre, et ideo uno gradu distant inter se ; consobrini, duobus gradibus ; filii consobrinorum, tribus gradibus.

Si autem collaterales *non æqualiter* distent a communi stipite, eo gradu distant inter se, quo illorum remotior distat a communi stipite, v. g., frater et fratris filia inter se distant duobus gradibus, quia filia fratris a communi stipite distat duobus gradibus.

2. « Les enfants naturels *ne sont pas héritiers*. C'est un titre que la loi a dû leur refuser ; car le droit de succession n'est qu'un droit de famille, et les enfants naturels ne sont pas dans la famille de leur père, *nec gentem, nec familiam habent* Mais leur père, en les reconnaissant, a contracté envers eux des obligations civiles ; s'il a négligé de les remplir de son vivant, la loi charge sa succession de le faire à sa place. » ROGRON, art. 756. »

bilia, vel omnia mobilia, vel quotam eorum partem determinatam, art. 1010.

3. Hæredes *titulo particulari* sunt illi, quibus testator donat testamento partem bonorum *in se determinatam*, v. g., bibliothecam, summam centum aureorum, prata, sylvas, vites, uno verbo, bona loco determinato possessa.

PUNCTUM II

De juribus Hæredum.

Hæc jura præcipue spectant 1° *dominium* et quod dicunt *saisinam*, gallice *saisine;* 2° acceptationem liberam hæreditatis; 3° fructus perceptos a die apertæ hæreditatis.

190. — 1° Quoad *dominium et saisinam* [1], hæredes *necessarii*, si adsint, vel eorum defectu, simpliciter *legitimi* omnium bonorum defuncti dominium, imo et saisinam, *la saisine*, ut loquuntur Jurisperiti, pleno jure acquirunt statim post mortem ejus naturalem vel civilem, art. 718 et 724.

Idem dicendum est de legatario *universali*, nisi adsint hæredes *necessarii*, art. 1006.

Secus autem de legatariis sive *titulo universali* sive *titulo particuluri*. Utrique rerum legatarum traditionem, gallice, *la délivrance*, petere debent, ab hæredibus necessariis, si adsint; vel, his deficientibus, a legatario universali; vel, illo etiam deficiente, ab hæredibus legitimis, art. 1011 et 1014.

191. — 2° Quoad *acceptationem hæreditatis*, liberum est omnibus qui vocantur ad successionem, acceptare vel renuntiare; hinc axioma : *N'est héritier qui ne veut; nullus est hæres, nisi velit.* Effectus igitur successionis veluti in suspenso manet, donec hæres mentem suam aperuerit; si

1. « On entend par *saisine* la continuation, dans la personne de l'héritier, de la possession et de tous les droits qu'avait le défunt. Cette continuation s'opère de plein droit à l'instant même du décès, et c'est ce qu'exprime énergiquement cette maxime : *Le mort saisit le vif*, qui suppose que le propriétaire, en expirant, passe lui-même tous ses droits à ses héritiers. » Rogron, art. 724.

acceptet, censetur *ab ipso mortis instanti* accepisse, art. 777; si renuntiet, censetur *nunquam* habuisse hæreditatem, art. 785, quæ sic statim transit, et quidem retroactive, ad eum qui in ejus defectum vocatur.

Duplex est autem hæreditatis acceptatio, alia *simplex*, alia *sub beneficio inventarii*. Prior est *actualis* et *absoluta*, atque fit vel *expresse*, ut quando quis titulum hæredis assumit in actu authentico aut privato; vel *tacite*, scilicet, per actum qui *necessario supponit* voluntatem acceptandi, et quem non posset elicere nisi quatenus hæres, art. 778. Quod sedulo observandum est ne quis imprudenter sese illaqueat.

Posterior autem est *conditionata*, eo sensu quod hæres non intendit acceptare nisi quatenus, ope inventarii, compererit successionem non talibus oneribus gravari, ut ipse in damnum incidat.

Renuntiatio non præsumitur, sed facienda est in tabulario (*au greffe*) Tribunalis territorii, in quo obtigit successio. Unde, quando elapsum est tempus concessum ad deliberandum, creditores agere possunt contra hæredem ut vel renuntiet, vel debita solvat, art. 784.

192. — 3° Quoad *fructus*, hæredes necessarii, et legatarii universales acquirunt fructus a die mortis testatoris.

Isti tamen, si concurrant cum reservatariis, debent petere aut obtinere traditionem, *la délivrance*, rerum legatarum intra annum a die mortis testatoris: alioquin fructus non acquirunt nisi a die petitionis judiciariæ, aut a die traditionis rerum legatarum, art. 1005.

Idem de legatario titulo universali dicendum est ac de legatario universali, ait Toullier, tom. 5, p. 512, silente lege circa hunc casum.

Legatarius titulo particulari acquirit fructus a die petitionis aut voluntariæ traditionis, art. 1014, exceptis duobus casibus, in quibus fructus etiam a die obitus testatoris, absque ulla petitione, ad illum deferuntur, scilicet, quando testator id expresse declaravit, vel res legata census vitalitius est, aut pensio alimentaria, art. 1015.

PUNCTUM III

De obligationibus Hæredum.

193. — Obligationes hæredum spectant partitionem successionis, collationem bonorum defuncti, solutionem debitorum et onerum.

Porro, 1. quoad *partitionem* bonorum, cum tota pertineat ad forum externum, notare sufficiat præcipuam regulam, nempe, ut *servetur æqualitas inter hæredes.*

2. Quoad *collationem*, quæ est corollarium æqualitatis in partitione, de ea jam dictum est, n. 158, 159, 160.

Superest igitur, ut aliquid dicamus de *solutione debitorum* et onerum hæreditatis.

194. — Sed antea determinare necesse est sensum duplicis verbi, *debitorum* scilicet et *onerum*, quæ sæpe in præsenti materia usurpantur in Codice civili. Porro generatim per *debita* intelliguntur ea quæ *debebantur ab ipso defuncto*, v. g., pecuniæ summæ, impensæ medicorum, servorum etc.

Per *onera* autem intelliguntur ea quæ *a successione debentur*, v. g., impensæ sive funerariæ, sive judiciales. Difficultas est an voce *onerum* Codex comprehendat etiam *legata* titulo particulari; res non omnino eliquata videtur[1]. Ad præcavendam æquivocationem, debita, onera et legata particularia propriis verbis designabimus. His intellectis,

195. — *Quæritur* 1° an et quomodo hæredes aliique successores defuncti teneantur *solvere debita, onera* hæreditatis et *legata* titulo particulari?

1. « Le mot *charges*, même quand il est ajouté au mot *dettes*, ne paraît pas employé avec un sens bien déterminé et différent de l'autre; ainsi, quand l'art. 1009 déclare le légataire universel concurrent avec un héritier réservataire, tenu de payer les *dettes et les charges* pour sa part, il est clair qu'il n'entend pas parler de *legs*, puisque c'est la partie subséquente de l'article qui le déclare obligé d'acquitter ces legs à lui seul. De même, quand l'art. 1012 déclare le légataire à titre universel tenu des *dettes et charges*, il ne comprend pas non plus les legs, puisque c'est l'article suivant 1013, qui vient s'en occuper. Ainsi donc les expressions *dettes et charges* se trouvent mises, par redondance, pour indiquer les dettes de toute espèce. » Marcadé, in art. 1017.

Resp. 1. *Debita* et *onera* hæreditatis solvi debent a reservatariis, a legatariis universalibus vel titulo universali, pro rata parte emolumenti, et hypothecarie pro toto; art. 724, 871, 873, 1009, 1012. Pars enim sive reservata, sive disponibilis non existit, nec computatur nisi deductis debitis et oneribus hæreditati annexis, juxta axioma : *Bona non intelliguntur nisi deducto ære alieno.* Et vero bona defuncti sunt pignora creditorum, art. 2093.

2. Quoad *legata* particularia, ea solvere non tenentur reservatarii in detrimentum reservationis. Reservatio enim minui non potest per dispositiones titulo gratuito, quæ partem tantum disponibilem afficiunt.

Legatarius autem universalis, si sit solus, tenetur solvere legata particularia, cum reductione tamen, si locus sit, art. 926. Si concurrat cum legatario titulo universali, unusquisque ad illa solvenda contribuere debet.

Legatarius titulo universali, si concurrat cum reservatariis, debet solus solvere omnia legata particularia, si varia legata titulo universali aut particulari attingant vel superent partem disponibilem, peracta tamen reductione, si locus sit, art. 926.

Legatarius titulo particulari non tenetur ad solvenda debita aliaque hæreditatis onera. Testator enim præsumitur voluisse ut res legata tota deveniat ad eum, cui pure et simpliciter dedit, art. 871, 1024. Revera legatarius titulo particulari defunctum proprie non repræsentat; ac proinde non tenetur de oneribus successionis.

Quædam tamen sunt exceptiones : nempe, si creditores hypothecam habeant in rem legatam, art. 1024; si testator expresse legatario particulari imposuerit obligationem de aliquo hæreditatis onere; si non sufficiant alia bona ad debita et onera hæreditatis solvenda, vel reservationem complendam, art. 926. 1024.

196. — *Quæritur* 2° an hæredes teneantur solvere debita et onera successionis, atque legata titulo particulari, etiam *ultra vires hæreditatis?*

Resp. Hæc quæstio movetur tantum de hærede *naturali,*

qui pure et simpliciter succedit defuncto et habet saisinam; vel etiam de *legatario universali*, qui, si solus hæreditatem accipiat, habeatque saisinam, juxta plures Jurisperitos æquiparatur præfato hæredi naturali.

Porro 1. ex unanimi consensu Jurisperitorum et Theologorum, hæres simpliciter, aut legatarius universalis, si usus fuerit beneficio inventarii, n. 191, non solum non tenetur solvere debita, onera et legata titulo particulari ultra vires hæreditatis, sed integras conservat actiones et obligationes, quas ipse habebat contra defunctum tanquam debitorem suum, art. 802.

2. Si vero hæres, aut legatarius universalis *usus non sit beneficio inventarii*, multiplici distinctione opus est in foro sive externo, sive interno.

1° *In foro externo*, quoad *hæredem purum* et *simplicem*, vel agitur de *debitis* et oneribus hæreditatis, vel de *legatis*.

Si prius, juxta omnes Jurisperitos, hæres illa *debita* et *onera* hujusmodi solvere debet etiam ultra vires hæreditatis. Talis enim hæres repræsentat personam defuncti; et ideo hujus debitis sicut et juribus succedit.

Si posterius, seu si questio sit de *legatis* particularibus, non inter se consentiunt Jurisperiti. Alii quippe putant quod talis hæres debet solvere legata titulo particulari, etiam ultra vires hæreditatis. Nam hæres simpliciter repræsentat personam defuncti, et ideo omnia in se suscepit hæreditatis onera. Aliunde id gravamen sibi imputare debet, cum recurrere neglexerit ad medium sibi a lege suppeditatum seu ad beneficium inventarii; dum legatarius titulo particulari, videns acceptationem simplicem, potuit sibi non consulere. Ita Delvincourt, Toullier, Duranton, Zachariæ, Aubry et Rau, Troplong, Demolombe, *Traité des Success.*, t. 2, n. 521, 522.

Alii vero Jurisperiti docent hæredem simpliciter non teneri ad solvenda legata ultra vires hæreditatis, modo tamen, ut supponunt omnes, bona successionis adhuc distincta permaneant a propriis bonis hæredis : tum quia legata non erant a defuncto debita, et ideo, qui repræsentat defuncti personam, non eo ipso in se suscepit illa legata; tum quia testator non potuit donare ultra id quod habebat, nec proinde hæredem suum gravare ultra id quod ei transmittit; tum denique quia art. de beneficio inventarii loquitur tantum de *debitis*, non autem de legatis, art. 802. Ita Toussaint, Demante, Bugnet, Mourlon, Marcadé, Valette, etc. Vide Demolombe, *ibid.*, p. 569.

An vero hæres purus et simplex, si sit simul reservatarius, nec sub inventarii beneficio hæreditatem acceptaverit, teneatur ad solvenda legata particularia, non prius sua reservatione deducta, controvertitur inter Jurisperitos; sed plerique negant. Vide Demolombe, *ibid.*, n. 523.

Quoad *legatarium universalem*, qui *solus* succedit, et ideo pleno jure *habet saisinam*, non minor est dissensio inter Jurisperitos. Alii affirmant illum legatarium, cum habeat saisinam, repræsentare personam defuncti, et ideo teneri ad solvenda debita, onera et legata, vel saltem debita et onera ultra vires hæreditatis. Ita auctores jam citati ubi de hærede puro et simplici; vide Demolombe, *Traité des donations entre vifs*, t. 4, n. 572.

Alii vero negant. Namque, ex Jure Romano, hæres a testatore institutus, repræsentabat personam defuncti : porro, in discussione novi juris, sic loquebantur oratores Gubernii : « Il faut, tout en laissant subsister la dénomination d'*institution d'héritier*, qui est en si grand usage, annoncer en même temps que tous *les effets attachés* par la loi romaine au titre *d'héritier* sont *entièrement effacés;* » ergo hæres a testatore institutus seu legatarius universalis, qui saisinam habet, in novo jure personam defuncti non repræsentat, sedhujus bonis tantum succedit. Ita Valette, Marcadé, etc.

2° *In foro interno*, latior est etiam controversia de quæstione præsenti, seu de *hærede simpliciter*, qui beneficio inventarii non usus est.

Alii enim asserunt, contra omnes Jurisperitos, hujusmodi hæredem non teneri solvere ipsa debita et multo minus legata, ultra vires hæreditatis : Ita Sanchez, Layman, Salmant., Billuart, Logerot. Siquidem lex in hoc casu nititur in sola præsumptione facti; id est, ideo hæredem cogit ad solvenda omnia debita et onera, quia præsumitur eum aliqua occultasse : porro lex fundata in præsumptione facti non obligat, deficiente facto, juxta omnes. Quod autem de lege, idipsum de sententia Judicis dicunt plures.

Alii, cum omnibus Jurisperitis, docent hæredem simpliciter teneri *debita* saltem et *onera* solvere etiam ultra vires hæreditatis, et ante sententiam Judicis. Ita Molina, de Lugo, Collet, Collat. Andeg., Receveur. Lex enim, de qua agitur, fundatur in præsumptione periculi; siquidem, secluso inventario, ordinarie non constat de viribus hæreditatis, et ideo, nisi lex statueretur modo absoluto, facile eluderetur,

et sic damnum inferretur creditoribus. Insuper hæres, adeundo pure et simpliciter hæreditatem, sese obligat *ex quasi-contractu* ad solutionem eorum, quæ a defuncto debentur, et ita confundit bona propria cum bonis hæreditariis, ut nullum discrimen inter ea admitti queat.

Quoad *legata* autem, Molina, de Lugo et plures alii illius sententiæ patroni, putant solvenda non esse ultra hæreditatis vires nisi post sententiam Judicis.

Alii demum affirmant hæredem ad nihil teneri ultra hæreditatis vires ante sententiam Judicis; postea autem teneri huic sententiæ obtemperare. Ita Haunoldus et quidam alii. Lex enim, de qua agitur, imposita est per modum pœnæ, ut ille, qui reus est, non teneatur eam subire, nisi post Judicis sententiam.

Quibus sic expositis, hæc pro foro conscientiæ nobis videntur. 1. *Hæres simpliciter* omnia *debita* et *onera* etiam ultra vires hæreditatis solvere tenetur saltem post sententiam Judicis, et etiam ante sententiam, si res sit per se clara et aperta, n. 26. Ita probabilius, cum omnibus Jurisperitis et pluribus recentioribus Theologis, inter quos Carrière, *de Justit.*, n. 136.

Legata autem particularia non tenetur ultra hæreditatis vires solvere hæres simpliciter. Ita probabilius cum plerisque recentioribus Jurisperitis et pluribus Theologis haud parvi nominis. Potest tamen legatarius titulo particulari suum legatum exigere coram Judice, si ei non constet, quod excedat hæreditatis vires.

2. Legatarius *universalis*, qui saisinam habet, non tenetur solvere debita, onera et legata ultra vires hæreditatis saltem ante sententiam Judicis. Ita probabilius cum plerisque recentioribus Jurisperitis.

197. — Scholium. *De executoribus testamentariis.* Aliquando testator, timens ne hæredes naturales, vel legatarii universales, aut titulo universali, suas dispositiones non satis fideliter executioni mandent, tradit illam curam aliquibus vel cuidam tantum, qui propterea dicitur *exsecutor testamentarius*. Ejus munera recensentur in art. 1031-1034.

NUMERUS III

De revocatione et caducitate Testamentorum.

198. — 1° *De revocatione testamenti.* Testamentum ut diximus, n. 117, ex natura sua revocabile est usque ad mortem testatoris, art. 895.

Hæc autem revocatio duplici modo fieri potest, scilicet, expresse vel tacite; *expresse* quidem, per testamentum *validum* posterius confectum, quo mutatio voluntatis testatoris exprimitur, art. 1035; *tacite* vero, per donationem, venditionem, permutationem, destructionem rei legatæ, aut quamlibet aliam dispositionem, qua manifestatur in testatore voluntatis mutatio, art. 1037.

Si revocatio non sit expressa, prius testamentum non censetur revocatum nisi pro his dispositionibus, quæ cum recentioribus conciliari non possunt, art. 1038.

Testamentum etiam revocatur aut potius fit revocabile seu rescindibile *ex facto legatarii :* 1. cum non exequitur conditiones sibi impositas, quas adimplere potest. 2. Si vitæ testatoris insidiatus fuerit, nec non si ei injuriam atrocem vel manus impias intulerit, art. 1046, 954 et 955; sed advertendum quod si rescissio testamenti fundetur in injuria testatoris memoriæ illata, intra annum a die delicti postulari debet, art. 1047.

199. — 2° *De caducitate testamenti.* Caducæ vocantur dispositiones testamentariæ, quæ, licet validæ sint a principio, exsecutionem tamen, ob quasdam circumstantias, sortiri non possunt. Vide art. 1039-1045.

§ V

De quibusdam Donationibus peculiaribus.

Agemus 1° de substitutionibus; 2° de partitionibus a patre, matre vel aliis ascendentibus in favorem suorum descendentium; 3° de donationibus in contractu matrimoniali, vel occasione matrimonii.

NUMERUS PRIMUS

De Substitutionibus.

Breviter expendemus notionem et species substitutionis, quænam sit permissa, quænam prohibita. Unde

200. — *Quæritur* 1° quid et quotuplex sit *substitutio?*

Resp. Substitutio in genere est *dispositio* qua *quis vocatur ad hæreditatem vel legatum in locum alterius.*

Duplex est, *directa* seu *vulgaris*, et *fideicommissaria.*

1. *Directa* substitutio est illa, qua quis vocatur ad hæreditatem consequendam loco alterius, qui eam adire *noluerit*, vel *non potuerit*, v. g. Joannes hæres esto; si Joannes hæres non erit, Petrus esto. Hæc igitur substitutio nihil aliud est quam donatio conditionata ex parte alicujus donatarii.

2. *Fideicommissaria* substitutio, quæ dicitur *fideicommissum*, est dispositio qua *quis proprietatem alicujus rei tradit alteri, cum onere eamdem tertio reddendi post aliquod tempus;* et est vel *universalis* vel *particularis*, prout hæreditatis totalitas aut quota pars, aut objectum quoddam determinatum donatur.

Itaque ad fideicommissum 1. tres saltem personæ requiruntur, nempe donator aut testator seu *disponens;* primus donatarius aut legatarius, qui rem accipit ut dominus et proprietarius, cum onere tamen eam *servandi* et postea tertio *reddendi*, et propterea dicitur *Fiduciarius, Gravatus*, le *Grevé;* secundus donatarius aut legatarius, qui eamdem rem accipere debet, impleto tempore præfixo, a disponente, et ideo vocatur *fideicommissarius, Vocatus, l'Appelé, le Substitué.*

2. Requiritur proinde aliquod tempus, intra quod Gravatus re fruitur ut dominus, quin tamen possit de ea disponere.

3. Tandem necesse est ut Gravatus fiat irrevocabiliter dominus, si Vocatus moritur ante tempus a disponente præfixum; ita ut illa donatio sit sub conditione resolutoria pro Gravato, et sub conditione suspensiva pro Vocato, quandiu durat illud tempus.

201. — *Quæritur* 2° quænam substitutio sit *permissa*, quænam *prohibita?*

Resp. 1. Substitutio *directa* per se est licita, et nullibi in Codice civili prohibetur; imo ex art. 898, talis donatio

vocari non debet substitutio; sicuti nec dispositio qua uni legatur ususfructus, alteri autem nuda proprietas, art. 899. Revera quædam substitutiones prohibentur quia circulationem bonorum impediunt : atqui, posita substitutione directa, bona data statim alteri remittuntur; ergo, etc.

Hinc, si quis, relinquendo hæredem vel instituendo legatarium, ulterutri secretas aperiat intentiones, ut illi eas post mortem testatoris statim adimpleant, adest substitutio quæ nullatenus prohibetur.

2. *Fideicommissum* permissum est coram lege civili, quando *non fit* cum onere rem Vocato reddendi nonnisi *post mortem Gravati;* v. g., Petrus 1000 francos donat Paulo, cum onere iis utendi per decem annos, et, his elapsis, reddendi Joanni : talis substitutio non est a lege civili prohibita, juxta omnes jurisperitos, eo quod non sit usque ad mortem Gravati. Revera in hoc casu non est proprie substitutio, sed donatio simpliciter conditionata, nec secum trahit incommoda fideicommissi usque ad mortem primi donatarii.

3. *Fideicommissum prohibitum* est a *a lege civili,* quando *fit* cum onere rem Vocato non reddendi *nisi post mortem Gravati,* art. 896, exceptis duobus casibus.

Equidem hic articulus non expresse enuntiat conditionem mortis Gravati; sed hoc colligitur ex prævia discussione legis, ex hujus motivis, et ex consensu omnium Jurisperitorum. In hoc casu non solum irritatur substitutio, sed et ipsa donatio, adeo ut Gravatus ipse rem retinere non possit, alioquin timendum fuisset, ne Gravatus se adstrictum crederet ad rem transmittendam Vocato; aliunde in tali dispositione non satis agnoscitur cuinam, utrum priori, utrum posteriori, favere potissimum intenderit donator.

In foro conscientiæ, idem dicendum est de fideicommisso a lege prohibito, ac de donatione, aut testamento forma legali destituto, n. 184.

Scilicet, fideicommissum fuit prohibitum tanquam bonorum culturæ et circulationi nocivum, et multarum litium dans originem; et ideo obligat saltem post sententiam Judicis, utpote fundatum in motivo boni publici. At verius

est dicere cum multis legem illam ex sociali perturbationis genio ortam esse ac perdurare; et ideo huc redeunt controversiæ et conclusiones jam propositæ n. 152, 153. Unde illa prohibitio obligat tantum post Judicis sententiam; et fideicommissum, si fiat per donationem manualem, non cadit sub illa prohibitione; cum ex dictis, n. 164, donatio manualis nulli formalitati legali subjiciatur, atque per se sanctioni legis civilis se subtrahat.

Si fiat fideicommissum in bona opera, idem dicendum est ac de donationibus ad pias causas forma legali destitutis, n. 186. Eædem enim sunt rationes pro utroque casu.

Nec prohibetur substitutio per modum deprecationis aut desiderii, v. g., si alicui dicas : Eris meus hæres aut legatarius; verum tamen *rogo, deprecor,* vel *cupio, desidero, suadeo* ut res tibi data post tuam mortem Paulo tradatur. » Sic judicavit Curia Bruxellensis, 4 apr. 1867, cujus judicium infirmare recusavit Curia suprema. Ad fideicommissum enim proprie dictum requiritur stricta et rigorosa obligatio bona data servandi et deinceps alteri transmittendi.

Cæterum, cum maximam auctoritatem habeant Tribunalia in actuum interpretationem, et facile ea utantur ad irritandas præsertim dispositiones factas *in bona opera,* plurimi interest ut maxima libertas relinquatur donatario aut legatario, neque iis imponatur onus unde deduci possit existentia substitutionis : ideo, ne donatoris aut testatoris spem fallant, magna cura seligendi sunt.

202. — Dixi : *exceptis duobus casibus,* qui enuntiantur art. 897, 1048-50. Scilicet, fideicommissum etiam cum onere rem Vocato non reddendi nisi *post mortem Gravati,* permissum est a lege civili, 1. quando *disponens* est *pater* aut *mater,* et Vocati sunt filii nati aut nascituri *Gravati.* 2. Quando *disponens* est *frater* aut *soror Gravati,* et Vocati sunt *omnes* filii nati aut nascituri *Gravati,* dum disponens moriatur sine filiis.

Talem substitutionem probat lex civilis in gratiam liberorum, qui a patre dissipatore orti metuendum haberent, ne ad statum miseriæ redigerentur. Hæc substitutio non

attingit, ut patet, nisi portionem disponibilem. Ejus effectus determinantur in Codice, art. 1051-1074.

NUMERUS II

De Partitionibus a patre, a matre aut aliis ascendentibus in gratiam descendentium.

203. — Ad præcavendas lites, quas sæpe sæpius trahit partitio successionis, lex concedit ascendentibus ut, dum vivunt, possint sua bona inter suos hæredes partiri, art. 1075 et seq.

Porro actus, quo fit partitio, non est donatio, nec testamentum, seu descendentes non accipiunt portiones ut donationes aut legata, sed ut mera partitio seu successio anticipata. Quum tamen fieri debeat in forma testamenti aut donationis, inde sequitur, 1. quoad *formam*, illam partitionem subjici *formis, regulis* et *conditionibus testamenti* aut *donationis;* 2. quoad *effectus,* subjici regulis successionis ab intestato, quibusdam exceptis. Scilicet, si partitio facta fuerit per testamentum, singuli participantes tenentur de debitis, quemadmodum in successionibus ordinariis; si facta fuerit per donationem inter vivos, non tenentur de debitis contractis post partitionem, art. 945.

Partitiones hujusmodi bono et concordiæ familiarum favent atque omnino consulendæ sunt. Caveant tamen parentes ne usufructu se spolient, atque a mera liberalitate filiorum haut raro ingratorum ad sustentationem erogandam sese reducant.

NUMERUS III

De Donationibus quæ fiunt in contractu matrimoniali vel occasione Matrimonii.

Propter favorem matrimonii, donationes quæ fiunt in gratiam sponsorum, vel inter sponsos, regulis specialibus minus strictis quam aliæ donationes, subjacent, variasque stipulationes admittunt, quæ in cæteris donationibus omnino reprobantur. De his donationibus pauca dicemus.

204. — I. *De donationibus, quæ a tertia persona fiunt Sponsis in contractu matrimoniali.*

1° Hæ donationes non subjiciuntur solemnitati acceptationis, sed sufficit acceptatio tacita; in favorem nondum concepti fieri possunt; pro objecto possunt habere bonum futurum; valent etiam sub conditione potestativa ex parte donatoris; non revocantur ob ingratitudinem, cum censeantur factæ in gratiam non solum sponsorum, sed et liberorum; caducæ fiunt, si donator donatario ejusque liberis superstes fuerit. Vide art. 1084 et seq.

205. — II. *De donationibus Sponsorum inter se in contractu matrimoniali, vel durante matrimonio.*

1° Donationes, quæ fiunt *inter sponsos in contractu matrimoniali,* iisdem subjiciuntur regulis ac illæ, quæ fiunt a tertia persona sponsis in eodem contractu, quibusdam tamen exceptis. Scilicet, 1. hujusmodi donationes non revocantur ob supervenientiam filiorum, art. 960; nam prolis legitimæ nativitas in primis intenditur a contrahentibus. 2. Donatio bonorum *præsentium* non censetur facta sub conditione, quod donatarius superstes fuerit. 3. Donatio bonorum *futurorum*, vel *præsentium simul et futurorum*, caduca fit, si donatarius moriatur ante donatorem; hæc enim bona filiis obvenient in successione. 4. Non requiritur, ut sponsi sint majores, sed sufficit habilitas ad nuptias, et assistentia illorum, quorum consensus ad Matrimonium necessarius est.

2° Donationes *inter sponsos durante matrimonio* factæ, sunt essentialiter revocabiles, et prorsus nullæ, si sint reciprocæ in eodem actu; subjiciuntur solemnitati acceptationis; et fiunt caducæ, si præmoriatur donatarius. Attamen, cum donatario conferant jus verum, etsi revocabile, assimilantur donationibus pro effectibus et formalitatibus ordinariis.

Quoad quantitatem disponibilem inter sponsos, in contractu matrimoniali, vel durante matrimonio, varia est pro triplici hypothesi. Scilicet 1. si descendentes habeat tantum *ex sponso cui donare intendit,* donare potest *quartam* partem quoad proprietatem et *quartam* partem quoad usumfructum, vel *dimidiam* quoad usumfructum; art. 1094.

2. Si autem descendentes habet *ex priori matrimonio*, non potest donare sponso nisi partem æqualem parti filii legitimi minus capientis; et nunquam ultra quadrantem hæreditatis suæ, art. 1098. Si vero ascendentes tantum habeat, sponso donare potest *portionem disponibilem* quoad proprietatem, et præterea usumfructum residui bonorum quæ ad descendentes pertinent titulo reservationis, art. 1094.

Ut efficacius serventur illæ regulæ, lex irritam declarat, saltem quoad partem non disponibilem, omnem donationem inter sponsos, sive fiat per simulationem contractus onerosi, sive per interpositionem personarum, art. 1099; atque tanquam interpositos *pleno jure* reputat tum liberos, ex altero matrimonio procreatos, tum propinquos quorum sponsus donatarius erat proximus hæres tempore donationis, etiamsi revera illorum hæres non fuerit, art. 1100.

Quibus restrictionibus legislator impedire voluit, ne sponsi mutuo amore se invicem spolient, profusa erga se liberalitate, neve concordia maritalis pretio emi videatur, aut præbeatur rixis occasio, si non donet is qui possidet.

ARTICULUS III

De Commodato et Mutuo gratuito.

Duo illi contractus inter se sunt maxime affines, atque inter se conveniunt si spectentur in natura sua, etsi discrepent ex parte objecti. De unoquoque breviter dicemus; nulla enim specialis excutienda occurrit difficultas in hisce conventionibus.

§ I

De Commodato.

Tria hic expendenda sunt, nempe notio commodati, obligationes sive commodatarii, sive commodantis. Itaque

206. — *Quæritur* 1° quid sit *commodatum?*

Resp. Commodatum est contractus, quo *res alteri gratis conceditur ad solum usum, ea lege, ut eadem in individuo reddatur post certum tempus.*

Dicitur 1 : *res*, sive fungibilis, sive non fungibilis, modo

sit in commercio, art. 1778. Si sit enim fungibilis seu consumptibilis ex natura sua, potest tamen commodari ad pompam, ad ostentionem, etc. Vide Tract. *de Justitia*, n. 21.

Dicitur 2 : *gratis conceditur*, et in hoc commodatum differt a locatione, in qua pretium seu merces datur pro usu rei.

Dicitur 3 : *ad solum usum, ea lege, ut eadem in individuo reddatur;* quibus significatur discrimen inter commodatum et mutuum gratuitum; in hoc enim res datur ad consummationem, et ideo eadem in individuo reddi non debet, sed in æquivalenti.

Dicitur 4 : *post certum tempus*, in hoc differt commodatum a precario, quod est ad arbitrium concedentis revocabile. Ex illa notione facile deducuntur obligationes et jura sive commodatarii, sive commodantis.

207. — *Quæritur* 2° quænam sint *obligationes commodatarii?*

1° *Quoad conservationem :* Commodatarius tenetur, ex jure naturali, invigilare tanquam bonus et diligens paterfamilias custodiæ et conservationi rei commodatæ, et impensas omnes ad hoc necessarias opportune peragere. Unde, cum contractus ille sit in gratiam solius accipientis, iste de culpis levioribus, saltem in foro externo tenetur. Imo pluribus in casibus etiam casus fortuitos præstabit, nempe : 1. si res perierit in alio usu, quam qui expresse vel implicite determinatus fuerat; 2. si casus fortuitos in se susceperit expresse vel tacite : porro conventio hujusmodi præsumitur, si res æstimata fuerit quando commodata est, art. 1881. Attamen æstimatio non facit venditionem, ideoque res ipsa, si exstat, semper est restituenda. Extra hos casus, *res perit commodanti*, quia in hocce contractu non transfertur dominium, art. 1884; et hoc verum est, etiamsi res peritura non fuisset apud dominium.

2° *Quoad usum :* non licet commodatario rem adhibere ad alios usus, quam qui expresse vel implicite determinantur; nec ei licet *præsumere* consensum domini, saltem ad usum periculosiorem, vel ex quo major secutura est dete-

rioratio. Si vero res deteriorationem aliquam patiatur *ex ipso usu* propter quem commodata est, et absque ulla culpa commodatarii, iste non tenetur damnum compensare, art. 1884; secus erit, si res deterior facta sit culpa commodatarii : porro, juxta plures, ut culpabilis habetur usus, quando propriis rebus commodatarius uti potuisset.

3° *Quoad restitutionem rei :* commodatarius tenetur rem restituere tempore præfixo; vel si tempus præfixum non fuerit, statim post usum ad quem commodata fuit, art. 1888. Elapso autem illo termino, constituitur in mora, et quidem ipso facto, quia in hoc casu *dies pro homine interpellat;* ac proinde obligari poterit ad damna reparanda, et etiam sæpe ad casum fortuitum præstandum. Attamen, in foro interno, admitti possunt causæ excusantes ad tempus a restitutione; sed non admittitur, saltem in foro externo, jus retinendi rem commodatam in compensationem debiti commodantis, secus esset, juxta plures, si pro re perdita pretium solum a commodatario solvendum esset, art. 1885; tum enim, aiunt, adessent conditiones compensationis legalis.

208. — *Quæritur* 3° quænam sint *obligationes commodantis?*

Resp. Obligationes commodantis aliæ sunt *negativæ* et aliæ *positivæ*.

1° Obligatio *negativa* ea est, qua commodans non potest rem commodatam repetere ante tempus conventum; aut, deficiente conventione, antequam commodatarius ea usus fuerit. art. 1888. Nam 1. juxta axioma juris, *Non oportet nos beneficio decipi, sed juvari;* 2. commodatarius jus re utendi usque ad tempus conventum vi pacti acquisivit. Quare si commodans, absque causa, rem ante tempus repetat, tenebitur de damno quod commodatarius pati poterit.

Aliud tamen dicendum si, intra tempus conventum, superveniat commodanti necessitas *urgens et inopinata* rei suæ; tunc enim Judici licet, attentis circumstantiis, commodatarium ad restitutionem rei commodatæ cogere, art. 1889; quia censetur in eo casu *subintellecta* conditio resolutoria. Dicitur tamen *urgens* et *inopinata* necessitas;

alioquin vel non erit ratio sufficiens contractum violandi, vel censetur commodans *prævisam* necessitate in se sponte suscepisse.

Insuper, opere perfecto, vel transacta necessitate commodatarii ante tempus præfixum, commodans posset rem repetere.

Tandem potest commodans, in utroque foro, rem repetere, si avertat commodatarium ita illius curam negligere, ut vel interitui, vel maximæ deteriorationi sit obnoxia.

2° Obligatio *positiva* commodantis duplex est : 1. restituere debet omnes expensas *extraordinarias* et *urgentes*, quas in re conservanda commodatarius fecit, art. 1890; et illud debitum est personale, non reale, id est, existit etiamsi res commodata perierit, nec derelictione rei tolli potest. Attamen, si non fuerit a commodatario monitus, cum moneri potuisset, tunc non semper tenebitur ad omnes impensas etiam necessarias, sed commodatarium ut simplicem negotiorum *gestorem* habere poterit, art. 1372. Et vero monitio, quando possibilis est, requiritur, quia commodans forte nollet rem suam cum tantis impensis servare.

2. Si res commodata vitia quædam nociva et occulta habeat, et ea commodans scienter tacuerit, cuncta damna inde commodatario exsurgentia resarcire tenebitur in utroque foro, 1891 : sed requiritur etiam in foro externo, ut vitia illa ipse cognoverit, et in hoc assimilatur damnificatori. A fortiori ad reparationem tenebitur, si ex dolo et cum intentione nocendi rem alienam commodaverit; scilicet, ut commodatarius propter evictionem a domino faciendam detrimentum patiatur.

Nota. Hæ obligationes mutuæ commodantis et commodatarii generatim transeunt ad eorum hæredes. Attamen si solius commodatarii personæ gratia commodata res fuerit, ejus hæredes ea uti non possunt, art. 1879. Hæc autem intentio commodantis ex circumstantiis colligenda erit.

Cæterum, huic contractui utpote multipliciter hominibus utili maxime est favendum, ideoque non permittendum ut res commodata sub quocunque prætextu retineatur,

§ II

De Mutuo gratuito.

Dicemus de mutui gratuiti notione, et de obligationibus sive mutuatarii, sive mutuantis.

209. — *Quæritur* 1° quid sit *mutuum gratuitum?*

Resp. Mutuum gratuitum est contractus, quo *res fungibilis alteri gratis conceditur ad consummationis usum, ea lege ut alia ejusdem speciei, quantitatis et qualitatis reddatur, post certum tempus.*

Dicitur 1 : *res fungibilis*, v. g., vinum, oleum, pecunia; cum enim mutuum fiat ad consummationis usum, ejus objectum debet esse res usu consumptibilis seu fungibilis.

Dicitur 2 : *gratis conceditur*, in hoc differt a mutuo oneroso seu cum usura, de quo dicemus in secundo capite.

Dicitur 3 : *ad consummationis usum;* in hoc mutuum differt a commodato, a deposito, etc.; in mutuo enim res datur ad distractionem et consumptionem, qua fit ut res pereat.

Duplex est autem consumptio, alia *physica* seu naturalis, cum res usu physice destruitur, ut oleum, vinum, frumentum; alia *moralis* seu civilis, cum res non quidem physice destruitur, sed alienatur, et ejus transfertur dominium, v. g., qui alteri mutuat pecuniam, eo ipso transfert illi in hanc pecuniam dominium, ita ut hæc pecunia sit moraliter consumpta respectu mutuantis.

Dicitur 4 : *ea lege, ut alia res ejusdem speciei, quantitatis et qualitatis reddatur;* quibus mutuum differt tum a donatione, in qua nulla est restituendi obligatio; tum a commodato et locatione, in quibus res eadem physice et in individuo reddi debet; tum a permutatione et venditione, in qua res similis non rependitur, sed alia.

Dicitur 5 : *post certum tempus*, alioquin deesset ratio contractus incundi, vel fieret merum cambium, in quo, v. g., moneta argentea pro aurea hic et nunc datur. Ex illa notione sponte consequuntur obligationes sive mutuarii, sive mutuantis.

210. — *Quæritur* 2° quænam sint obligationes mutuatarii?

Resp. Ex ipsa definitione mutui, mutuatarius tenetur *restituere* et quidem *tempore debito, rem similem seu ejusdem speciei, quantitatis et qualitatis.*

1° Quoad *restitutionem ipsam*, mutuatarius ad eam tenetur *absolute*, nec liberatur, donec mutuator mutuum receperit vel per se, vel per alium ab ipso aut a Judice designatum, unde si res quolibet casu ante hanc receptionem vel consignationem perierit, mutuatario perit, qui hujus dominium servat.

2° Quoad *tempus restitutionis* faciendæ, vel illud fuit præfixum, vel non : si *prius*, mutuatarius 1. *terminum non potest excedere*, nisi restitutio moraliter impossibilis evaserit. Tunc enim poterit, etiam in foro externo, obtinere a Judice dilationem, art. 1244, sub onere tamen compensationis, si qua debita probetur. 2. *Non potest cogi ad restitutionem ante illud tempus*, nisi in casu art. 1188, quando scilicet in decoctionem venit, *en faillite ou en déconfiture*, vel pignus creditori datum facto suo imminuit. Utriusque ratio est obvia. 3. *Potest tempus prævenire, nisi constet* terminum fuisse etiam in gratiam creditoris præfixum.

Si *posterius*, id est, si tempus non fuerit præfixum, tunc ex jure tum naturali, tum civili, mutuatarius debet rem sponte restituere, quando amplius ea non indiget; vel saltem ad petitionem creditoris, modo sufficienti tempore rem detinuerit, ut inutile non censeatur mutuum; aut nisi talibus in circumstantiis petitio fiat, ut mutuum exinde mutuatario noxium evasurum sit.

3° Quoad *speciem restituendam*, res mutuata aliquando in eadem specie physica reddi debet, aliquando in eadem specie morali tantum.

Scilicet, res sunt ejusdem speciei *physice*, quando sunt ejusdem naturæ et usus, v. g., duo equi, duæ tritici mensuræ. Res autem eadem sunt *specie morali*, quando licet diversæ naturæ, eumdem tamen usum habent, et una pro altera indifferenter accipitur, v. g., moneta aurea et moneta argentea. Unde omnes res mutuo datæ, excepta pe-

cunia numerata, v. g., vinum, oleum et etiam massula auri et argenti, sicut dicunt, *argent en lingots*, restituendæ sunt *in eadem specie physica :* sic oleum pro oleo, vinum pro vino præstatur; alioquin redderetur res omnino dissimilis, quod est contra essentiam mutui.

Pecunia autem *in eadem specie morali* reddi potest, si *contrarium non fuerit stipulatum;* quia in pecunia solus attenditur valor, qui idem obtineri potest in monetis specie physica diversis.

Dixi tamen : *si contrarium non fuerit stipulatum;* nam mutuans sufficientes potest habere rationes stipulandi ut eadem monetæ species physica sibi reddatur, v. g., aurum, quod facilius abscondet vel transferet. Pariter si speret fore ut valor monetæ, quam tradit, crescat, modo tamen illam conservaturus fuisset.

4° Quoad *quantitatem* et *qualitatem* seu bonitatem, vel agitur de *mercibus*, vel de *pecunia numerata*.

1. Si *agatur de mercibus*, non sufficit ut res similis in eadem specie reddatur, *sed in ea æqualis gradus bonitatis intrinsecæ exigitur*, alioquin mutuans non reciperet, quod revera dedit. Videtur convenienter determinari non posse bonitatis æqualitas, nisi comparatione rerum inter se; sed quia difficile sæpe fieret talis æstimatio, vel adimpleretur conditio, *ordinarie* determinatur ex valore rei *relativa ad alias res ejusdem speciei*, tempore quo mutuata fuit et tempore quo redditur, vel reddenda est. Sic eadem reputatur *qualitas*, si, v. g., pro tritico quod *summo pretio* tempore mutui venumdabatur, reddatur triticum quod tempore restitutionis *summo pretio* venditur, licet inæquale sit illud pretium. Unde valor rei seu bonitatis extrinseca hic adhibetur non ut æquivalens rei, sed ut medium æstimandæ ejus qualitatis.

Item *quantitas eadem reddenda est et sufficit*, quamvis mutata fuerit bonis rerum *extrinseca*, seu pretium et æstimatio. Hinc, si centum cori tritici anno proxime elapso traditi fuerunt, centum ejusdem bonitatis relativæ hoc anno restituendi sunt, licet, ob raritatem, singuli cori duplo vendantur; licet, ob abundantiam frugum, minoris sint pretii.

Quid vero, si mutuatarius inculpate versetur in impossibilitate restituendi rem similis qualitatis et quantitatis?

Juxta omnes restituere debet rei mutuatæ valorem seu æstimationem. Quod si res varium valorem habuerit, tunc vel adfuit culpa debitoris, vel non. Si *prius*, non omnino concordant Jurisperiti. Sed in foro conscientiæ hæc statui posse videntur, juxta Carrière : 1. æstimatio rei desumenda est ex eo tempore, quo solutio fieri debuit. 2. Compensanda sunt insuper damna quæ patitur creditor, culpa debitoris; n. 81, 82. 3. Si debitor fructum perceperit ex augmento valoris, applicanda sunt quæ diximus, in Tract. *de Justitia*, n. 214.

Si *posterius*, id est, si absque culpa sua impotens fiat mutuatarius, sic statuit Codex civ., art. 1902 : si conventio inita fuerit de tempore et loco restitutionis, habenda est ratio valoris, quem res habet *eo tempore et loco;* si vero nihil determinatum fuerit, habetur ratio temporis et loci, quibus mutuum *initum* est. Ratio prioris statuti per se est satis aperta; per posteriorem autem dispositionem voluit legislator præcavere ne mutuans rem repeteret tempore maximi valoris, vel mutuatarius offerret compensationem tempore valoris minimi.

2. *Si agatur de pecunia numerata*, ratio habetur *seclusa speciali conventione, solius valoris extrinseci :* unde reddendi erunt plures nummi ejusdem *ponderis*, si interim legalis eorum valor auctoritate publica fuerit imminutus; pauciores vero, si valor fuerit auctus : nam ubi de pecunia numeraria agitur, magis valor extrinsecus attenditur, quam *entitas physica;* ita art. 1895.

211. — *Quæritur* 3° quænam sint *obligationes mutuantis?*

Resp. Tenetur mutuans 1. *aperire vitia rei mutuatæ*, sicuti commodatarius rei commodatæ, et eadem ratione, art. 1891.

2. *Rem non repetere ante tempus conventum;* nec ei ad hoc conceduntur privilegia commodantis, n. 208; ita art. 1899 et seq. Ratio est quia difficilius ordinarie a mu-

tuario res similis reddi posset, quam res ipsa a commodatario, apud quem semper remanet.

3. *Nihil exigere ultra sortem*, seu ultra rem mutuatam nisi adsit aliquis titulus specialis, diversus ab ipso mutuo. Itaque mutuum est *ex natura sua* gratuitum; unde, ut fiat onerosum, conventio expressa exigitur. Quandonam autem hujusmodi conventio sit licita, infra expendemus.

213. — *Nota.* Utrum mutuum sit aliquando de præcepto, neminem id latere potest, inquit Benedictus XIV, *Vix pervenit*, § 3, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri sucurrere, ipso præsertim Domino edocente : *Volenti mutuari a te ne avertaris.* Quandonam autem urgeat illud præceptum, sive erga pauperes, sive etiam erga divites, expenditur in Tract. *de Decalog.*

ARTICULUS IV

De Deposito, Mandato et negotiorum Gestione.

In donationibus *res ipsas*, in commodatis vero aliquem *rerum usum*, non ipsas res, gratis concedimus, In hisce autem tribus contractibus, *curæ et operæ personales* gratis tribuuntur alicui, ad res ipsius custodiendas negotiave gerenda; de singulis totidem paragraphis dicemus.

§ I

De Deposito.

Depositum est, ait Ulpianus, *quod custodiendum alicui datum est;* eo nomine designantur et res ipsa quæ custodienda traditur, et ipsa conventio qua datur. Duplex distinguitur : *depositum simplex*, quo res possessa a domino alicui committitur; et *sequestrum*, quo litigiosa res custodienda trahitur usque ad solutionem litis. De utroque seorsim agendum.

NUMERUS PRIMUS

De Deposito proprie dicto.

213. — *Quæritur* quid sit depositum et quotuplex?

Resp. Depositum proprie dictum, est *contractus re per-*

fectus, quo res mobilis alicui gratis custodienda traditur, et ad hoc suscipitur ut quandocunque deponenti placuerit, eadem restituatur.

Dicitur 1 : *re perfectus;* quia hic contractus non perficitur nisi traditione rei.

Dicitur 2 : *quo res mobilis;* nonnisi enim res mobiles possunt esse materia depositi, art. 1916; quoad eas enim solas verificari potest finis hujus contractus.

Dicitur 3 : *gratis*, quia si intervenerit merces, esset locatio operæ; attamen de aliqua mercede stipulari potest, ita ut depositum sit *naturaliter* quidem, non vero *essentialiter* gratuitum, art. 1917, 1928.

Dicitur 4 : *custodienda traditur;* in hoc designatur finis specialis et proprie dictus, sine quo non esset depositum.

Dicitur 5 : *et ad hoc suscipitur;* quia ut contractus perficiatur, non sufficit ut res tradatur a deponente; præterea requiritur ut depositarius *significet se ejus custodiam suscipere;* nisi forte ex officio teneatur eam custodire, ut sunt caupones stabularii, etc.; nam sufficit, istis videntibus, rem in illorum domo deponi.

Dicitur 6 : *ut quandocunque deponenti placuerit, res restituatur;* quia deponens rem depositam repetere potest quandocunque voluerit, cum depositum in ejus utilitatem fiat.

Dicitur 7 : *eadem restituatur*, quia res ipsa in individuo restitui debet, nec sufficeret, *saltem ordinarie*, eam reddi in eodem genere, eadem quantitate et qualitate.

Depositum proprie dictum duplex est, *voluntarium* scilicet et *necessarium*. De utroque breviter dicendum est.

PUNCTUM PRIMUM

De Deposito voluntario.

Depositum voluntarium illud est *quod perficitur mutuo et expresso consensu deponentis et depositarii*, art. 1921. Tria circa illud quæruntur : inter quas personas fieri possit; quænam sint obligationes depositarii; quænam sint obligationes deponentis.

214. — *Quæritur* 1° inter quas personas depositum fieri possit?

Resp. 1. *Regulariter depositum fieri non potest nisi a domino rei depositæ, vel de ejus consensu expresso aut tacito*, art. 1922. Attamen si fiat depositum rei alienæ, valebit; sed dominus rem poterit repetere.

2. *Depositum inter personas habiles ad contrahendum fieri debet.* Nihilominus, si quis habilis ad contrahendum depositum accipiat ab eo qui est inhabilis, cunctas veri depositarii obligationes in se suscipit, art. 1925; contra, si quis inhabilis ad contrahendum depositum accipiat ab eo qui habilis est, deponens potest tantum vindicare rem depositam, quandiu existit apud depositarium; vel ad restitutionem agere, inquantum depositarius ex re deposita locupletior factus est, art. 1926.

215. — *Quæritur* 2° quænam sint *obligationes depositarii?*

Resp. Obligationes illæ ad tria referuntur, nempe, ad custodiam rei, ad ejusdem usum, ad ejus restitutionem.

1° *Quoad custodiam rei*, depositarius *rem depositam servare et custodire debet ea cura, quam in rebus propriis adhibere solet*, art. 1927. Strictius tamen tenetur, 1, si semetipsum obtulerit ad suscipiendum depositum; 2. si mercedem pro custodia stipulatus fuerit; 3. si propter utilitatem solius depositarii depositum locum habuerit: 4. si depositarius omnem culpam in se ultro susceperit, art. 1928. Sed nullo in casu de vi majori tenetur, nisi sit in mora rem depositam restituendi, art. 1929.

2° *Quoad usum*, depositarius *uti non potest re deposita sine consensu domini expresso, vel saltem rationabiliter præsumpto*, art. 1930. Porro, secundum multos domini consensus rationabiliter præsumitur circa usum pecuniæ numeratæ depositæ, cum traditur sacculo non clauso, vel non obsignato, nec alio indicio deponens ostendit se utendi facultatem depositario negare, modo iste sit moraliter certus se eam soluturum ut primum exigetur. Quod si dominus usum concedat rei depositæ, tum depositum transit in mutuum, si res deposita sit primo usu consumptibilis aut

alienata; et si talis non sit, in commodatum, si gratis ejus usus concedatur, aut in locationem, si pretium exigatur.

3° *Quoad restitutionem*, 1. depositarius *tenetur rem depositam restituere deponenti vel ejus hæredibus, vel ei cujus nomine res deposita est, vel tertio ad illam accipiendam designato*, art. 1937, 1939, 1940, et 1941, nisi agnoscant et probare possit eam esse suam, art. 936, vel illam esse furtivam. Nam in priori casu, cessant omnes obligationes depositarii; in posteriori, depositarius monere debet dominum rei depositæ, ut illam intra tempus certum et sufficiens reposcat; si autem iste non repetat, vere liberabitur depositarius per traditionem rei depositæ erga illum qui eam deposuerat, art. 1938, monendo ut domino restituat.

2. Depositarius *rem depositam restituere debet in statu quo reperitur tempore restitutionis, facto suo non deterioratam* art. 1933, *cum fructibus ex ea perceptis*, si adsint; art. 1936, et *loco ubi depositum locum habuit*, art. 1943, nisi alius designatus fuisset in contractu depositi : quo casu teneretur depositarius rem depositam, expensis deponentis, in locum designatum afferre, art. 1942.

3. Ut jam diximus, depositarius *rem depositam restituere debet statim ac repetitur*, etiamsi aliquod tempus designatum fuerit ad restitutionem, art. 1944, nisi sint motiva legitima restitutionem differendi, v. g., si depositarius juridice prohibitus fuerit rem depositam restituendi, ibid., vel si deponens in suum vel aliorum damnum reposcat depositum,

216. — *Quæritur* 5° quænam sint *obligationes deponentis?* *Resp.* Deponens tenetur depositario restituere (omnes sumptus) quos fecit in re deposita, eumque indemnem facere pro omni detrimento, quod ei obvenit occasione depositi, art. 1947; imo depositario licet rem depositam retinere, donec integram indemnitatem acceperit, art. 1948.

PUNCTUM II

De Deposito necessario.

217. — Depositum *necessarium* ita dicitur, quia non *omnino sponte* eligitur depositarius. Fit autem duplici casu :

1° In casu incendii, vel ruinæ, vel naufragii, art. 1949, et tunc vocatur depositum *miserabile*.

Quoad hujusmodi depositum, probatio testimonialis admittitur, etiam pro rebus 150 francos excedentibus, art. 1550; cujus ratio est quod in tali calamitate, deponens titulum scriptum exigere non potuerit. Sed in cæteris, huic deposito applicandæ sunt regulæ supradictæ, art. 1951.

2° Quando *a viatoribus* quædam objecta committuntur *cauponibus* aut *eorum famulis*, *stabulariis*, *nautis*, et similibus, quales sunt qui gallice dicuntur *logeurs en garni*, *baigneurs publics*, *teneurs de billards et de cafés*, *restaurateurs*, depositum *habetur ut necessarium*, et isti tenentur de furto vel alio quocunque detrimento rerum ad viatores pertinentium, sive furtum et damnum domesticos auctores habuerit, sive extraneos, art. 1953. Sed vi majori non tenentur, art. 1954. Porro illæ legis dispositiones respiciunt objecta non solum expresse commissa, sed et simpliciter illata in domum, art. 1952, modo tamen viator probet ea fuisse illata, et ostendat quisnam sit eorum valor. Admittitur autem, et in hoc secundo casu, probatio testimonialis, quia moraliter impossibilis esset habere scriptam.

NUMERUS II

De Sequestro.

218. — Sequestrum est contractus *quo res, de qua est controversia, alteri tertio custodienda traditur, eo fine ut postea reddatur ei qui vicerit.*

Sequestrum est duplex, conventionale et judiciarium.

Quæ sequestrum conventionale spectant, determinantur in art. 1557, 1928, 1959, 1960. Quæ vero ad sequestrum judiciarium pertinent, statuuntur art. 544, 597, 681, 1961-63.

§ II

De Mandato.

Dicemus 1° de natura mandati, 2° de obligationibus mandatarii et mandantis, 3° de solutione mandati.

219. — *Quæritur* 1° quid sit *mandatum*, et quotuplex *ejus species?*

Resp. 1° Mandatum est *contractus solo consensu constans, quo negotium aliquod alicui gratuito gerendum committitur et ab ipso suscipitur;* art. 1984.

Dicitur 1 : *solo consensu constans;* quia in hoc contractu nihil requiritur præter consensum : in quo differt tum a mutuo, commodato, deposito, etc., quæ non perficiuntur nisi traditione rei; tum donatione inter vivos, et aliis contractibus solemnibus, in quibus certæ formalitates sub pœna nullitatis observari debent.

Dicitur 2 : *quo negotium committitur;* quia si quis negotium non committat, sed aliquem hominem simpliciter commendet, non inducitur mandati obligatio.

Dicitur 3 : *et suscipitur;* quia mandatum non contrahitur nisi per acceptationem madatarii, art. 1984; sed hæc acceptatio tacita esse potest, et aliquando ex mandati exsecutione inducitur, art. 1985.

Dicitur 4 : *gratuito gerendum;* quia mandatum natura sua gratuitum est, et si pretio suscipiatur, est potius locatio operæ. Sequitur tamen ex art. 1986, quod merces ex stipulatione intervenire potest in mandato.

2° Plures species mandati distingui possunt. 1. Aliud est in *ordine civili,* de quo hic agitur; aliud in *ordine commerciali,* quod dicitur *contrat de commission,* et de quo agitur art. 91 et seq. Cod. comm. Isti sunt hæc peculiaria : 1. non requiritur ut mandatarius agat nomine mandantis; 2. gratuitum non est, nisi specialis conventio interfuerit, sed debetur honorarium lege aut consuetudine determinatum; 3. potest esse tacitum.

2. Mandatum aliud est *speciale,* aliud *generale.* Speciale unum negotium, vel quædam tantum negotia spectat; generale cuncta negotia mandantis amplectitur, art. 1987. Attamen mandatum generale ad solos actus administrationis pertinet; ad alienationem enim, vel hypothecam concedendam, et ad alios quoscunque actus dominii, mandatum expressum seu speciale requiritur, art. 1988.

220. — *Nota.* Uxores et minores emancipati mandatum quodcumque accipere possunt; sed mandans in mandata-

rium minorem actionem non habet, nisi juxta regulas quæ minorum obligationes spectant; nec in uxores quæ mandatum acceptaverunt absque mariti consensu, nisi juxta regulas in titulo Codicis de *Contractu matrim.* positas, art. 1990.

221. — *Quæritur* 2° quænam sint *obligationes mandatarii? Resp.* Ad tres reducuntur. 1. *Mandatarius tenetur implere mandatum quod acceptavit*, quandiu illud retinet, imo et post mortem mandantis, si sit periculum in mora, art. 1991; sed non debet fines mandati excedere, alioquin mandans nec erga illum tenetur, nec erga tertium; iste enim debuit exigere ut mandatum sibi exhiberetur; art. 1989.

2. *Mandatarius debet negotium diligenter gerere.* Hinc tenetur resarcire damnum mandanti illatum, non solum ex dolo, sed etiam ex culpa quam in gestione admisit : cum hac limitatione tamen, quod minus stricte tenetur si gratuite gerat, quam si mercedem accipiat, art. 1992. Si vero sine potestate alium subdelegaverit, vel cum potestate subdelegaverit aliquem *notorie* incapacem, tenebitur de illius culpa. Tandem, si sint plures mandatarii per eumdem actum constituti, non tenentur in solidum, nisi *expresse* conventum fuerit, ex art. 1995, qui non applicatur in materia commercii.

3. *Mandatarius debet rationem administrationis suæ reddere;* insuper illud omne quod percepit ex mandato restituere, licet mandanti indebitum, art. 1993, quia nomine mandantis accepit. Vide etiam articulos 1994 ad 1997.

222. — *Quæritur* 3° quænam sint *obligationes mandantis? Resp.* Obligationes mandantis aliæ spectant tertium, aliæ vero ipsum mandatarium.

1° *Erga tertium*, debet *adimplere quascumque obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas;* non autem quod ultra mandatum confectum est, nisi expresse vel tacite illud ratum habitum fuerit; art. 1998.

2° *Erga mandatarium.* Mandans debet 1. *præbere mandatario quæ necessaria sunt ad mandati executionem*, eique

solvere sumptus legitimos quos fecit occasione mandati, etiam cum negotium gestum non habuerit prosperum successum, modo absit culpa mandatarii; art. 1999.

2. Indemnem facere mandatarium circa damna quæ passus est, occasione mandati, absque imprudentia quæ ipsi imputari possit; art. 2000, 2001, 2002.

3. Si plures mandantes constituerint mandatarium pro negotio communi, singuli in solidum tenentur erga ipsum de omnibus effectibus mandati; art. 2002.

223. — *Quæritur* 4° quisbusnam modis *solvatur mandatum?*

Resp. Mandatum *tribus modis* solvitur : 1. revocatione mandatarii; 2. ipsius renuntiatione; 3. morte, interdictione et bonorum subversione (*la déconfiture*), tum mandantis, tum mandatarii, art. 2003.

Attamen 1. mandati revocatio *soli mandatario notificata* opponi nequit eis, qui hanc revocationem ignorantes contraxerunt, salvo mandantis recursu contra mandatarium, art. 2005.

2. Si mandatarius sua renuntiatione damnum aliquod mandanti inferat, tenebitur ad indemnitatem, nisi justa renuntiandi causa intervenerit, v. g., si mandatarius non posset absque gravi damno proprio mandatum exsequi, art. 2007.

3. Si mandatarius mandantis mortem ignorans, vel unam ex aliis causis quibus mandatum solvitur, aliquid ex mandato gesserit, actus ille validus est, tum erga mandantem ejusve hæredes, tum erga eos qui bona fide contraxerunt cum mandatario, art. 2008 et 2009.

4. Si mandatarius decedat, ejus hæredes mortem hanc mandanti denuntiare, et interim, si quid urgeat, ei providere debent, art. 2010.

§ III

De Negotiorum gestione.

224. — *Quæritur* 1° quid sit *negotiorum gestio?*

Resp. Negotiorum gestio est *quasi-contractus ortus ex facto*

illius, qui negotium alterius spontanee gerit, eo inscio, vel non inscio, art. 1372.

Dicitur 1 : *quasi-contractus;* quia contractus sine duarum voluntatum concursu concipi nequit; cum tamen occasione hujus gestionis exsurgant ex æquitate naturali obligationes, sive ex parte gestoris, sive ex parte illius cujus negotium actum est, inter eos quasi-contractus merito recensetur, n. 7.

Dicitur 2 : *negotium alterius,* id est, negotium jam alteri proprium, seu ad eum aliquo modo jam spectans; si enim negotium sit hactenus alteri omnino extraneum, geritur negotium *pro altero,* sed non alterius, et iste poterit illud prorsus repudiare.

Dicitur 3 : *gerit spontanee,* art. 1371, 1372; quod quidam ita intelligunt, ut non adsit quasi-contractus de quo nunc agimus, nisi negotium gestum fuerit proprio motu, non vero si ex mandato judicis, vel ex aliqua coactione.

Dicitur 4 : *eo inscio vel non inscio;* olim requirebatur ut negotium gereretur inscio domino, alioquin dicebatur mandatum tacitum; hodie, etiamsi negotium gestum cognoverit dominus, agnoscitur quasi-contractus, ut jam diximus, ex art. 1372. Si vero quis negotium alterius gerat *eo invito,* quamvis nonnulli dicant eum nihil posse repetere, et sibi imputare debere si damnum patiatur, alii docent non sinere æquitatem ut dominus cum alterius damno locupletetur : ac proinde si ex negotio gesto lucrum educat, debet gestorem indemnem servare, usque ad concursum lucri educti.

225. — *Quæritur* 2° quænam sint *obligationes gestoris?*

Resp. Generatim qui negotium alterius gerere incipit *se subjicit obligationibus quæ orirentur ex mandato expresso, quod accepisset ab eo cujus negotium interest,* art. 1352. Hinc tenetur 1. negotium inceptum perficere, donec ille, cujus interest, possit ipse providere; 2. rem alterius administrare tanquam bonus paterfamilias; 3. rationem reddere suæ gestionis, ut dictum est de mandatario; art. 1372-74.

226. — *Quæritur* 3° quænam sint *obligationes illius, cujus negotium gestum est?*

Resp Ille, *cujus negotium bene gestum fuit*, tenetur 1. servare conventiones ejus nomine initas a gestore; 2. istum servare indemnem pro omnibus obligationibus personalibus quas suscepit; 3. ipsi refundere omnes impensas utiles aut necessarias, quas fecit, art. 1375.

Si vero *negotium male gestum fuerit*, jam non applicatur principium æquitatis cui innititur articulus; imo inquiunt auctores, si gestor rem deteriorem reddiderit, ipse tenebitur dominum indemnem servare. Si vero factæ fuerint *impensæ immodicæ*, aut tales quales dominus verisimiliter ipse facturus non fuisset, immerito obligaretur ad eas refundendas : non tenebitur nisi ratione emolumenti a se percepti.

Ut autem dignoscatur an negotium bene aut male gestum fuerit, initium solum seu tempus negotii gesti spectandum est : etenim statim ac negotium gestum est, oritur erga gestorem obligatio, quæ cum non sit de corpore determinato, non tollitur per eventum subsequentem.

Sed quæri potest an gestor negotii jus habeat ad quoddam salarium, seu mercedem congruentem. Non satis constat apud auctores. Existimamus cum Collat. Andegav. et Vernier, id pendere a natura officii, prout quis ut amicus aut ut procurator rem alterius gessit : quod dignosci poterit ex variis circumstantiis. Sed ex natura sua negotiorum gestio inter contractus gratuitos computanda videtur.

CAPUT II

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

227. — Onerosus contractus ille est, qui *respicit utilitatem utriusque partis*. Subdividitur in *commutativum* et *aleatorium;* commutativus etiam est *principalis* vel *accessorius*, n. 5. Unde, in triplici articulo, dicemus 1° de principalibus contractibus commutativis; 2° de accessoriis contractibus commutativis; 3° de aleatoriis contractibus.

ARTICULUS PRIMUS

De principalibus Contractibus commutativis.

228. — *Commutativus* contractus est ille, in quo unusquisque e contrahentibus censetur dare et accipere aliquid *æquivalens* et *certum*. *Principalis* est autem contractus commutativus, quando *in se* et *independenter* ab alia conventione subsistit, n. 5. Porro, inter hujusmodi contractus,

imprimis numerantur permutatio, venditio-emptio, locatio-conductio, cambium, contractus societatis, contractus censualis, mutuum onerosum. De his dicemus in totidem paragraphis.

§ I

De Permutatione.

229. — *Quæritur* quid sit permutatio, et quænam sint ejus conditiones et effectus?

Resp. 1° Permutatio aut commutatio, gallice *échange*, definitur : contractus quo duo contrahentes sibi *transferunt vel saltem suscipiunt obligationem sibi invicem transferendi rei alicujus dominium pro re altera.*

Dicitur 1 : *rei alicujus*, scilicet, diversæ a pecunia, quia si ab una parte daretur pecunia, esset venditio, ex statim dicendis. Unde, quando rerum inæqualitas compensatur per summam pecuniæ, quæ dicitur *soulte, retour*, ibi agnoscenda erit venditio vel permutatio, prout pretium ab uno solvendum erit majoris vel minoris momenti quam res ab altero tradenda; vel reputabitur venditio quoad pretium ab uno debitum, permutatio vero quoad reliquum.

Dicitur 2 : *pro re altera*, ita ut sit illius æquivalens et detur illius intuitu, alioquin esset mutua donatio, non permutatio, ut sæpe fit inter amicos.

Ex hac notione patet permutationem esse genus, cujus cæteri omnes contractus onerosi et præsertim commutativi sunt species; atque ideo permutationem habendam esse ut primariam omnium contractuum onerosorum originem.

2° *Conditiones* et *effectus* permutationis, quoad forum *internum*, iidem sunt ac effectus et conditiones venditionis, de qua dicemus in subsequenti paragrapho.

In foro *externo*, permutationi etiam applicandæ sunt omnes regulæ venditionis, nisi aliud per legem statuatur, art. 1707. Porro triplex est discrimen specialiter notandum, scilicet, in venditione, impensæ contractus solvuntur a sole emptore; in gratiam emptoris intelliguntur stipulationes obscuræ; et in favorem venditoris tantum admittitur rescissio contractus læsionis causa.

In permutatione autem, cum uterque contrahens sit emptor simul et venditor, 1. impensæ contractus ab utroque contrahente solvuntur; 2. stipulationes obscuræ intelliguntur in favorem ejus in cujus gratiam appositæ fuerunt; 3. non admittitur rescissio causa læsionis. In foro tamen conscientiæ, æqualitas requiritur in permutatione, sicut in venditione, et ideo pars læsa resarcienda est, sicut dicemus de venditione.

§ II

De Venditione-Emptione.

Quinque erunt numeri, nempe, de venditionis-emptionis 1° notione; 2° materia; 3° causa seu pretio; 4° subjecto et ejusdem obligationibus; 5° de quibusdam venditionis speciebus particularibus.

NUMERUS PRIMUS

De notione Venditionis-Emptionis.

Tria expendenda sunt, scilicet, natura et forma venditionis, et ejus discrimen a venditionis promissione. Itaque

230. — *Quæritur* 1° quid sit venditio-emptio?

Resp. Venditio-emptio est contractus quo *ex una parte, transfertur vel saltem suscipitur obligatio tranferendi rei alicujus dominium, pro pretio determinato, ex altera parte.*

Dicitur 1 : *quo, ex una parte, transfertur dominium;* talis est ordinarius effectus venditionis in jure novo; et in hoc discrepat a locatione, in qua usus rei aut opera personæ pro certo pretio ad tempus conceditur, non autem dominium rei. Ex eodem effectu venditio in jure novo differt a venditione in Jure Romano, ex quo venditio absque traditione rei non conferebat dominium seu jus in re, sed producebat obligationem tantum seu jus ad rem [1].

1. Venditio in Codice civili definitur : « Une convention par laquelle l'une des parties *s'oblige à livrer* une chose, et l'autre à la payer; » art. 1582. Ambigua est illa definitio, cum exprimere non videatur nisi *obligationem* transferendi dominium rei alicujus, non autem ipsam *translationem* dominii; et revera in hoc restricto sensu præfatam definitionem intelligit Toullier.

Attamen ad essentiam venditionis in jure novo pertinet ipsa translatio juris

Dicitur 2 : *vel saltem suscipitur obligatio transferendi dominium;* quibus indicatur effectus, qui aliquando tantum a venditione producitur. Etsi enim venditio regulariter conferat jus in re, interdum tamen et per accidens confert tantum jus ad rem, seu non producit nisi obligationem transferendi rei dominium, ut statim ex Codice civili indicemus.

Dicitur 3 : *rei alicujus*, sive mobilis, sive immobilis, sive ususfructus, sive rei ipsius absque usufructu : talis est venditionis materia, quæ vulgo *merx* dicitur.

Dicitur 4 : *pro pretio determinato;* in hoc venditio a permutatione discrepat; in permutatione enim merx pro merce datur; in venditione autem ab emptore datur pecunia pro merce venditoris. Unde ad essentiam venditionis tria concurrunt, *res*, *pretium* et *consensus;* si vel unum deficiat, jam non adest venditio.

Sicut igitur permutatio comprehendit omnes contractus onerosos; ita venditio est quasi genus sub quo intelliguntur omnes contractus onerosi, in quibus pecunia pro re quacunque aut usu rei, aut actione hominis rependitur. Venditio tamen proprie dicta, qualis supra definitur, est contractus, quo ex una parte datur dominium aut suscipitur obligatio tranferendi dominium objecti, et ex altera pro æquivalenti datur pretium seu pecuniaria summa.

231. — Nullus certe est contractus, cujus usus sit frequentior, et ad vitæ ordinariæ commoda magis necessarius. Equidem antequam pecunia esset in usu, homines sibi necessaria permutationibus procurabant; sic v. g., egentes tritico dabant pro illo vinum, oleum et similia, quibus abundabant. At, cum sæpe unus non haberet id quo alter indigebat, et aliunde res commutandæ inæqualis

in re. Nam 1., ex art. 1583, *proprietas* rei transit ad emptorem vi venditionis perfectæ, etiam ante traditionem. 2. Oratores Gubernii in discussione legis aperte declararunt translationem proprietatis esse hodie objectum et unicum scopum venditionis. 3. In hoc consentiunt omnes recentiores Jurisperiti contra Toullier. Hæc mutatio per Codicem civilem inducta magni est momenti, ejusque consectaria in decursu occurrent.

essent valoris; ideo usurpata est pecunia, qua mediante, vendi cœperunt res cujusvis generis, ad maximam privatorum et societatis commoditatem et proventum.

232. — *Quæritur* quænam sit venditionis *forma?*

Resp. Ob adeo frequentem venditionis usum, nulli speciali formæ subjicitur hujusmodi contractus; sed potest fieri vel in forma authentica, vel per scriptum privatum, art. 1582, imo, etiam pro immobilibus, per verba tantum.

233. — Attamen 1. scriptura authentica vel privata in foro *externo* ad *probationem* venditionis requiritur, quando valor rerum venditarum 150 fr. excedit, art 1341; nisi agatur de conventionibus commercialibus, art. 109 Cod. com. Quare, pro venditione immobilium, partes contrahentes ordinarie non habent intentionem irrevocabiliter se obligandi, antequam contractus scribatur et a partibus subsignetur.

234. — 2. Quando agitur de venditione *immobilium*, contractus est perfectus inter emptorem et venditorem hujusque hæredes, etiam sine transcriptione actus, ex art. 1583; ex lege autem 23 mart. 1855, eadem venditio non valet quoad *extraneos*, nisi transcribatur in regesto publico, apud conservatorem hypothecarum, ita ut inter duas ejusdem rei venditiones posterior præferretur, si ante alteram fuisset transcripta. Hac lege jamdiu a Jurisperitis exoptata, securitas in immobilium acquisitione facta est, Antea enim post dominium occulte uni translatum, sæpe eadem res vendebatur alteri, qui postea a priori evincebatur.

Cæterum impensæ actus et transcriptionis aliique sumptus venditionis accessorii, quando venditio scriptura privata aut authentica, fit, ab emptore solvi debent, nisi aliter conventum sit, art. 1593. Emptoris enim, non venditoris, interest ut existant hujusmodi scripta, utpote proprietatis tituli externi.

235. — 3. Si venditio fiat *cum arrhis*, non consentiunt

Jurisperiti, an arrhæ sint signum irrevocabilitatis venditionis, vel revocabilitatis, sicut lex statuit, art. 1590, pro venditionis promissione. Hæc notare sufficiat : si cognosci possit quænam fuerit intentio contrahentium in adjiciendis arrhis, huic standum erit.

Si dubium est, an adfuerit venditio, an vero promissio venditionis, præsumenda est simplex promissio; revera arrhæ adjici frequentius solent promissionibus, quam conventionibus perfectis.

Quando constat fuisse venditionem, sed non constat qua intentione adjectæ fuerint arrhæ, tunc arrhæ haberi debent ut pars pretii et pignus solutionis, et ideo ut signum irrevocabilitatis contractus. Revera art. 1590 loquitur tantum de promissione venditionis, nullaque apparet ratio cur venditioni ipsi applicetur : « Il s'agit dans cet article des arrhes données sur la *simple promesse* de vendre, non de celles données, la vente une fois parfaite, » inquit Malleville, unus ex auctoribus illius legis. Ita etiam Troplong, Marcadé, contra Duvergier.

236. — *Quæritur* 3° quotuplex sit venditionis *promissio*, et in quonam unaquæque discrepet a venditione ipsa?

Resp. Promissio venditionis est bilateralis vel unilateralis; et utraque fit simpliciter, vel cum arrhis.

1° *Bilateralis promissio venditionis* ea est, qua *unus se obligat ad vendendum, et alter ad emendum.* Circa hujusmodi venditionem sic statuit Codex civilis, art. 1589 : « La promesse de vente *vaut vente*, lorsqu'il y a consentement *réciproque* des deux parties sur la chose et sur le prix. » Porro in quonam sensu intelligenda sint verba, *vaut vente*, inter Jurisperitos non constat.

Alii quippe sentiunt, ut vis sua servetur præfato articulo, elapso termino in promissione assignato [1], dominium sta-

1. Imo, juxta quosdam, proprietas *hic* et *nunc* transfertur. « La promesse de vendre une chose moyennant un prix déterminé, équivaut à une vente *actuelle*, et en produit tous les effets. Il n'y a pas de difficultés, quand les promesses sont pures et simples; mais elles peuvent être accompagnées d'un terme. Exemple : Je promets de vous vendre ma maison pour tel prix *dans un an;* vous promettez de l'acheter à ces conditions. Que décider alors? La propriété est-elle transférée *hic*

tim transire in promissarium absque ullo novo contractu, et ulla judicis sententia. Ita Duranton, Duvergier, Zachariæ, etc.

Alii vero putant, ex præfato articulo, promissionem dare facultatem obtinendi contractum venditionis proprie dictæ, et non tantum compensationem damni emergentis et lucri cessantis ex inexsecutione illius promissionis. Scilicet, alterutra pars ab altera cogi potest per judicis sententiam ad ineundum venditionis contractum, intra tempus a judice statutum; quo elapso, venditio, juxta conditiones in promissione jam determinatas, ut inita et definitiva reputabitur. Ita Toullier, Troplong, Marcadé. Hæc sententia conformior videtur tum præviæ ejusdem articuli discussioni, tum juri naturali. Qui enim vendere promittit tantum, certe eo ipso vendere non intendit, siquidem aliud est promissio venditionis, aliud venditio ipsa. Vide Marcadé, in art. 1589. Itaque, in hac sententia, promittens venditionem interea remanet proprietarius, valentque hypothecæ, quas consentit, imo valet ipsa venditio rei alteri facta; sed tenetur de damnis erga promissarium.

237. — 2° *Unilateralis promissio venditionis* ea est, qua *promittens* se obligat quidem *ad vendendum*, si promissarius id exigat, sed *promissarius non se obligat ad emendum*.

Porro de hac promissione non loquitur Codex civilis, sed eam supponit ordinatam per generalia obligationum principia. Unde certe non æquivalet venditioni, quia venditio supponit obligationem ex utraque parte; et ideo producit tantum obligationem vendendi intra tempus determinatum; atque interea res omnino remanet sub dominio promittentis et illius periculo; et hic potest eam locare, imo alteri vendere, valebitque venditio, et omnino securus erit emptor, si fuerit bonæ fidei.

et nunc, ou le sera-t-elle seulement à l'échéance du terme? En principe, il faut décider que la propriété est tranférée *hic et nunc*. En effet, le terme ne suspend point les résultats d'un contrat; il en suspend seulement l'exécution. » Mourlon, *Répétit.*, art. 1589. Hæc interpretatio probanda non videtur. Quis enim, dum promittit se rem post annum venditurum, eo ipso intendat hujus rei proprietatem promissario hic et nunc transferre?

238. — 3° *Promissio* sive bilateralis, sive unilateralis, *facta cum arrhis*, rescindibilis est ad nutum cujuslibet e contrahentibus, sub ea conditione quod, qui arrhas dedit, si rescindat promissionem, illas amittat; qui vero eas accepit, si rescindat promissionem, duplum illarum restituat, art. 1590. Quare per arrhas efficitur, ut promissio venditionis non sit obligatoria, sed maneat in suspenso, quandiu ultra non progressi sunt contrahentes, seu perfecta non fuit venditio.

NUMERUS II

De materia Venditionis seu de mercibus vendibilibus.

239. — Post dicta de materia contractuum, n. 56, quæ hic applicationem habent, quædam expendenda supersunt 1. circa venditionem rerum, quæ non omnino determinantur quoad quantitatem, aut qualitatem, aut pretium; 2. circa venditionem rei alienæ. Unde

240. — *Quæritur* 1° an, *solo* utriusque partis accedente consensu, *imperfecta* sit venditio rerum, quæ ante emptionem *gustari*, vel *probari* solent, vel quæ venduntur *ad pondus, numerum* aut *mensuram?*

Resp. 1° Si agatur de rebus quæ ante emptionem *gustari solent*, v. g., de vino, oleo, etc., non adest venditio, donec emptor eas gustaverit et probaverit, art. 1587; unde si antea pereant, venditori pereunt, nisi ex istius domo jam exierint, ad sensum art. 100 Cod. com.

2° Si vero agatur de venditione quæ fit, ut dicitur, *à l'essai*, hæc venditio censetur facta sub conditione suspensiva, art. 1588; et ideo, si interea res pereat, perit venditori.

3° Tandem, si quæstio sit de rebus quæ venduntur *ad pondus, numerum*, aut *mensuram*, distinguendum est, scilicet, vel earum venditio fit per aversionem, *en bloc*, id est *confuse* et *acervatim*, atque *pretio insimul indicto*, vel non fit per aversionem.

Si prius, perfecta est venditio solo consensu partium, eo sensu quod statim emptori transferatur jus in re, atque

si res pereat, perit emptori, non venditori : v. g., vendo tibi *totum* frumentum, quod est in horreo meo pro 1,000 fr.; patet in hoc casu nihil remanere indeterminatum ex parte mercis aut pretii; ac proinde nihil obstare, quin consensus totum suum effectum statim sortiatur; ita art. 1586.

Si posterius, id est, si venditio rerum illarum non fiat per aversionem, *en bloc*, donec res hujusmodi fuerint adpensæ, mensuratæ, aut numeratæ, venditio manet imperfecta saltem eo sensu, quod interea res maneant periculo venditoris, non emptoris; art. 1585. Tunc enim, antequam res illæ ponderentur, numerentur, mensurentur, vel merx determinatur tantum quod *speciem*, et ideo, si in individuo pereat, perit venditori, non emptori; vel pretium ita indeterminatum remanet, ut, si res interea periret, pretium vere debitum nullo modo determinari posset.

Sic, v. g., vendo tibi centum mensuras ex frumento, quod est in horreo meo, pro 1,000 francs : patet frumentum venditum, antequam mensuretur, distingui non posse a frumento non vendito, quod est in eodem horreo; ac proinde, si totum frumentum in illo horreo positum pereat, antequam mensuretur illud quod venditum est, hoc venditori, non emptori periturum esse.

Idem verum est, si merx in individuo determinetur, non autem ejus pretium : v. g., vendo tibi *totum* frumentum, quod est in horreo meo ad pretium 3 francs pro mensura; in hoc casu acervatim quidem determinatur materia vendita; sed antequam mensuretur, impossibile est determinare totum pretium illius mercis, ita ut, si res interea periret, emptor cogi non possit ad solvendum pretium omnino indeterminabile, et ideo res periret venditori, non emptori.

Non consentiunt omnes Jurisperiti, an eadem venditio eo sensu sit etiam imperfecta, quod non transferat jus in re, sed tantum jus ad rem. Alii docent hujusmodi venditionem transferre jus in re, et imperfectam esse tantum eo sensu, quod res remaneat periculo venditoris; ita Merlin, Duranton, Pardessus, Curia suprema.

Alii vero putant illam venditionem conferre tantum jus ad rem, et

consequenter rem manere periculo venditoris. Ita Troplong, Rigaud, Marcadé. Hæc sententia præviæ discussioni legis et rationi magis consentanea videtur. Cæterum in praxi parum refert, cum certum sit, juxta omnes, rem remanere periculo venditoris. Vide Marcadé, in art. 156.

241. — *Quæritur* 2° an et quo modo irrita sit venditio *rei alienæ?*

Resp. Venditio rei alienæ in jure novo irrita declaratur, art. 1599. Quænam sit autem extensio hujusce nullitatis breviter explicandum est.

1° Quando agitur de *bonis mobilibus*, non applicatur art. 1599, sed tunc valet principium præscriptionis : *Possessio æquivalet titulo*, art. 2279. Unde, si res mobilis et aliena pluribus successive vendita fuerit, posterior emptor rem servat, modo fuerit bonæ fidei, et res ei tradita fuerit, art. 1141.

2° Si vero res vendita sit *immobilis*, distinguendum est : vel venditor et emptor sciunt rem esse alienam, atque contractum de ea ineunt ut de re aliena, et tunc non applicatur art. 1599, sed adest tantum promissio venditionis ab alio faciendæ, quæ valida est ex art. 1120.

Vel uterque aut alteruter *ignoravit rem esse alienam*, et tunc 1. *venditor* non potest invocare nullitatem per art. 1599 inductam, quæ potius contra illum constituta est. Attamen, si fuerit bonæ fidei, nec possit, detecto errore, obtinere a domino rei, ut ratihabeat venditionem, potest nullitatem venditionis postulare, solvendo damnorum compensationem nunc debitam, ne in posterum multo majorem solvere teneatur.

2. *Emptor* autem invocare potest nullitatem venditionis, etiam *antequam* in sua possessione *turbetur*, modo *adsit periculum evictionis*, art. 1655; et in hoc illa nullitas differt tum ab actione in assecurationem (*en garantie*), quæ locum habet tantum in casu evictionis, n. 265, tum a jure veteri, ex quo emptor non poterat nullitatem postulare et pretium repetere, quandiu non inquietabatur. Emptor qui venditionem rei alienæ solvit, potest repetere indemnitatem etiam a venditore bonæ fidei, modo ipse bonæ fidei fuerit.

3. Demum rei dominus eam vindicare potest, quandiu non est præscripta; nisi qui vendidit, eam accepisset bona fide, art. 1380. Tunc dominus non habet jus nisi ad pretium.

NUMERUS III

De causa Venditionis seu de Pretio.

Dicemus 1. de pretio in genere, 2. de pretio justo, 3. de obligatione standi pretio justo.

PUNCTUM PRIMUM

De Pretio in genere.

242. — *Quæritur*, scilicet, quid sit pretium, et quænam ejus essentiales conditiones?

Resp, 1° Pretium in genere est *pecuniæ summa ab emptore venditori data pro merce vendita.* Pecunia autem est quædam materia pretiosa, cui forma cum sigillo publico imprimitur, ut de ejus valore tutius celeriusque constet.

Dicitur *pecunia,* quia primi nummi *pecudis* nota signabantur, vel potius, quia olim in Europa *pecus* erat materia ordinaria ad commutationes aut transactiones : *numisma*, forte a voce *græca* νόμος, quia est *regula; pretium*, quia est publica rerum mensura et appretiatio [1].

2° Pretium autem, ut adesse censeatur, debet esse in pecunia numerata, serium, determinatum aut determinabile.

1. *Moneta, monere* : à Rome, les pièces servant à l'échange étaient d'abord régulièrement frappées dans le temple de Junon *Moneta* : qualification ajoutée au nom de la déesse, parce que son temple avait été élevé sur l'endroit où Manlius, distinguant le bruit des Gaulois, qui approchaient de la cité, donna l'alarme, avertit, *monuit*. — *Livre,* du poids que la pièce représente; — *franc,* abrégé de *Francorum rex;* — *sou,* de *solidus;* — *dollar, thaler,* de *thal* (vallée) ou argent du vallon de Joachim en Bohême, où ces pièces furent primitivement frappées; — *com* ou pièce, de *cuneus*, impression; — *rupee,* du sanscrit *rupya*, argent; — *guinée,* du pays d'où venait l'or; — *schilling,* du mot *diviser;* — *pound,* de *pondus*, poids; — *sterling,* de *Easterling,* négociant de l'Allemagne septentrionale.

Le billet de banque était usité en Chine dès l'an 119 avant Jésus-Christ. Il fut en usage en Occident, surtout à dater de l'an 800 de l'ère chrétienne. On l'appelait alors *monnaie volante.*

Et quidem 1. *in pecunia numerata*, alioquin non esset pretium datum pro merce, sed merx pro merce; et ideo non venditio, sed permutatio adesset, n. 229. Pretium tamen ac proinde venditio probabilius adesset, si loco pecuniæ darentur res talis naturæ, ut facile pro aliis commutari possint.

2. *Serium*, id est, nec simulatum, nec derisorium seu adeo imminutum, ut res donata potius quam vendita videatur. Attamen non requiritur ut pretium sit æquivalens; sed sufficit illud esse in se satis grave, ut appareat venditorem velle illud exigere, et in lucrum suum velle convertere.

3. *Determinatum aut saltem determinabile;* sive a contrahentibus, sive arbitrio tertii, alioquin jam venditio non esset in praxi utilis, n. 56. Porro, licet pretium non statim cognoscatur a contrahentibus, si ipsi posuerint determinationis fundamentum, quod ab alterutro ipsorum non pendeat, valebit venditio : v. g., vendo tibi frumentum pretio, quo venditum est in ultima nundina, vel quo vendetur in proxima, vel quo vendent vicini mei, etc.

Si autem determinatio pretii committatur arbitrio tertii, et iste nolit aut non possit illud determinare, irrita est venditio, cum pretium maneat indeterminatum; si vero contrahentes alium arbitrum eligant, est novus consensus et nova venditio. Attamen in materia commercii facile præsumi potest, quod noluerint contrahentes, ut determinatio pretii reservaretur exclusive arbitro quem elegerant.

PUNCTUM II

De Pretio justo.

243. — *Quæritur* quid sit pretium justum, et quotuplex?

Resp. 1° Justum pretium est *pecuniæ summa æquivalens rei venditæ*, seu cujus ope obtineri poterunt a venditore emolumenta ejusdem momenti ac ea, quæ ex re vendita obtinebat venditor, vel obtinere potuisset. Justum enim illud est, quod cum alio æquatur et commensuratur.

Quæ autem emolumenta non semper proportionantur naturæ rerum seu earum nobilitati et perfectioni relativæ,

sed usibus humanis ad quos res inserviunt. Scilicet, res diversæ apud homines æstimantur secundum earum *necessitatem*, *utilitatem* relative, ad verum finem vitæ humanæ; imo secundum *voluptatem*, sive intellectualem, sive sensibilem, quam præstant, aut præstare videntur, ita ut in rebus æstimandis sæpius voluptas quam utilitas attendatur. Insuper, pretium rerum non solum ex utilitate aut oblectamento determinatur, sed etiam ex mille aliis circumstantiis extrinsecis. Unde

2° Triplex esse potest apud homines pretii justi genus, nempe, aliud legale, aliud vulgare, aliud conventionale.

1. *Legale* pretium est illud, quod lege principis aut magistratus decreto determinatum est, ut sæpe pretium panis, aut carnium in macello. Tale pretium inducitur propter bonum commune societatis, scilicet, ne nimis augeatur rerum magis necessariarum valor, ideoque consistit in indivisibili, nec gradus inferiores, medios et superiores admitit.

2. *Vulgare* pretium est illud, quod, *juxta communem hominum æstimationem*, valorem rei *exæquat*. Porro, cum varii homines varie de iisdem rebus judicent, pretium illud non consistit in indivisibili, sed quamdam habet latitudinem : « Justum pretium rerum, ait S. Th., *non est punctualiter determinatum*, sed magis *in quadam existimatione consistit;* ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere æqualitatem justitiæ; » 2, 2, q. 77, a. 1, ad 1. Quare triplex est pretium intra justitiæ fines, nempe, supremum, infimum et medium.

Supremum seu rigorosum dici potest illud, ultra quod viri probi non vendunt suas merces, eo quod superius illud pretium excederet rei valorem, juxta communem æstimationem. *Infimum* est illud infra quod emptores probi non emunt, quia inferius pretium non æquaret mercem, juxta communem æstimationem. *Medium* seu moderatum pretium inter supremum et infimum consistit, et ideo supra hoc assurgere, vel infra illud descendere licitum est.

In rebus *necessariis* et frequentioris venditionis, pretium infimum parum distat a supremo, v. g., si pretium infimum sit 9, medium erit 10, et supremum 11. In rebus

superfluis major est latitudo; et in rebus *raris* et *pretiosis* adhuc major est distantia.

Cæterum, vulgare pretium augetur vel minuitur pro variis circumstantiis temporum, locorum et personarum. Sic, vulgare pretium augetur vel minuitur ex necessitate et utilitate rerum relative ad finem vitæ humanæ; ex voluptate sive intellectuali, sive sensibili, quam præstant, vel præstare videntur; ex rerum similium raritate aut abundantia; ex multitudine aut paucitate emptorum; ex inopia aut copia pecuniæ.

Similiter apud mercatores carius res emuntur, quam apud privatos; item quæ minutatim venduntur, pluris fiunt, quam quæ conglobatim, aut per partes majores et, ut dicunt, *en bloc* emi solent; sed etiam merces ultroneæ vilescunt; tandem res pretiosa, si venalis exponatur apud veteramentarios, censetur amisisse pretium antiquum, et aliud accipere ex judicio emptorum illas officinas frequentantium.

Mercium igitur pretia nihil universale et permanens habent, sed nec habere possunt, cum pendeant ex causis et circumstantiis fere innumeris, quæ mutationi maxime sunt obnoxiæ.

Unde nulla melior videtur regula ad supputandam distantiam supremi pretii ab infimo, quam in unaquaque re attendere quid in communibus negotiationibus, tali tempore, tali loco, tali circumstantia, sine fraude fieri solet, vel servare quod a viris prudentibus et peritis æquum et rationabile censetur.

3. *Conventionale* pretium illud est, quod non ex vulgari opinione, sed ex judicio et voluntate *privatorum* definitur, sive quia non existit circa rem venditam æstimatio communis satis constans, sive quia contrahentes, ab illa recedere volunt propter peculiarem quamdam rationem.

PUNCTUM III

De Obligatione standi justo pretio in Venditione.

Quæstio expendi potest de pretio legali, vulgari, conventionali in foro sive externo, sive interno.

I

De Obligatione standi pretio Legali.

244. — *Quæritur* an sit obligatio standi pretio legali?

Resp. Si adsit pretium *legale, pluris vendere non licet*, nisi lex pretii determinativa sit evidenter injusta, vel in desuetudinem abierit. Ita omnes.

Lex enim pretii determinativa, quando justa est, per se confert jus verum illis, in quorum favorem constituitur, alioquin vana et inutilis esset lex illa, imo et nociva, siquidem improbi soli ea uterentur, cum proborum detrimento.

Secus vero, si lex esset evidenter injusta, vel in desuetudinem abiisset, vel si, ex mutatis circumstantiis, quas magistratus prævidere non potuit, taxarum pretium evadat injustum, ut si inopinato adveniat vel copia, vel defectus mercium; aut si pretium vulgare usu prævaleat, sciente et non contradicente magistratu.

II

De Obligatione standi pretio Vulgari in foro externo.

Hæc obligatio in foro civili inquiri potest quoad venditionem mobilium, vel immobilium.

245. — 1° Quoad *mobilium* pretium, lex civilis nihil statuit; et ideo pro mobilium venditione non datur in foro externo rescissioni locus causa læsionis; tum quia mobilium valor est magis incertus, et eorum commercium debet esse magis expeditum; tum quia rarior est læsio circa mobilia, quæ in locum venditioni aptiorem possent transferri; dum immobilia sæpe non nisi vicinis vendi possunt.

Ex jure autem naturali, ad restitutionem tenetur sive venditor, si excedat pretium summum in rebus mobilibus, sive emptor, si infra pretium infimum emat.

246. — 2° Quoad *immobilia*, venditio rescindibilis est in gratiam venditoris tantum, quando læsio excedit septem e duodecim partibus justi pretii, *de plus des sept douzièmes*, modo venditio non fiat auctoritate publica, aut non sit aleatoria.

Et quidem 1. *in gratiam venditoris tantum*, non vero in

gratiam emptoris, art. 1683; venditor enim sæpe necessitate compellitur ad vendendum, non vero emptor ad emendum; aliunde bonum publicum magis exigit stabilitatem contractus erga illum, qui tradidit bonum immobile, quam erga illum, qui nonnisi pecuniam. At, ex jure naturali, æqualiter favetur emptori læso, juxta principium : *correlativorum idem est judicium, eademque disciplina.*

2. *Quando læsio excedit* $^{7}/_{12}$ *justi pretii*, habita ratione valoris, quem res habebat tempore venditionis, art. 1674, 1675. Per justum autem pretium, hic intelligendum videtur infimum. Nam poterat non emere nisi infimo; ac proinde non nisi hinc proficiscitur venditoris læsio, si ita loqui fas est.

Si autem læsio sit gravis, licet citra dimidium justi pretii, in conscientia lædens tenetur ad supplementum, juxta axioma : *nemo cum alterius detrimento et injuria fiat locupletior.* De læsione levi non curatur, ne pro quavis venditione habeantur lites. Vide de Angelis, lib. 3, tit. 17.

3. Modo venditio *non fiat auctoritate publica*, aut *non sit aleatoria*, art. 1684. Nam, in primo casu, minus timenda est læsio, et dari debet emptoribus plena securitas ad alliciendos licitatores. In secundo casu, periculum quod incurrit quilibet contrahens, compensatur per spem lucrandi.

Venditor in contractu renuntiare nequit juri postulandi rescissionem læsionis causa, art. 1674. Merito enim præsumitur renuntiationem tunc induci per eamdem causam, quæ inducit ad vendendum vili pretio. Sed, si renuntiet postea, non adest eadem præsumptio, ac proinde libera censeri debet renuntiatio, nisi aliud indicent circumstantiæ.

Actio in rescissionem dirigi potest non solum contra emptorem, sed etiam contra tertium boni detentorem, art. 1681; atque præscribitur intra duos annos a tempore contractus, etiam contra uxores, absentes, interdictos, et minores, ne diu incerta maneant dominia.

Quando pronuntiatur venditionis rescissio, emptor pro libito potest vel rem reddere et recuperare datum pretium, vel rem servare et solvere pretii supplementum. Unde,

Si emptor eligat rem reservare et solvere supplementum

pretii, potest retinere pretii totalis decimam partem, sive ad solvendas impensas contractus, sive quia, cum mathematice constare nequeat de vero pretio, nimis rigorose tractandus non est emptor; art. 1681.

Si contra emptor eligat rem restituere, debet restituere fructus a die quo postulata fuit rescissio; et ab eodem die illi debetur interesse pretii, quod solvit : vel a die solutionis, si nullos fructus perceperit, art. 1674.

III

De licitate pretii Vulgaris in foro interno.

247. — *Quæritur* an *semper liceat* vendere aut emere pretio vulgari seu currenti?

Resp. Ordinarie non autem *semper et pro semper* licet vendere aut emere pretio vulgari.

Et quidem *ordinarie licet*. Nam pretium vulgare seu currens illud est, quod, ex communi actuali hominum æstimatione, rei valori hic et nunc æquivalet : atqui, posita tali æqualitate, justa est seu licita venditio; ergo ordinarie licet vendere aut emere pretio currenti seu vulgari.

Non autem *semper et pro semper*. Illud enim fieri potest illicitum vel ob causam rei intrinsecam, vel extrinsecam, vel ob fraudem, vel ob moralem coactionem.

248. — Et quidem 1° si ob *causam merci intrinsecam* et *occultam,* rei pretium sit minus quam communiter æstimatur, venditor, qui *solus* illam causam cognoscit, non potest vulgare pretium exigere : v. g., si quis sciat suum equum moriturum ex morbo adhuc occulto, aut vinum corrumpendum, aut sua credita esse solutu valde difficilia, non potest talia vendere pretio currenti, sed inferius postulare debet, ex sententia satis communiter admissa.

Nam res, ob illam causam intrinsecam et occultam, est in communi hominum æstimatione *moraliter diversa*, ab ea quam saltem *implicite intendit* emptor; ac proinde ex parte emptoris adest error substantialis, deficitque sufficiens consensus, n. 46, 47.

Eadem ratione non licet *emere* pretio currenti, sed majus

requiritur pretium, quando ob aliquam causam *merci intrinsecam*, et *emptori* tantum *cognitam*, pretium rei majus est quam vulgare, v. g., qui privatim scit fœtosam esse alterius vaccam, non potest illam eodem pretio emere, ac si esset sterilis.

Si venditor et emptor *ignorent* pretium rei, et de certo pretio contrahant, valet contractus, modo bona fide et libere inter se conveniant, nec aliquid erit restituendum, etiamsi postea detegant alterutrum fuisse læsum notabiliter : fuit enim contractus aleatorius, et, cum uterque æquali periculo damni se exponant, voluntarie de jure suo cedunt.

Qui autem invenit *inter res communes* rem, quam ipse *privata scientia* cognoscit esse *valde pretiosam*, v. g., librum, gemmam, tabulam pictam, herbam in fasciculo, potest eam emere pretio communi, vel quia illius mercis pretium et utilitas in tali loco a nemine cognoscitur, et ideo nullum pretium vere determinatum habet; vel quia eo ipso quod res hujusmodi omnibus indistincte apponitur, et ad usus viles destinatur, censetur amisisse pretium intrinsecum; ac proinde æstimatur ex communi judicio eorum, qui vulgo emunt. Ita Billuart, Daelman, Dens, Vernier, contra Collet, qui putat rem emendam esse ex æstimatione eorum, qui in parte sunt periti, si sint in loco, in quo res sistit.

249. — 2° *Ob causam rei extrinsecam*, ex qua minuitur aut augetur pretium rei, non licet vendere aut emere pretio currenti, juxta Ciceronem, Pothier et alios, v. g., quia prævidetur magna mercium copia aut inopia, vel alius eventus, ex quo minuatur aut augeatur rei pretium.

Alii vero communiter Theologi et Jurisperiti post S. Thomam, contrarium sentiunt. Cum enim illa causa non afficiat ipsam mercem, atque privatim tantum cognoscatur, vulgare pretium remanet justum rei pretium.

Unde quis multo minoris emere potest credita solutionis *valde difficilis in se*, etsi propter circumstantiam *sibi specialem* solutu fiant *facilia*.

Circumstantia enim emptori specialis est quid merci extrinsecum, præsertim quando a solo emptore cognosci-

tur, et ideo etiam in hoc casu rei valor ex communi æstimatione determinatur. S. Ligor., n. 829.

Attamen in facto illius, qui, posita minoris pretii causa extrinseca, nihilominus pretio currenti vendit, potest adesse peccatum contra caritatem, si nempe emptor exinde grave damnum incurrat.

250. — Controvertitur autem an minister aut consiliarius principis vel magistratus, qui sciunt mox per legem imminuendum fore pretium, possint ea scientia uti, ut ante legis promulgationem interim pretio currenti vendant.

Negant non pauci, quia non possunt scientia, quam vi officii sui acquirunt, uti in suum commodum, cum aliorum damno. Alii vero affirmant.

Sed, juxta omnes, peccarent illi contra justitiam. si ea intentione differrent promulgationem legis, ut sic vendant : hoc enim esset abuti sua potestate in detrimentum subditorum. Item, si notitiam suam amicis suis revelent; quia tenentur ad secretum, nec possunt quibusdam favere in detrimentum aliorum. Hæc applicari possunt certis eventibus ex quibus certum est aut valde probabile imminuendum vel augendum fore pretium censuum publicorum (*des fonds publics*).

251. — 3° Qui per *dolum* aut *fraudem* inducit emptorem ad rem emendam *majori pretio*, *quam emisset*, etiamsi summi pretii vulgaris limites non excedat, peccat contra justitiam. Et idem dicendum est de emptore, qui per dolum vel fraudem, minori pretio emit, quam emisset, etsi infimi pretii limites non excedat. Tunc enim emptor aut venditor ex fraude patitur damnum : porro unusquisque jus strictum habet ne dolo inducatur ad damnum quidpiam patiendum, n. 49.

Porro 1. fraude utuntur qui, ut pertrahant emptorem ad pretium supremum, aut venditorem ad pretium infimum, per falsos testes aut nuntios in errorem inducunt emptorem aut venditores circa superventuram mercium copiam aut inopiam, aut circa eventus felices vel calamitosos.

2. Idem *per se* verum est de iis, qui mendacia, perjuria adhibent, ut suadeant merces vel tanti sibi constitisse, vel sibi tali pretium oblatum fuise, sicque *reipsa causa sunt cur emptor emat majori* pretio. *Ordinarie* tamen illa men-

dacia et perjuria, quamvis coram Deo peccaminosa, non habentur ut causa efficax damni, quia ipsis raro fides ab emptoribus præstatur.

Similiter non peccant, qui de pretio mercium interrogati, illud notabiliter exaggerant, ut dent emptori locum offerendi suum pretium, sicque ad justum pretium deveniant. Notum est enim et solitum mercatores ita loqui, ut emptores ad justum perducant.

Difficilius autem excusantur, qui in signo (*sur l'enseigne*) se certo pretio (*prix fixe*) vendere non inscribunt, nisi ut facilius pretium supremum obtineant ab emptoribus qui illud pretium ut definitivum et exclusivum falso reputantes, suum pretium non offerunt (*ne marchandent pas*). Multo minus excusantur, si tali medio utantur ad facilius obtinendum pretium vulgari supremo majus.

3. Sed procul dubio justitiam violant, qui, re vendita infimo pretio, eam ante traditionem *imminuunt*, aut *adulterant*, ut occulte sibi comparent pretium medium aut supremum. Tunc enim læditur jus per conventionem ab emptore acquisitum ad obtinendam talem et talem mercem tali pretio : alioquin inutiles prorsus forent conventiones.

Idem dicendum est de emptore, qui decipit in pecuniæ numeratione, ut non emat nisi infimo pretio.

Unde, juxta non paucos mercator qui, minuendo aut adulterando mercem, viliori pretio venderet, quam cæteri, sicque averteret emptores ab officinis aliorum mercatorum, reus fieret erga istos injustitiæ, et teneretur de damno, quod inde illi paterentur; quia quisque jus habet ne dolo vel fraude impediatur a lucro sperato, vel legitime faciendo. Insuper, qui sic per fraudem emptores attrahit, istos decipit injuste. Ita Billuart, Dens, de Lugo, Elbel, etc.

Hinc etiam communiter docetur peccare contra justitiam, qui, ut ad suam officinam plures attrahant, solent munera dare ancillis, famulis, filiisfamilias, etc.; postea vero hujusmodi expensas tacite compensare nituntur, adaugendo pretium rerum ultra justitiam. Sic enim secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes injuste refundendas. Secus vero, si cum ipsis vulgare pretium servent.

252. — 4° Tandem, qui, ope *coactionis moralis*, vendunt pretio *summo*, peccant contra justitiam, juxta Tournely, Sporer, Layman, etc.; quia jus habent cives ne cogantur emere pretio summo : v. g., si venditor jam mutuavit emptori pecuniariam summam, et huic minitatur statim repetere illam pecuniam, nisi bovem sibi emat summo pretio, ibi intervenit quædam vis moralis, per quam deturbatur emptor a jure suo. Idem dicendum est, si venditores inter se conveniant, ut nonnisi pretio summo vendant, aut si emptores inter se conveniant, ut nonnisi infimo pretio emant.

Alii autem multo plures Theologi negant in præfato casu adesse peccatum contra justitiam; ita Lessius, de Lugo, Bonacina, S. Ligorius, n. 817. Venditor enim jus habet non vendendi nisi summo pretio, et emptor emendi nonnisi pretio infimo; nec violat justitiam, nisi via injusta emptorem aut venditorem ad eo modo emendum cogat : atqui in præfato casu non adhibetur via injusta; siquidem venditor potest juste exigere pecuniariam summam prius emptori mutuatam; atque venditor juste cum aliis statuere potest de exigendo summo pretio, cum quilibet seorsim sumptus possit non vendere nisi summo pretio.

Attamen tales conventiones inter venditores aut emptores, ut non vendant aut emant nisi summo aut infimo pretio, ordinarie contra caritatem fiunt, et contrariæ reputantur bono publico; unde a lege civili gravibus pœnis plectuntur; art. 412 Cod. pœn.

IV

De licitate pretii Conventionalis.

253. — *Quæritur* an *ordinarie injustum* sit *excedere limites pretii vulgaris* in venditione-emptione, per pretium *conventionale?*

Scilicet, quæstio est an, qui sine errore, dolo aut coactione morali, sed cum cognitione sive mercis, qualis in se est, sive pretii vulgaris, et cum libertate sufficienti contrahunt, peccent contra justitiam, si vendant aut emant extra limites vulgaris pretii. Sic, v. g., Petrus in nundina vult bovem emere, atque cognoscit aut facile cognoscere

potest tum valorem intrinsecum bovis, qui, ex hypothesi, nullo defectu occulto laborat; tum vulgare pretium, quale constituitur in illo foro publico; aliunde Petrus omnino liber est illum bovem emere aut non emere; et nihilominus hunc bovem emit pretio, quod limites summi pretii in præsenti foro publico vulgaris excedit : porro quæritur an in hoc et aliis similibus casibus venditor restituere debeat summi pretii excessum, aut emptor infimi pretii defectum.

Quæstio sic præcise sumpta controvertitur. Quidam veteres Theologi et nostri temporibus multi Œconomistæ negant. Ita Durandus, ordinis Minorum, Gersonius, quibus non dissentit Layman, *de Justit.*, lib. 3, tract. 4, c. 17, § 1; vide Molina, *de Contract.*, tract. 2, disp. 350. Ita etiam D. Corbière, *l'Economie politique au point de vue chretien*, tom. 1, p. 86 et seq.[1].

Namque 1., semotis errore, fraude, violentia, coactione morali, jam excessus pretii summi, aut infimi pretii defectus non obtinetur nisi a sciente et volente : porro scienti et volenti non fit injuria, id est, tunc legitimitas pretii non pendet ab æstimatione communi, sed a contrahentium voluntate; ergo justum est pretium a tali voluntate constitutum.

2. Pretium est sufficienter justum, quando, qui rem

1. Illa opinio sic exponitur : « Jusqu'à ce jour, les Théologiens, d'accord avec les Jurisconsultes, ont déféré l'application de l'équivalent à l'*opinion commune*. Ils ont décidé que les prix n'étaient équitables qu'à condition d'être conformes à cette espèce de sentence.

« Cette théorie, quoique criticable sous le rapport scientifique, a été sans danger jusqu'à ce jour; elle satisfaisait au besoin des temps passés. Lorsque les transactions étaient peu nombreuses, que les affaires étaient circonscrites dans un cercle étroit, il n'y avait pas d'inconvénient à admettre une espèce de tribunal appelé *opinion commune*, chargé de fixer les prix auxquels les achats devaient être conclus.

« Aujourd'hui, ce système n'est pas admissible. Le commerce s'opérant sur plusieurs milliards et s'étendant sur tous les pays du monde, il est nécessaire d'abandonner cette règle fautive, et d'adopter celle de la véritable mesure des prix. Quelle est donc cette règle qu'il convient de substituer à l'ancienne? C'est celle de s'en référer au *consentement libre* et *éclairé des contractants*. Toutes les fois que les parties conviennent d'un prix sans contrainte et avec connaissance de cause, le marché sous le rapport de la justice est irréprochable, si d'ailleurs il est conforme aux lois du pays. » D. Corbière, *ibid.*, p. 87.

solvit supra summum pretium aut eam vendit infra imum, æstimat rem illam pro se saltem æquivalere pecuniæ quam tradit, aut pecuniam, quam accipit, pro se æquivalere rei quam tradit : atqui res ita est, quando ex utraque parte contrahitur cum scientia et libertate sufficienti ad validitatem contractus.

Revera pretium vulgare nullo rationabili et intrinseco fundamento nititur, sed ex hominum phantasia, ut omnes fatentur, provenit, nec efformatur nisi ex liberis privatorum conventionibus, per quas et incessanter immutatur, ita ut dicendum sit illud potius pendere a voluntate contrahentium, quam eamdem regendi jus habere.

3. Licitas harumce conventionum nil habet incommodi, cum ex hypothesi, excludatur error, dolus, moralis coactio; vel si quid habet, satis compensatur libertatis utilitate et incommodis strictioris regulæ. Quis enim non videt quanta in praxi ex obligatione standi pretio communi nascantur impedimenta? Incessanter enim in innumeris casibus dubitatur utrum et quale sit pretium vulgare. Demum talis esse videtur praxis communis.

Alii vero Theologi veteres et recentiores sat communiter affirmant. Etenim 1. contrahentes, eo ipso quod venditionem, non donationem, intendunt, censentur secundum æqualitatem inter rem et pretium contrahere : atqui ordinarie deficit illa æqualitas, quando exceduntur limites pretii vulgaris, quod est illius æqualitatis regula communis; ergo circa excessum aut defectum pretii vulgaris deficit consensus emptoris aut venditoris, violaturque justitia. S. Th. 2. 2, q. 77, a. 1.

2. Si ad legitimitatem pretii sufficeret sola libertas requisita ad contractus validitatem, tunc minus prudentes facile spoliarentur a peritioribus, cum magno totius societatis detrimento; dum e contra, necessitas standi pretio vulgari æqualitatis jura fovet, nec obstat utilis commercii libertati.

3. Praxis contraria est communis iis, qui per latam viam vitiorum incedunt, ait S. Th. ibid. ad 2, non autem probis, qui justitiam christianam sectantur,

Hæc sententia est antiquior, communior, a probis revera ordinarie in praxi usurpata, atque ideo tutior certe reputanda.

Unde, in hac sententia, non solum venditor potest in conscientia uti beneficio rescissionis a lege concesso, n. 246; sed etiam obligatio in conscientia incumbit sive emptori, sive venditori, restituendi ad æqualitatem.

In restitutione autem facienda, si de venditore agatur, excessus computandus est a summo pretio, quia venditor potuit vendere supremo pretio; si vero agatur de emptore, defectus pretii computandus est a pretio infimo ob similem rationem, n. 245. Prioris tamen opinionis ratio habenda est, saltem post factum, ne scilicet restitutionis obligatio nimis urgeatur.

255. — Cæterum, juxta omnes, ut possit conventione privata prætermitti vulgare pretium, requiritur, sicut jam notatum est, quod non adsit ignorantia vulgaris pretii, nec fraus, nec moralis coactio : porro, quando agitur de rebus *communibus*, quæ vulgare pretium habent, ordinarie supra vel infra vulgare pretium non emuntur aut venduntur, nisi ex ignorantia, aut fraude, aut coactione; sicque præfata controversia ad praxim non adeo interest, ac primo intuitu videri posset[1].

V

De specialibus rationibus, ob quas licet in venditione-emptione limites pretii Vulgaris excedere.

255. — *Quæritur* an saltem ob rationes *speciales liceat* in venditione-emptione *limites vulgaris* pretii *excedere?*

Resp. Affirmative. Aliqui sunt enim casus, in quibus certo

1. « La théorie qui donne *pour fondement* à la légitimité du prix *la volonté des parties*, doit être sainement interprétée. Elle suppose qu'il n'y a dans les conventions ni fraude, ni violence, ni erreur, ni détresse de la part d'un contractant... Dans les marchés des articles qui ont *un prix courant bien caractérisé*, les acheteurs sont toujours réputés avoir l'intention de ne pas payer au delà du prix généralement accepté. Comme ils trouveraient ailleurs les mêmes objets, s'ils se soumettent à des conditions plus onéreuses, c'est uniquement pour une raison, qui rend leur consentement nul, etc. » D. Corbière, *ibid.* p. 119.

aut saltem probabilius licet, ob speciales rationes, vendere supra pretium commune; aut infra illud pretium emere.

256. — 1° *Supra pretium vulgare licet vendere* vel ob damnum emergens et lucrum cessans ex venditione; vel ob dilationem solutionis, vel ob specialem emptoris affectum, aut utilitatem; vel ob vulgaris æstimationis defectum.

Et quidem 1. *ob damnum emergens vel lucrum cessans ex venditione.* Damnum enim quod patitur venditor, vel lucrum quod amittit ex carentia rei suæ, sunt aliquid pretio æstimabile; nec tenetur venditor damno illi se exponere, aut lucro illo carere in gratiam emptoris; ergo jus habet ad compensationm.

Sed ad hoc requiritur, ut venditio sit vera causa damni emergentis aut lucri cessantis; et ut moneatur emptor aliquid exigi ultra pretium rei; forsitan enim aliunde sibi providebit; nec periculo exponetur alios decipiendi circa absolutum rei valorem.

Hinc communiter affirmant Theologi, contra quosdam, inter quos Billuart, specialem affectum venditoris erga rem suam, esse rationem sufficientem vendendi supra pretium supremum. Molestia enim subeunda ex carentia rei specialiter amatæ, et oblectationis exinde provenientis privatio in gratiam alterius, sunt aliquod damnum emergens et lucrum cessans, pretio æstimabile. Sed moneri debet emptor de illo pretii excessu ob præfatum specialem affectum.

Res autem ultra vulgare pretium vendi nequit, eo quod venditor, eam comparando, ex sua ignorantia vel imprudentia, aut etiam ex fortuito casu solverit majora pretia, vel subierit majores sumptus, quam vulgo alii solvunt aut subeunt. Nam, ex eo quod aliquis privatus fuerit passus, non adaugeri solet pretium in æstimatione communi; nec emptor compensare tenetur damna, quæ patitur venditor ex sua ignorantia vel imprudentia, aut ex fortuito casu.

2. *Ob dilationem solutionis* licet supra summum pretium vendere, modo excessus generatim non superet taxam legalem pro mutuo, aut rationem justi tituli, ut colligetur ex infra dicendis de mutuo oneroso.

3. *Ob specialem emptoris affectum et utilitatem.* Equidem plerique auctores negant in hoc adesse titulum vendendi supra pretium commune. Nam utilitas quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis : porro nullus potest vendere alteri, quod non est suum; ergo ex utilitate rei pro emptore augeri nequit pretium. S. Th. 2. 2, q. 77, a. 1.

Attamen contrarium hodie sat communiter in praxi admittitur, modo venditor non abutatur emptoris necessitate, aut affectu parum rationabili. Revera minime repugnat existere valorem communem *relativum*, seu quod ex æstimatione communi merx aliqua plus valeat pro Petro, quam pro Paulo, ob circumstantias speciales in quibus versatur Petrus; et communiter homines, quibus in illis circumstantiis emendi suppeteret facultas, parati essent hujusmodi pretium relativum, data occasione, solvere, sicuti exigere vulgo solent. Quidquid sit, in praxi non sunt inquietandi, qui tale pretium ab alio sanæ mentis exigunt[1].

4. *Ob vulgaris pretii defectum.* Scilicet, si res sint ex earum numero, quæ nec apud peritos æstimationem qualemcunque habent, justum certe pretium reputandum est illud, de quo pars utraque convenit; quia tunc uterque contrahens æquale subit periculum, nec ulla afferri potest alia regula.

Imo asserunt non pauci, contra alios, justum esse pretium, de quo *libere* conveniunt contrahentes, si agatur de rebus, quæ a paucis admodum æstimari possunt, ut sunt gemmæ, tabulæ, numismata antiqua. Hic enim valent a fortiori rationes supra allatæ, de pretio vulgari per specialem conventionem immutato, n. 255. Aliunde in rebus hujus-

1. « Il est généralement reçu, du moins parmi nous, que la convenance particulière d'une chose, d'un domaine, pour un tel acheteur, en fait hausser le prix; mais elle vaut moins pour tel autre. Ainsi, nous pensons qu'on ne doit nullement inquiéter celui qui vend une chose au-dessus du prix commun, à raison de la convenance. L'acheteur lui-même s'attend à payer cette convenance, et il ne s'en plaint pas. Le prix des choses dépend principalement de la commune estimation des hommes.. Mais il ne faut pas confondre la convenance d'une chose avec la nécessité de l'acheteur, dont le vendeur ne peut se prévaloir pour vendre une chose plus qu'elle ne vaut sans commettre une injustice. » Gousset, n. 84.

modi æstimandis mire dissentiunt qui periti vocantur, satisque difficile qui tali sunt nomine digni, discernuntur.

257. — 2° *Infra pretium vulgare licet emere*, vel ob anticipatam *solutionem*, et tunc diminutio non excedere debet taxam legalem pro mutuo, aut rationem justi tituli, ex dicendis ubi de usura; vel quando res est *parum utilis emptori*, qui nihilominus eam emit *in gratiam venditoris*. Tunc enim res emptori minus valet, indeque pateretur damnum, si tanti emeret, quanti valet secundum se.

Si autem venditor offerat ex sola necessitate, minoris emere esset saltem contra caritatem, ex sententia satis communi. Imo quidam dicunt esse contra justitiam, quia, aiunt, sicut emptoris necessitas non auget pretium, ita nec necessitas venditoris minuit. Attamen, si ex ultronea oblatione concludi possit paucos exstare emptores, licebit minoris emere, quia signum est minoris æstimari, ex axiomate satis recepto : *Merces ultroneæ vilescunt*.

NUMERUS IV

De Venditionis subjecto, et de ejusdem Obligationibus.

In triplici puncto dicemus 1. de iis qui vendere et emere possunt; 2. de obligationibus venditoris; 3. de obligationibus emptoris.

PUNCTUM PRIMUM

De iis qui vendere et emere possunt.

258. — Ii omnes et soli vendere aut emere possunt, qui jure communi habiles sunt ad contrahendum, et quibus emendi vendendique capacitatem lex non sustulit, art. 1594, n. 59. Incapaces igitur ii sunt, qui nullatenus contrahere possunt. Sed præter generalem hanc incapacitatem, sunt quædam aliæ quæ procedunt vel ex parte venditoris, vel ex parte emptoris, vel ex utriusque parte.

1° *Ex parte venditoris*. 1. Debitor, cujus bona immobilia sub custodia tradita sunt (gallice *le saisi*), hujusmodi bona alienare nequit, sub pœna nullitatis, quæ pleno jure locum habet in foro externo, ex art. 692 Cod. judicialis, et obligat in lege determinativa proprietatis.

2. Debitor, qui foro cessit (gallice *le failli*), ex eo die quo foro cessit bonorum suorum administrationem pleno jure amittit, art. 442 Cod. com., ac proinde posterius illa vendere non potest. Quinimo alienationes, quas mercator fecit intra decem dies antequam foro cesserit, nullæ et irritæ sunt, si titulo gratuito factæ sint : et si titulo oneroso, rescindi possunt ex creditorum petitione, quoties in illis fraus quædam a judice detegitur, art. 443 et seq.

2° *Ex parte emptoris.* 1. Tutores emere nequeunt bona eorum, quorum tutelam gerunt; idemque dicendum de mandatariis circa bona, quorum venditio eis mandata est, art. 1596 et 1597 Cod. civ., et de administratoribus communitatum et publicorum institutorum circa bona quæ administrant. Sed hæc nullitas est tantum relativa et invocari non potest ab ipsis emptoribus.

2. Debitor, cujus bona sub custodia tradita sunt et publice venduntur, ea non potest emere : idemque dicendum de iis, qui manifeste pares solvendo non sunt.

3. Judices et alii qui functionem aliquam exercent in tribunali, non possunt emere jura litigiosa, quæ sunt de foro tribunalis in cujus territorio munus exercent; hæc nullitas juxta plures, est absoluta, et invocari potest ab omnibus quorum interest, exceptis talium jurium emptoribus. Ita Duvergier, Troplong, Marcadé, contra Duranton, Zachariæ, qui putant illam nullitatem esse tantum *relativam.*

3° *Ex parte utriusque.* Inter virum et uxorem emptio-venditio consistere non potest nisi in tribus casibus lege definitis, art. 1595, in quibus adest potius soluto debiti, quam venditio.

PUNCTUM II

De Obligationibus Venditoris.

Venditoris obligationes respiciunt rei traditionem, assecurationem, defectus.

I

De Venditoris obligationibus quoad rei traditionem.

Quæri potest quid sit rei traditio, quomodo, quo loco et cujus expensis, quo tempore fieri debeat, quid debeat includere.

259. — 1° *Quid sit rei traditio?* Traditio rei est hujus *translatio in potestatem et possessionem emptoris*, art. 1604. Itaque 1 : rei traditio differt ab ipsius *proprietatis* translatione, quæ fit aut fieri potest solo consensu. 2. Emptor ad

possessionem rei obtinendam, habet, aut habere potest simul jus in re, et jus ad rem contra venditorem, etiam quoad tertios. Ita Troplong, Marcadé, Curia suprema, contra Poncet, Duvergier, qui asserunt emptorem habere contra venditorem actionem tantum personalem. Vide Marcadé, ad art. 1605. — 3. In venditione a *non domino*, præscriptio non incipit a traditione rei, sed ab hujus *possessione* reali et publica.

260. — 2° *Quomodo fieri debeat traditio?* Hæc traditio spectare potest vel res immobiles, vel res mobiles, vel jura incorporea. Vide art. 1605-1607.

261. — 3° *Quo loco, et quibus expensis?* Traditionis, gallice *de la délivrance*, expensæ a venditore solvi debent; emptor vero de asportationis, gallice *de l'enlèvement*, sumptibus tenetur, nisi contraria fuerit stipulatio, art. 1608. Traditio autem fieri debet eodem loco, in quo erat tempore venditionis, nisi aliter conventum fuerit, art. 1609.

262. — 4° *Quo tempore?* Si tempus determinatum fuerit per conventionem, huic standum est: sin autem, res tradi debet statim ac eam exigit emptor, modo pretium solvat, nisi terminus ei concessus fuerit. Si venditor intra tempus conventum rem venditam non tradiderit, emptor potest ad libitum, vel contractus rescissionem petere, vel exigere ut in rei possessionem mittatur, gallice, *la mise en possession*, si mora tantum venditoris in traditione intercesserit : præterea, consequi debet a venditori indemnitatem, si damnum aliquod ex mora passus fuerit, art. 1610 et 1611.

Sed venditor rem tradere non tenetur 1. si emptor pretium nondum solverit, nec tempus ad solutionem obtinuerit; 2. imo et quamvis tempus ad solutionem concessum fuerit, si emptor post venditionem *foro cesserit*, vel alio modo impar solvendo factus fuerit, ita ut venditori pretii amittendi periculum immineat : tunc non potest traditionem exigere, nisi, datis fidejussoribus; caveat de solvendo pretio, quando tempus conventum advenerit, art. 1612, 1613.

263. — *Quid includere debeat?* Ad tria hæc referuntur.

1. Res vendita tradenda est in eodem statu, ac erat tempore venditionis, cum ejus accessoriis, qualia sunt instrumenta, claves, etc., et iis omnibus quæ ad usum ejus perpetuum destinata sunt, necnon fructibus ex ea perceptis; res enim fructificat domino, art. 1614, 1615.

2. Regulariter *mensura* in contractu designata, emptori tradi debet a venditore, art. 1618. Attamen huic regulæ appositæ sunt quædam modificationes, quas legere præstat in art. 1617 ad 1623, quibus standum est.

3. Si res vendita antè traditionem perierit, aut aliquam deteriorationem subierit, perit et deterioratur emptori, nisi venditoris dolus vel culpa præcesserit, venditor in se casum susceperit, vel res ex antiquo vitio perierit, vel res venditæ sint ad pondus, mensuram aut numerum, et ante interitum aut deteriorationem adpensæ, adnumeratæ aut admensæ non fuerint; vel denique res ad gustum vendita, nondum degustata perierit, n. 240, art. 1302, 1303, 1624.

II

De Venditoris obligationibus quoad rei assecurationem.

Dicendum habemus quid sit assecuratio rei venditæ, an et quandonam adsit, quinam sint ejus effectus. Itaque

264. — *Quæritur* 1° quid sit rei venditæ *assecuratio?*

Resp Assecuratio, Gallice *garantie*, rei venditæ est obligatio, qua venditor tenetur præstare emptori *tranquillam* rei possessionem, vel eum indemnem facere, si in rei possessione turbetur. Porro tranquilla non est possessio in casu *evictionis*, seu quando emptor obligatur ad rem altari reddendam, nempe vel domino, vel creditori habenti hypothecam, sicque in ejus possessione ita turbatur, ut jam dici nequeat venditorem rem transtulisse in ejus potestatem, ad sensum art. 1604.

265. — *Quæritur* 2° an et quandonam adsit rei venditæ assecuratio?

Resp. Assecuratio rei venditæ ex ipsa venditionis natura defluit; siquidem venditor ad hoc tantum accipit pretium, ut emptor rem venditam servare possit, vel saltem ut a venditore indemnis reddatur, si in rei possessione turbetur. Revera parum esset, quod res a venditore tradita fuisset, si hic non posset eam securus possidere, eaque frui.

Unde illa obligatio existit ex jure naturali et civili, art. 1626, et absque speciali stipulatione, imo, non obstante stipulatione contraria, in casu evictionis provenientis

ex facto *personali* venditoris, art. 1628 : v. g., vendo tibi domum, quam jam vendidi Petro; et stipulor quod non tenear ad te assecurandum in casu evictionis : hæc stipulatio, utpote fraudulenta, nulla est. Si agatur de evictione ex facto alieno, assecuratio tolli, aut minui, aut augeri potest. Cæterum obligatio venditoris sicut et jus emptoris ad respectivos hæredes transeunt.

Venditor autem immunis est ab assecuratione in pluribus casibus. Scilicet 1. si emptor suo periculo (*à ses risques et périls*) rem evictam emerit, art. 1629, excepto casu evictionis ex facto personali venditoris, ut jam dictum est, vel si causa evictionis fuerit emptori declarata tempore venditionis, art. 1626. 2. Si causa evictionis nonnisi post venditionem orta sit[1]. 3. Si per culpam suam se evinci sinat emptor. 4. Si, turbatus coram judice, venditorem non vocaverit, et iste probet se potuisse rationes opponere evictioni, art. 1640.

266. — *Quæritur* 3° quinam sint assecurationis *effectus* in casu evictionis?

Resp. Tenetur venditor impedire evictionem, si possit; si autem non possit, emptorem debet indemnem præstare. Porro vel evictio est totalis, vel tantum partialis.

1° *Si evictio sit totalis*, venditor debet restituere 1. pretium; 2. fructus, si emptor eos vero domino, fundum vindicanti, restituere debuit; 3. expensas litis intentatæ sive ab emptore, sive a domino; 4. sumptus cujuslibet contractus; 5. damna quæ ex evictione secuta sunt; 6. impensas

1. Venditor teneturne de evictione ratione præscriptionis inceptæ quidem ante venditionem, sed adimpletæ tantum post venditionem? Negant Troplong, Duvergier, Zachariæ : distinguit autem Marcadé, ad art. 1629. Scilicet, tenetur venditor de evictione proveniente ex jure etiam post venditionem orto, quando illius juris productio venditori imputabilis est, art. 1628; ergo idem dicendum est, quando præscriptio imputanda est venditori potiusquam emptori.

Sic. v. g., si præscriptio jam a viginti et novem annis incepta est ante venditionem, injustum esset quod in tali casu nunquam de evictione teneretur venditor, quia præscriptio non fuit completa nisi post annum a venditione. E contra vero, si præscriptio incepta fuit uno anno ante venditionem, et completa non nisi elapsis viginti et novem annis post venditionem, injustum esset quod in tali casu venditor semper de evictione teneretur.

utiles quas emptor in fundo evicto fecerat, et quarum restitutionem ab evincente consequi non potuit, art. 1634; imo et impensas voluptuarias, si venditor alienum fundum, mala fide, vendiderit, art. 1635.

Aliunde venditor restituere debet *integrum* rei pretium, etiamsi, tempore evictionis, rei valor imminutus fuerit; quia, resoluta venditione, nullum habet venditor titulum ad aliquam partem pretii retinendum. Si vero, tempore evictionis, rei valor auctus fuerit, emptor jus habet ad indemnitatem proportionatam, quia, cum emptor esset dominus relative ad venditorem, res pro illo crevit, art. 1631, 1632, 1633.

2° *Si evictio sit partialis*, et pars evicta *tanti sit momenti ut, ea deficiente, emptor emere noluisset, tunc iste potest* rescissionem venditionis petere, art. 1636, et eadem jura habet, de quibus jam diximus in responsione præcedenti.

Si vero *pars minima tantum rei venditæ evincatur*, vel nolit emptor rescindere venditionem, valor partis evictæ emptori restituitur, secundum æstimationem, tempore evictionis, non vero ratione habita integri pretii : idque sive rei venditæ valor auctus vel imminutus fuerit, art. 1637. Ratio est, quia in hoc casu contractus non resolvitur, ac proinde debetur tantum compensatio damni quod actu patitur emptor : porro damnum illud est præcise valor rei tempore evictionis.

Idem dicendum, si in fundo vendito adsint servitutes *passivæ non apparentes, et non declaratæ*, quæ tanti momenti sint, ut emptor non emisset, si earum habuisset notitiam, art. 1638. Sed ei licet, si malit, contractus exsecutionem postulare cum indemnitate legitima, eod. art.

III

De Venditoris obligationibus quoad rei venditæ defectus seu vitia.

Tria expendi possunt, scilicet, quid et quænam sint rei venditæ vitia redhibitoria et non redhibitoria; quænam venditoris obligationes quoad utraque. Unde

267. — *Quæritur* 1° quid et quænam sint rei venditæ vitia *redhibitoria* et *non redhibitoria?*

Resp. Vitia redhibitoria illa sunt, quæ in foro civili venditionem faciunt *nullam* aut *rescindibilem :* id est, quæ *in se occulta*, emptori *ignota*, tempore *venditionis existentia*, *rei usum*, ad quem empta est, *impediunt*, aut ita *minuunt*, ut emptor eam non emisset, vel minoris emisset, si illorum vitiorum habuisset notitiam, art. 1641.

Quænam sint præcise illa vitia, legislator, per legem 20 maii 1838, determinavit pro venditione animalium domesticorum [1]. Pro aliis mercibus standum est consuetudini in variis provinciis receptæ, ut infertur ex art. 1648. Si ob illa vitia venditio reipsa dissolvatur, hæc dissolutio vocatur *redhibitio*.

Vitia *non redhibitoria* illa sunt, quæ in foro quidem civili venditionem non reddunt nullam aut rescindibilem, sed eam tamen faciunt *injustam* in foro conscientiæ : v. g., emptor emit majori pretio equum segnem, quia equus solers apparet ob guttulam mercurii in auribus infusam ; majori pretio lanam emit, quia hæc reposita est in loco madido.

268. — *Quæritur* 2° quænam sint *obligationes venditoris* et *jura emptoris* quoad vitia *redhibitoria?*

1. Cette loi a été modifiée comme il suit, en 1884 : « Sont seulement reconnus désormais comme vices rédhibitoires, *pour le cheval, l'âne et le mulet*, la morve, le farcin, l'immobilité, l'emphysème, le cornage, le tic proprement dit, les boiteries anciennes intermittentes et la fluxion périodique des yeux.

« Pour l'espèce ovine, la clavelée ; il suffit que cette maladie soit constatée sur un seul animal pour que le vendeur puisse être obligé à reprendre tout le troupeau.

« Pour l'espèce porcine, la ladrerie.

« La réclamation de l'acheteur doit être adressée au juge de paix dans les neuf jours qui suivent la vente, sauf pour la fluxion périodique des yeux, maladie qui fait l'objet d'un délai de trente jours.

« Il est immédiatement procédé à la nomination d'experts, qui décident, sous la foi du serment, de la validité ou non-validité de la vente.

« En cas de mort de l'animal, l'acheteur ne peut bénéficier de la garantie que si, après avoir introduit son instance dans le délai légal, il prouve que la mort a eu pour cause l'une des maladies précédemment mentionnées.

« La garantie spéciale concernant les animaux de boucherie, qui mettait à la charge du vendeur la mort de l'animal, lorsqu'elle survenait pour une cause morbide quelconque dans le délai de neuf jours, est supprimée. »

Resp. 1° *Venditor* tenetur de vitiis redhibitoriis, sive ea cognoverit, sive ignoraverit, art. 1643; et hoc verum est etiam in foro conscientiæ. Nam venditor ad hoc accipit pretium, ut faciat rei possessionem non solum tranquillam, sed etiam *utilem* pro emptore; atque emptor rem non emit, nisi ut veram ex re percipiat utilitatem : atqui vitia redhibitoria rem faciunt pro emptore inutilem aut minus utilem; ergo tenetur venditor de illis vitiis.

Revera emptor ordinarie ita intendit non emere rem defectuosam, ut, etiam, non obstante vitio, pretio oblato æquivaleret, nihilominus illam non emeret; ergo obligatio venditoris de vitiis rei venditæ non oritur tantum ex injuria emptore illata, sed est quasi pars seu conditio sine qua non venditionis.

Attamen si venditor vitia ignoret, id est, si sit bonæ fidei, potest ab assecuratione quoad vitia se eximere per stipulationem contrariam, vel tenetur tantum restituere emptori pretium rei et sumptus (*frais et loyaux-coûts*), quos venditionis causa pertulit; dum, si vitia cognoscat, id est, si sit malæ fidei, non potest ab illa obligatione assecurationis per contrariam stipulationem se eximere, atque tenetur emptori restituere pretium rei, sumptus, et insuper omnia damna compensare, 1643, 1646; n. 82. Unde venditor in conscientia debet aperire emptori vitia redhibitoria, si ea cognoverit, alioquin dolum committeret.

Si res vendita *perierit* ex vitiis redhibitoriis, interitus recidit in venditorem, qui tenetur restituere pretium, et damna compensare, art. 1646. Si fortuito casu, aut culpa emptoris perierit, perit emptori; quia tunc vitium non nocuit emptori. Attamen etiam in hoc casu venditor, saltem si fuerit malæ fidei, tenetur in conscientia restituere partem pretii proportionatam imminutioni, quæ facienda fuisset ratione vitiorum.

2° *Emptor* autem, ubi adsunt vitia redhibitoria, potest pro nutu suo vel rem reddere et pretii restitutionem petere, vel rem servare et partem pretii recuperare juxta peritorum æstimationem, art. 1644. Attamen pretii imminutio non admittitur in venditione aut permutatione

animalium domesticorum, ex art. 2 legis 20 maii 1838.

Quando redhibitio fit, omnia in integrum restituuntur, perinde ac si neque venditio intercesserit; unde venditor reddit pretium interesse pretii, sumptus, etc., ut jam dictum est; et emptor reddit rem, vel quod ex ea superest, si ex vitio interierit, cum illius fructibus, accessoriis seu incrementis.

Actio redhibitionis proponi debet brevi mora, secundum naturam vitiorum, et usum locorum, ubi venditio locum habuit, art. 1648. Ex lege 1884, conceditur triginta dierum mora pro una specie vitiorum (pour les cas de fluxion périodique des yeux), et novem dierum quoad cætera vitia animalium domesticorum. Si interim animal moriatur, venditor non exinde obligatur, nisi probet emptor ipsum interiisse ex vitio redhibitorio.

Tandem non conceditur actio redhibitionis in venditionibus, quæ fiunt auctoritate judiciaria, art. 1649. In his enim minus timendæ sunt fraudes : aliunde sæpe fiunt hujusmodi venditiones pretio infimo, et cum magnis sumptibus, adeo ut intersit eas facile non irritari.

269. — *Quæritur* 3° quænam sint *obligationes venditoris* quoad vitia in foro civili *non redhibitoria*, sed quæ in foro conscientiæ venditionem aliquo modo *injustam* faciunt?

Resp. Venditor illa vitia tenetur non occultare, ea aliquando aperire, horum ratione pretium minuere.

Et quidem 1° *non occultare*, quando nempe tale est vitium, ut, eo cognito, emptor rem non emeret etiamsi proportionaliter minueretur pretium. Tunc enim deest sufficiens consensus ex parte emptoris, atque ex se rescindibilis aut nulla est venditio, n. 49.

Porro venditor occultare potest, seu *dolum positive* adhibere quoad rei defectus, sive *verbis*, ut si mendaciis conetur illa vitia dissimulare; sive *factis*, si, arte quam vocant mangonium (*maquignonnage*), faciat, ut merces suæ meliores, quam sint, appareant, v. g., si guttam mercurii in aures equi infundat, ut generosus appareat; si in sacci summitate melius triticum, in extremitate dolii majores pisces repo-

nat; si angulum et tenebras quærat, ut rei defectus occultentur; si avenam, lanam, tabacum in locis humidioribus collocet, ut sint majoris voluminis aut ponderis, etc.

2° Tenetur *non tacere*, seu *dolum negative* non adhibere, sed *aperire* vitia *occulta*, etiamsi de iis ab emptore *non interrogetur*, quando illa vitia rem emptori reddunt *noxiam* aut *inutilem;* quia tunc illa vitia sunt substantialia saltem relative ad emptorem, cujus ideo deficit consensus; n. 46, 49.

Si autem venditor *non sit interrogatus*, et vitium occultum *non reddat rem inutilem*, potest non aperire illud vitium, modo pro ratione vitii pretium minuat, ut communiter docent Theologi. Revera, si defectus omnes non notabiles in se, nec relate ad usum emptoris, detegerentur, multi ab emendo deterrerentur, in magnum venditorum detrimentum.

Attamen venditor, saltem venditione peracta, de vitio monere debet emptorem, si prævideat hunc rem forte venditurum majori pretio quam valeat, aut voliturum servare diutius quam servari queat, etc. Hoc ipso enim quod rem suam venalem exponit cum occulto vitio, tenetur cavere ex parte sua, ne quis damnum patiatur.

Si *interrogetur* venditor de aliquo *speciali* vitio *occulto*, quodcunque sit, debet venditor secundum veritatem respondere. Emptor enim, de tali vitio interrogando, ordinarie indicat se nolle emere rem hocce vitio infectam; ac proinde, si vitium existat, et a venditore non aperiatur, emptio fieret absque sufficienti emptoris consensu. Ita communiter Theologi; S. Ligor. n. 823.

Quando autem emptor expresse non interrogat de vitiis, sed simpliciter petit rem bonam et utilem sibi exhiberi, non tenetur venditor aperire vitia occulta et accidentalia, quibus cognitis nihilominus rem emisset emptor; sed tunc imminui debet pretium pro ratione vitii.

Imo, si venditor interrogatus protestetur se nolle rationem dare de quocunque defectu, tunc ad nihil tenetur, quia eo ipso declarat se non suscipere assecurationem contra vitia, si quæ sint. Unde S. Ligorius, n. 823, probat consuetudinem, quæ in quibusdam locis suo tempore vige-

bat, præsertim in nundinis magnis, quod ita vendantur animalia, etiamsi vitia sint occultissima. Ad tollendis enim lites ob bonum commune hoc cohonestari potest consuetudine : modo non vendatur res ultra justum pretium, ratione habita vitii occulti. Talis esse videtur frequens praxis præsenti tempore.

Tandem, quoad vitia *per se manifesta*, nec per dolum occultata, non tenetur venditor ea aperire saltem ordinarie, sed tantum pro ratione illius vitii minuere pretium. Tunc enim emptor per se potest contra illud vitium sibi providere; et ideo si non sit vigilans, et rem defectuosam emat, sibi imputare debet.

Attamen, juxta omnes, si res ematur apud mercatores, quibus solent emptores suas partes *implicite* committere quoad qualitatem mercium, tunc venditores debent emptori aperire vitia mercis etiam per se manifesta, et sic judicaretur in foro externo; vide Marcadé, ad art. 1649.

Sed etiam, si venditor videat rei vitia per se manifesta et notabilia ab emptore non deprehendi ex ignorantia aut inadvertentia *invincibili*, debet ea aperire ex justitia, juxta non paucos, quia respectu illius emptoris talia vitia vere occulta reputantur. Alii vero negant, modo res non vendatur, nisi justo pretio, et vitia hujusmodi non prævideantur nocitura emptori invincibiliter ignoranti.

3° *Pretium rei defectuosæ minuere debet* venditor ratione vitii in omni casu, ut jam sæpe diximus, n. 248, 249. Vitium enim vere minuit valorem rei, et læditur æqualitas in contractu, si eodem pretio res vendatur, ac si esset integra et perfecta.

Unde, si quis rem defectuosam vendat supra summum pretium, tenetur ad excessum hujus pretii restituendum; si autem non vendat supra summum pretium, non committit injustitiam, nisi tamen supremum obtineat pretium per fraudem, n. 251.

Similiter, si res habens defectum sit æque bona et æque valeat, ac res aliæ ejusdem speciei, quæ communiter venduntur, non videtur injustum eam vendere eodem pretio, quo aliæ venduntur; siquidem, si in hoc casu sit fraus

quædam, non est emptori nociva. Id tamen communiter est illicitum, nisi fiat ex rationali causa; tum quia bonæ fidei et securitati commercii repugnat; tum quia multi sequerentur abusus, si mercatores constituerentur judices in propria causa. Revera in Codice pœn. art. 475, 476, mulctis plectuntur, qui vendunt potiones adulteratas.

PUNCTUM III

De Emptoris obligationibus.

Præter emptoris obligationes ratione *justi* pretii, de quibus dictum est, n. 247 et seq., emptor præcipue tenetur rem *solvere* et *tollere*.

270. — Et quidem 1° *rem solvere*. Scilicet,

1. *Locus* et *tempus* solutionis jam indicata sunt, n. 109.

2. Si differatur solutio, *auctarium* (*l'intérêt*) pretii ab emptore debetur, quando in venditione statutum fuit; aut quando res vendita et tradita est frugifera; aut quando emptor in mora constitutus fuerit; in hoc casu auctarium debetur a die interpellationis, n. 82, ad 2; art. 1652.

3. Suspendere potest emptor solutionem pretii, si in possessione rei perturbetur, vel legitimam habeat causam timendi perturbationem, n. 264; nisi tamen fidejussores idonei ejus evictionis offerantur, aut nisi cautum fuerit, art. 1653.

4. Demum, si emptor pretium solvere possit, et illud non solvat, venditori licet venditionis rescissionem petere, quæ rescissio statim, vel post aliquam dilationem pronuntiatur, art. 1654-57.

271. — 2° *Rem tollere* tenetur emptor tempore convento, vel statim, si nullum tempus assignatum fuerit; nisi per consuetudinem locorum concedatur aliqua mora.

Si emptor desit suæ obligationi, tunc 1. venditor potest obtinere a judice, ut res alibi custodienda deponatur, art. 1264; 2. potest petere compensationem damnorum; 3. potest, si agatur de bonis mobilibus, resolvere venditionem, art. 1657.

NUMERUS V

De quibusdam peculiaribus Venditionis speciebus.

De præcipuis tantum dicemus, nimirum, 1° de monopolio; 2° de venditione jurium incorporeorum; 3° de venditione sub hasta; de venditione per proxenetas.

PUNCTUM PRIMUM

De Monopolio.

272. — *Quæritur* quid sint monopolium, quotuplex et an sit licitum?

Resp. 1° Monopolium, seu solus vendere, est potestas exclusiva vendendi penes unum vel paucos tantum.

Duplex est, *legale* vel *privatum*. Prius fit auctoritate publica; posterius, exercetur unius aut plurium mercatorum machinatione, et quidem triplici modo : nempe vel impediendo aliorum mercium importationem, ut quis solus suas vendat; vel emendo, tempore opportuno, quasi omnes ejusdem speciei merces, ut deinde quis eos revendat quanti plurimi; vel conspirando cum aliis venditoribus de pretio, nequis minoris vendat.

2° *Legale* monopolium licitum est, quatenus potest Status, ob justam boni publici causam, privilegium vendendi talem vel talem materiam, v. g., tabacum quibusdam exclusive concedere.

Privatum monopolium est vel illicitum, vel etiam injustum, vel justum et licitum.

Et quidem 1. *illicitum* et contra caritatem, si mercatores de mercium pretio ita conveniant, ut, salvo pretio justo, nec minoris vendant, nec pluris emant, quam quod inter eos conventum est. Caritas enim obligare videtur ad non dissuadendum aliis, ne minoris pretii vendant. S. Ligor., lib. 3, n. 817.

2. *Injustum* etiam et contra justitiam, si mercator fraude vel mendacio impediat aliorum mercium importationem, ut ipse suas merces carius vendat; vel si unus aut aliqui fere omnes res ad sustentationem *necessarias* emant ut eas pluris vendant quam in foro, remoto monopolio, vende-

rentur: secus vero si ageretur de rebus non necessariis, v. g., de gemmis pretiosis, de ornatu mulierum, etc.; vel si venditores conspirent inter se ut supra summum pretium vendant.

Nec licet, facto monopolio de pretio ultra summum, aliis mercatoribus eodem pretio vendere. Æstimatio enim orta ex injustitia, nequit esse justa, sed remanet fraus ac deceptio. S. Ligor., n. 816, 817.

3. *Non injustum*, nec *illicitum*, si unus aut plures emant merces, ut eas revendant pretio moderato et etiam summo; quisque enim jus habet res suas vendendi summo pretio, cum hoc remanet justum; nec lædit caritatem, qui non negligit suum commodum, ut evitet alterius damnum, quod avertere non tenetur. S. Ligor., n. 816, 838.

273. — Quæ modo diximus de venditorum conspiratione, vera sunt etiam de conventione *emptorum*, quatenus conspirant in pretium infra infimum, quod est contra justitiam, vel in infimum tantum, quod est contra caritatem.

Idem etiam dicendum est sive de *opificibus*, qui mutua conventione sibi promittunt se tale opus non perfecturos, nisi sub conditione talis pretii; sive de *heris*, qui ex mutuo conspiratione opifices ad operandum minori pretio conducunt.

PUNCTUM II

De Venditione jurium incorporeorum.

275. — Quæ venditio pro objecto habere potest credita, hæreditatem, jura litigiosa. De venditione solum creditorum (*cession*, *transport*, *transport-cession*), hic quædam notanda sunt.

Venditor obligatur ad solam juris *existentiam* assecurandam; non autem assecurat debitoris solvabilitatem in præsenti, nec in futuro, nisi de unoquoque expresse conventum fuerit. Si vero jura vendita non existerent, aut ad alium ac venditorem pertinerent, venditor deberet emptori restituere pretium acceptum, sumptus contractus, impensas ab emptore factas ad recuperanda illa jura,

An liceat chirographa et alia credita minoris emere, infra dicemus, n. 320, 321.

PUNCTUM III

De Venditione sub hasta seu per licitationem.

276. — *Quæritur* quid sit venditio sub hasta, et quomodo in hac venditione violari possit justitia?

Resp. 1° Venditio sub hasta (gallice, *aux enchères*), ea est qua res venales publice expositæ per præconem proclamantur, ita ut cuivis liberum sit augere pretium, et res majus offerenti, post tempus datum, adjudicetur. Vide Cod. civ., art. 826-827, 1686-1687-1688, 2204-2218; Cod. judic., art. 673-677, 945-985.

2° Jam diximus, n. 246, ex sententia communi, licitum esse res, quæ sub hasta venduntur, pluris vendere aut minoris emere, quam secundum se valent, vel alibi venderentur aut emerentur. Attamen venditio aut emptio fieri potest injusta ex parte venditoris, emptoris aut præconis.

1. Ex parte *venditoris*, si rem unam exponat, et tradat alteram minoris pretii. An autem possit rem suam retrahere, incepta licitatione, si minus pretium offeratur aut mittere fictos licitatores, ut pretium rei crescat, distinguendum est : utrumque licet, si talis usus prævaluerit. Si vero contrarius sit usus, non licet, juxta S. Ligor., n. 808, quia tunc adest stipulatio tacita, ut cedat plus offerenti; et, mittendo fictos licitatores, causa est ut pretium crescat ex fraude, non vero ex cursu naturali rerum. Juxta alios, in hoc casu injuria non constat. Veri enim licitatores semper manent liberi ab emptione per novam licitationem se abstinere, nec proprie jus habere videntur tali vel tali pretio emendi, dummodo per licitatores fictitios res supra summum pretium non vendatur. Et hoc valde probabilius nobis videtur.

2. Ex parte *emptoris* adest injuria, si pactum faciat cum aliis ne licitent, aut ne plus offerant, in casu coactæ seu judiciariæ subhastationis. Jus enim habet venditor, ut emptores sint perfecte liberi, et ne impediatur pretii incrementum, quando ipse rem suam non potest retrahere.

Idem dicendum est in casu liberæ subhastationis, si ex usu vigente venditor non possit rem retrahere, quando pretium inferius ei offertur.

Attamen in utroque casu exipiunt quidam, si emptores sint societate conjuncti, vel quasi conjuncti, ut fratres, amici, etc., quia faciunt unam personam moralem, nec potest exigi ut adversum se licitent.

Si vero ex usu venditor potest rem suam retrahere, quando pretium inferius ei offertur, æquitas postulat ne conqueratur, quod emptores conveniant ne pretium nimis augeatur.

Similiter, si emptor *roget* alios ne licitent, in hoc non violatur jus venditoris, siquidem libertas licitandi non tollitur, et emptor sua utitur diligentia, ut sibi consulat.

3° Ex parte *præconis* læditur justitia, si uni e licitantibus plus quam cæteris faveat, vel si quid faciat in detrimentum venditoris, c. g., citius rem adjudicando, vel tempore inopportuno auctionem instituendo.

PUNCTUM IV

De Venditione per Proxenetas.

277. — *Quæritur* quid sit proxeneta, et quomodo violare possit justitiam, suam exercendo commissionem?

Resp. 1. Proxeneta seu factor (gallice *courtier, commissionnaire, entremetteur*), ille est, cui aliquid committitur vendendum aut emendum, nomine committentis.

2. Proxeneta, si rem vendat supra, aut emat infra pretium a committente designatum, non potest excessum aut residuum sibi retinere, nisi expresse aut implicite concesserit committens, quod raro evenit, aut nisi proxeneta extraordinariam abhibuerit diligentiam : quo casu jus habet ad pretium illius laboris extraordinarii.

Vel enim proxeneta est amicus, et tunc renuntiavit mercedi; vel est famulus, et tunc tenetur operam suam præstare ratione stipendii annui; vel speciali salario conductus, et tunc hoc salario debet esse contentus. Revera committens, assignando limitem pretii, non intendit eximere mandatarium a cura rem ipsius meliori modo gerendi, si potest.

3. Proxeneta sibi emere potest rem committentis pretio ab isto determinato, modo pretium majus pro committente non invenerit; et postea, si majori vendat pretio, potest excessum retinere. Sed requiritur quod emptio fuerit sincera, non ficta.

4. Qui emunt pro aliis, generatim non possunt aliquid a mercatoribus accipere, vel ipsi pretium majus, quam solverunt, a committente exigere, sub prætextu, quod fiat diminutio intuitu ipsorum. Nam, si proxeneta sit famulus, diminutio fit ordinarie, quia multum emit, ac proinde in gratiam committentis; aliunde famulus, ratione officii et stipendii, tenetur rem domini, quo meliori modo poterit, gerere. Facilius tamen excusari potest, si munuscula tantum ab iis mercatoribus accipiat; item, si domini, ut sæpe accidit apud ditiores, id agnoscant, et consentiant.

Si vero sit proxeneta proprie dictus, vel pars pretii censetur esse illius stipendium, et tunc retinere potest illam remissionem; vel aliunde salarium ipsi datur, aut iste se offert tanquam gratis commissionem præstiturus, et in neutro casu remissionem pretii potest retinere, ut patet.

§ III

De Locatione.

278. — *Quæritur* quid sit *locatio*, et quotuplex ejus species?

Resp. 1° Locatio in genere est contractus *de usu rei ad certum tempus, vel de opera, pro certa mercede præstandis.*

Dicitur 1 : *de usu rei*, in quo differt a venditione, qua transfertur etiam ipsa rei proprietas.

Dicitur 2 : *de usu vel opera præstandis*, quibus designatur locationis materia; et in hoc etiam locatio differt ab usufructu, in quo dominus rei *patitur frui*, dum in locatione dominus *facit frui*.

Dicitur 3 : *pro certa mercede;* ex quo locatio discrepat a commodato et a beneficio et servitio, quibus res vel operæ gratis præstantur.

Unde, sicut venditio et emptio sunt duo contractus partiales inter se correlativi, et in unum contractum totalem

coeuntes, ita etiam ille contractus locatione et conductione coalescit : scilicet, *locatio* dicitur ex parte illius, qui rem tradit aut opus facit, quique ideo *locans* seu *locator* nominatur; dicitur autem *conductio* ex parte illius, qui pro re accepta aut opere faciendo pactum pretium spondet, quique ideo *conductor* seu *locatarius* appellatur.

2° Duplex est locationis species, *perfecta* scilicet et *imperfecta;* prior seu locatio pura ea est, quæ pro objecto habet vel res inanimatas, ut ædes, agrum, vel operas, v. g., operariorum, famulorum; posterior seu locatio mixta contractu societatis, pro objecto habet animalia. Unde

NUMERUS PRIMUS

De Locatione pura seu rerum et operarum.

Locatio rerum a locatione operarum differt, sicut obligatio dandi ab obligatione faciendi, n. 77. De utraque breviter dicemus.

PUNCTUM PRIMUM

De Locatione rerum.

Expendendum habemus notionem et conditiones locationis, obligationes locatoris et locatarii in genere, et specialiter in casu incendii aut sterilitatis. Itaque

279. — *Quæritur* 1° quid sit rerum *locatio*, et quænam sint ejus præcipuæ *conditiones?*

Resp. 1. Locatio rerum est contractus, quo *unus se obligat ad alteri præstandum rei alicujus fruitionem per aliquod tempus, pro certo pretio,* art. 1709. Dicitur *bail à loyer*, aut *bail à ferme*, prout agitur de ædibus et bonis mobilibus, vel de bonis ruralibus.

2. Locatio fieri potest scripto aut verbo; si verbo solum fiat, probatio per testes non admittitur in jure Gallico, nisi executio jam incepta fuerit; sed deferri potest juramentum ei, qui locationem negat, art. 1715.

Locatarius *sublocare* seu alteri locare *partem* rei locatæ, vel *cedere locationem* seu alteri *totam* rem locare potest, nisi illud expresse ei fuerit prohibitum; secus vero, si sit colonus partialis, art. 1717.

Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterutrius contrahentis; dummodo alterum congruo tempore moneat, juxta locorum consuetudinem, et rei locatæ naturam. Si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus, art. 1743.

280. — *Quæritur* 2° quænam sint obligationes *locatoris?*

Resp. Rei locator tenetur 1. rem suam juxta conventionem tradere, eamque reddere idoneam fini propter quem quem locata fuit; art. 1719; 2. præstare, ut locatarius tranquille ea fruatur; aperire vitia noxia rei, alioquin debet compensare damnum inde emergens conductori, etiamsi vitia illa ignoraverit, modo tamen culpabiliter ea nescierit, art. 1721; et expensas necessarias ad rei locatæ reparationem sustinere, exceptis tamen expensis minutis; 3. formam rei locatæ absque consensu locatarii mutare nequit, art. 1723; sed reparationes necessarias, etiam invita conductore, facere potest, absque compensatione damni inde emergentis, art. 1724.

Locator autem non potest rem suam locare iis, quos prævidet ea abusuros ad morum corruptionem, vel damnum inferendum, v. g., domum suam meretricibus, latronibus, ne illis peccandi facilitatem et occasionem præbeat. Quidam excipiunt casum de meretricibus, in aliqua urbis parte a principe toleratis; quia, aiunt, ratio, quæ permissam facit illam tolerantiam, eadem permissam facit locationem : quod prorsus rejicimus [1]. Vide Tract. *de Virtute castitatis,* n. 51, 4°.

281. — *Quæritur* 3° quænam sint obligationes *locatarii* rei?

Resp. Locatarius rei 1. debet uti re locata tanquam bo-

1. « Les rues de Rome pleurent, parce que l'on y voit toujours plus nombreuses certaines maisons, qui souillent les âmes, gâtent les cœurs, corrompent l'esprit de la jeunesse et tant d'autres imprudents qui y accourent; et cependant ils sont sûrs que d'abord *nutriebantur in croceis,* et que maintenant *amplexati sunt stercora.* » Pie IX, disc. du 8 fév. 1877.

nus paterfamilias, ad solum finem locationis, art. 1728; si res ad alios usus adhibeat, unde aliquod detrimentum possit locatori evenire, hic potest exigere damni reparationem, vel petere contractus dissolutionem, art. 1729. 2. Tenetur ea reficere vel reparare, quæ culpa ipsius perierunt aut deteriora facta sunt; imo in foro externo tenetur de omnibus damnis, quæ subit res locata, nisi ea, seclusa sua vel subditorum culpa, evenisse probaverit. 3. Modicæ reparationes ad conservationem rei, quæ dicuntur *locativæ*, ad ipsum spectant, v. g., reficere vitra, etc., art. 1754-5.

Demum, ex jure Gallico, locator solvit tantum tributa fundo imposita (*contributions foncières*). Tributa autem pro januis et fenestris a locatario solvenda sunt; sed, non solvente eo, qui solvere debet, fiscus actionem in alterum habet, salvo tamen recursu posterioris in priorem,

282. — *Quæritur* 4° quænam sit obligatio locatarii, si res locata *incendio* perierit, aut in casu *sterilitatis* rei locatæ et frugiferæ?

Resp. 1. Si domus locata incendio perierit, locatarius de damno tenetur in foro externo, nisi probet illud accidisse citra suam culpam, art. 1733-4. In foro autem conscientiæ locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla ejus culpa etiam juridica domus fuerit destructa; imo probabiliter ad nihil tenetur saltem ante sententiam judicis, etiamsi ex sola ejus culpa mere juridica domus perierit, n. 81, ad 3 et 4.

2. Si res locata et *frugifera* plus minusve fuerit *sterilis* ob *fortuitum casum*, v. g., ob grandinem, gelu, etc., locatarius tenetur nihilominus integram pensionem solvere, si in se susceperit fortuitos casus, art. 1772, 1773.

Si vero in se non susceperit casus fortuitos, distinguendum est, scilicet, vel locatio est unius anni tantum, vel plurium annorum.

Si prius, ex art. 1770, jus habet ad proportionatam diminutionem pensionis, quando ordinaria fructuum a fundo *nondum separatorum* quantitas deficit *saltem quoad dimidiam partem;* si autem deficiat quantitas minor dimidia parte, debet locatarius integram solvere pensionem. Nam,

ex una parte, locatarius non promittit pretium, nisi quatenus re locata uti vel frui poterit; ex altera vero, locatarius, quando adest insolita fructuum ubertas, non ideo solvit majus pretium; ergo æquum est quidem ut, ratione sterilitatis ob fortuitum casum, minuatur locationis pretium, sed solummodo quando deficit extraordinarie fructuum quantitas.

Si posterius, id est, si locatio sit *plurium annorum*, inter omnes annos instituitur compensatio ope insolitæ ubertatis, ex art. 1769. Sed de modo, quo fieri debeat illa compensatio, non consentiunt inter se Jurisperiti.

Alii quippe putant compensationem illam instituendam esse non solum pro annis, quorum fructus deficiunt saltem quoad dimidiam partem, sed et pro annis quorum fructus deficiunt quoad partem dimidia minorem; quia ex art. 1769, compensatio fieri debet *omnium annorum, quibus duravit locatio*. Sic, v. g., ager ordinarie producens 100 mensuras tritici, et per tres annos locatus, produxit primo anno 110 mensuras, secundo anno 90, tertio 50 : porro 10 mensuræ, quæ primo anno excedunt ubertatem ordinariam, compensant 10 mensuras quæ deficiunt secundo anno; et ideo tertio anno, cum deficiat dimidia pars ubertatis ordinariæ absque ulla compensatione ex duabus aliis annis proveniente, locatarius jus habet ad proportionatam pensionis diminutionem. Ita plerique Jurisperiti. inter quos Duranton, Zachariæ, Troplong.

Alii vero sentiunt ope insolitæ ubertatis instituendam esse compensationem tantum pro annis, quorum fructus deficiunt quoad saltem dimidiam partem. Nam, ex art. 1769, 1770, non minuitur pensio, nisi quando deficit eodem anno pars dimidia fructuum. Sic, v. g., in exemplo allato, 10 mensuræ, quæ primo anno excedunt ubertatem ordinariam addi debent, non sane 90 mensuris secundi anni, sed 50 mensuris tertii anni, qui ita censetur 60 mensuras produxisse; et tunc, cum nullus sit annus, quo ex casu fortuito dimidia pars fructuum defecerit, locatarius pro tribus annis integram pensionem solvere debet. Ita Duvergier, Marcadé, quorum sententia menti Codicis conformior videtur.

PUNCTUM II

De Locatione operarum.

Dicemus de notione et speciebus locationis operarum, et speciatim de locatione operariorum et famulorum. Unde

283. — *Quæritur* 1° quid sit *operarum* locatio, quotuplex ejus species?

Resp. 1° Locatio operarum est contractus quo *unus aliquid accipit pro altero faciendum, facto pretio,* art. 1710. Unde locatio differt a mandato tum ratione operis, quod pro mandato est opus *liberale,* dum pro locatione est opus *servile;* tum ratione pretii, quod pro mandato vel non existit, vel non datur ut pretium, sed ut honorarium seu ad honorandum mandatum, dum in locatione operis semper adest pretium, quod ad solvendum valorem operis datur [1]. Juxta Duvergier, locatio operis differt a mandato, in eo quod qui præbet operam, proprio nomine agit, ex voluntate sua et capacitate personali; dum mandatarius agit nomine mandantis, et actus illius vim habent ex istius voluntate et capacitate.

Locator dicitur, qui præstat operam; *locatarius* autem aut conductor, qui dat pretium, ex hoc principio a Codice civili admisso, quod pars solvens pretium est locatarius. Vide Marcadé, ad art. 1711, ubi exponitur et excutitur controversia de illa denominatione.

2° Tres sunt præcipuæ locationis operarum species, scilicet, 1. locatio operariorum et famulorum; 2. vectorum, seu eorum qui se obligant ad res vel personas transferendas; 3° redemptorum, seu eorum qui opus aliquod exequendum suscipiunt, gallice *entrepreneurs par suite de devis et marché.* De locatione vectorum et redemptorum, vide Cod. civ. art. 1782 et seq. Hic dicemus tantum de operariorum et famulorum locatione. Itaque

1. « Les œuvres de l'esprit et du cœur ne devraient être, selon nous, ni l'objet d'un mandat, ni l'objet d'un louange, mais l'objet d'un contrat spécial et *sui generis*... Non, le poète, l'artiste, le savant, le prêtre, le soldat, le médecin, le professeur (j'entends ceux qui sont dignes de leur état), ne seront jamais, ni à leurs yeux, ni aux yeux des autres, des entrepreneurs; leurs œuvres ne seront jamais des *spéculations*... Il répugne d admettre que le dévouement du prêtre, du soldat, du médecin, du professeur; que la charité de ces religieuses, qui renoncent aux joies du monde, et quelquefois de la fortune, pour soigner dans nos hôpitaux les maladies les plus repoussantes; que toutes ces saintes et belles choses ne soient que des *choses à louer*... Leur mobile et leur recompense ne sera jamais dans l'argent : il sera toujours dans la gloire, dans le respect et l'admiration des hommes, dans la joie intime de la conscience. » Marcadé, ad art. 1779.

§ 284. — *Quæritur* 2° quænam esse possit *duratio, probatio* locationis operarum, et quænam *obligationes reciprocæ*, quando *opera* conducta *nullo modo* aut *non integre* fuit *præstita?*

Resp. 1° Nemo potest operam suam obligare, nisi ad quoddam tempus, vel ad opus determinatum, art. 1780. Hinc non valeret contractus initus pro tam longo tempore. quod toti vitæ æquivaleret : quod enim lex prohibet directe, indirecte fieri non licet.

2° Quoad *probationem*, si oriatur dissensio herum inter et famulum, fides adhibetur hero affirmanti circa *quantitatem stipendii* et circa solutionem termini elapsi, vel etiam currentis (*à-comptes pour l'année courante*). Sed hæc Codicis civilis dispositio fuit abrogata an. 1868; et ideo in hoc etiam casu adhibentur consuetæ probationes.

3° Circa *obligationes reciprocas*, principium generale est omne damnum, ex omissione actionis debitæ secutum, reparandum esse, modo fuerit realiter, injuste et voluntarie secutum, n. 81, 273.

§ 285. — Hinc 1. inexecutio operis provenit vel ex culpa heri, vel ex culpa operarii, vel ex casu fortuito.

Si *ex culpa heri* proveniat, debet iste nihilominus solvere totum stipendium, nisi operarius se alteri locaverit; nam tunc poterit detrahi quod est ab alio receptum. Si vero se locare potuerit et noluerit operarius aut famulus, excusatur herus, juxta plures Theologos contra alios multos. Revera ex istorum opinione faveretur acedia operarii, cui opportunius videretur stipendium suum obtinere absque ullo labore.

Si ex *culpa operarii vel famuli* proveniat, iste jus amittit ad stipendium, et insuper tenetur compensare damnum quod reipsa exinde patitur herus; nisi herus ab alio operario executionem operæ absque gravi incommodo obtinere potuerit.

Demum, si *ex fortuito casu* proveniat inexecutio operæ, contractus pure et simpliciter resolvitur, id est, nihil debetur ex utraque parte, v. g., si opus conventum præstari

nequeat ob aeris intemperiem, ob morbum diuturnum. Nemo enim censetur se obligare ad solvendum opus, quod non fuit præstitum. Si vero morbus sit transitorius, nihil detrahendum videtur a stipendio famuli, juxta communem praxim. Operarii autem diurni seu ad aliquod tantum dies conducti recipiunt stipendium ad ratam temporis,

286. — Hinc 2. si famulus aut operarius se locaverit viliori pretio, vel erraverit in æstimatione operis quod in se suscepit, regulariter tenetur conductor non dare infra pretium infimum, ut servetur æqualitas, sicut in venditione. Ita communiter Theologi.

Potest tamen conductor minus pretium solvere, si ad opus perficiendum determinatus fuit modicitate pretii, aut caritate tantum; vel si operarius aut famulus ultro sese offerat, eoque non indigeat dominus; vel si alios inveniat, qui illo minori pretio opus perficere velint; vel si ob aeris, v. g., intemperiem plus temporis insumpserit operarius, quam existimaverat : si minus enim temporis insumpsisset, non ideo pretium minueret.

Hinc 3. qui uno actu res plurium gerit, potest æquale pretium accipere ab unoquoque cujus rem habet, modo obligetur divisim erga unumquemque, et quidem solidarie ita ut, deficiente erga unum obligatione, remaneat erga alios obligatio; modo etiam sit æque utilis omnibus, ac si pro unoquoque separatim ageret; sic, v. g., qui proprii negotii causa intendit ire Parisios, potest tanti exigere ab eo qui illuc ipsum suo nomine mittit, ac si proprii negotii causa iturus non fuisset, ut probat usus quotidianus.

NUMERUS II

De Locatione animalium.

287. — Locatio animalium (*bail à cheptel*, pronuntiatur *chétel*) est contractus *quo unus alteri aut uterque uni ex his tradit quoddam animalium capitale* (*cheptel, fonds de bétail, troupeau*), cum onere pascendi et servandi sub certis conditionibus.

Fieri potest circa quæcunque animalia, ex quibus lucrum

educi potest in favorem agriculturæ vel commercii, art. 1802. Nulli formæ speciali subjicitur; sed ordinari potest per conventiones privatas, et nonnisi ad eas supplendas statuuntur regulæ per legem, art. 1803. Vide tamen art. 1811, 1819, 1828.

Plures sunt hujus locationis species : le cheptel *simple* ou ordinaire; le cheptel *à moitié;* le cheptel *donné au fermier* ou colon partiaire; une quatrième espèce de contrat *improprement appelé cheptel;* art. 1801. De his sigillatim varias tradit regulas Codex civilis.

§ IV

De Cambio.

288. — *Quæritur* quid sit cambium, quotuplex ejus species, an sit licitum?

Resp. 1° Cambium est contractus *re perfectus, quo fit pecuniæ mutatio pro pecunia, cum lucro campsoris.*

Dicitur *cum lucro campsoris;* sed lucrum hujusmodi nec est *purum*, siquidem campsor affert aliquid ex sua parte; nec etiam est *gratuitum;* nam alter contrahens suum quoque habet commodum : unde contractus ille ad *locationem* et *venditionem* accedit.

2° Cambium triplex distinguitur : *manuale, locale, temporaneum*, seu ad terminum, quod fictum et *siccum* vocatur, si fieri debeat in eodem loco; sed cum istud nihil aliud sit quam onerosum mutuum palliatum, de illo nihil hic agemus.

Cambium *manuale,* seu minutum, *est illud quo præsens pecunia de manu ad manum pro alia pecunia pariter præsenti, sed diversæ rationis et speciei mutatur,* ut aurea pro argentea, gallica pro hispanica, aut vicissim. Patet per se licitum esse.

Cambium *locale*, seu per litteras, *permutatio pecuniæ præsentis cum absente*, ut si des hic Titio pecuniam, et Titius tradat tibi litteras cambii, quarum ope eamdem summam recipias Lutetiæ. Duplici præsertim modo fit cambium locale; vel enim 1. pecunia solvenda est ab eo qui eam accepit, et tunc dicitur cambium personale, scriptumque ordinarie vocatur *billet à ordre*, seu *à domicile;* vel 2. solvenda est pecunia a tertio, et scriptum dicitur *lettre de change.*

In isto contractu sedulo distinguendæ sunt personæ quæ gallice dicuntur *le tireur, le preneur, le tiré et l'accepteur, l'endossé, le donneur de valeurs et le preneur.*

Legitimum est *locale* cambium, ratione operæ campsoris, et ratione

periculi quod incurrit. Cavendum est tamen ne injustitia committatur ratione *excessus lucri;* quod debet esse secundum leges et consuetudines locorum, vel communem peritorum æstimationem, sicuti pretium rei venditæ aut operæ locatæ, n. 320.

§ V

De contractu Societatis.

Dicemus de notione et speciebus contractus societatis, de juribus, et obligationibus ex eo defluentibus. Unde

289. — *Quæritur* 1° quid sit societatis contractus, et an sit per se *licitus?*

Resp. 1° Contractus societatis ille est, quo *duo vel plures conveniunt de re aliqua in communi ponenda ad honestum faciendum lucrum, inter ipsos dividendum secundum justam proportionem.*

Dicitur 1 : *de re aliqua,* scilicet, pecunia, aliis bonis, industria, art. 1833 : sive quisque socius hæc tria conferat, sive unus pecuniam, alter alia bona, et tertius industriam ; sive unus conferat ex his tribus unum, alter duo reliqua.

Dicitur 2 : *in communi ponenda,* et hinc exurgit quædam communitas seu *persona moralis* distincta a sociis, cui competunt et dominium fundi socialis, et varia jura distincta a juribus sociorum, qui erga societatem obligantur, sicut societas erga socios.

Dicitur 3 : *ad faciendum lucrum honestum ;* quibus indicatur finis societatis, qui ad ejus essentiam pertinet; et in eo præsertim societas differt a communitate, ad quam sufficit, ut plures sint consortes ejusdem rei seu negotii, dum ad societatem requiritur ut socii aliquid de suo afferant ad communem utilitatem, Per lucrum autem intelligitur quidquid est pretio æstimabile. Si lucrum sit inhonestum seu via injusta comparandum, irrita est societas, art. 1883; maleficii enim vinculum nullum esse potest.

Dicitur 4 : *inter socios dividendum,* quia est de essentia societatis ut lucrum sit commune.

Dicitur 5 : *secundum justam proportionem ;* quæ scilicet determinari debet sive ex parte in societatem allata, sive ex damno perferendo.

2° Ex hac notione patet societatem esse viam legitimam lucri comparandi, atque maxime reipublicæ bonum promovere posse; cum ope societatis multa obtineantur, quæ privati separatim præstare non possent. Frequentissime tamen, præsertim nostris diebus, societatum occasione maximæ et calamitosæ committuntur injustitiæ.

290. — *Quæritur* 2° quænam sint præcipuæ societatum *species?*

Resp. Societas est *universalis* vel *particularis :* prior est societas vel *omnium bonorum præsertium*, scilicet, mobilium et immobilium ad socios pertinentium, necnon omnium lucrorum in futurum ex illis percipiendorum; vel solum *omnium lucrorum* per industriam sociorum comparandorum, art. 1836, 1837.

Posterior seu societas *particularis* ea est, quæ *certas res determinatas*, vel earum *usum*, vel earum *fructus*, vel *aliquam negotiationem*, aut *artem*, complectitur, art. 1841, 1842.

Particularis societas est *commercialis* vel *civilis :* prior adest quando initur ad exercendum commercium aut eliciendos actus commercii, art. 18 ad 64, Cod. com.[1]; pos-

1. Societates particulares *commercii* ad tres species reducuntur, quæ in Cod. comm., art. 10 dicuntur : 1° *Société en nom collectif*, 2° *Société en commandite*, 3° *Société anonyme.*

1° Societas sub *collectivo nomine*, gallice *nom collectif*, ea est *qua exercetur commercium sub nomine sociali, sous une raison sociale*, art. 20, id est, adhibentur nomina quorumdam ex iis qui efformant societatem, et ex his nominibus constituitur *subscriptio* requisita in omnibus actibus, ut distinguantur ab iis, quos socii efficere possent proprio nomine, seu ut privati. Hujusmodi societas *non nisi scripto* ineunda est, art. 39, *et scriptum debet reddi publicum*, eo modo qui determinatur art. 42 et seq. Acta autem societatis subscribuntur vel a delegatis solis, si qui sint nominati, vel a singulis sociis, sub nomine sociali.

2° Societas dicta *en commandite* ea est, quæ *constat 1. commendantibus* gallice *commanditaires*, seu *associés en commandite, qui pecuniam tantum subministrant*, art. 23, et nullatenus possunt gerere negotia societatis; et 2. *commendatariis*, gallice *commandités, qui soli societatis negotia gerunt sub nomine sociali*, quod debet esse *nomen unius aut plurium ex ipsis, prorsus excluso nomine cujuslibet e commendantibus.* Commendatarii igitur inter se societatem *collectivam* efformant et obligantur personaliter et in solidum; commendantes autem non seipsos præcise obligant, sed ea tantum quæ in societatem contulerunt. Vide legem 27 julii 1856, et 1867.

3° Societas *anonyma* sic dicitur *quia nomine caret;* nec designatur nomine ullius

terior vero ea est, quæ non spectat nisi aliquam specialem operationem vel negotiationem.

291. — *Quæritur* 3° quænam sint *jura* et *obligationes* societatis erga socios et extraneos?

Resp. 1° Erga *socios jura* societatis determinantur, art. 1844-1850; *obligationes* autem statuuntur, art. 1853-1855, 1865.

Quando, dissoluta societate, quædam remanent negotia incepta, quæ perficere necesse est, munus illud committitur delegatis qui dicuntur *liquidateurs*, et interea societas censetur perseverare, sed *solum ad hanc rationum expeditionem*, gallice *liquidation*.

2° Erga *extraneos* societas 1. *jus* habet, ut sibi et non sociis divisim, solvantur debita cum ea contracta, modo adsit qui societatem legaliter repræsentet.

2. *Obligatur* societas erga extraneos, si unus socius contrahat sub *nomine sociali*, modo talem facultatem acceperit, vel res in lucrum societatis versa fuerit, art. 1844.

Quando adest in socio capacitas sese obligandi ut talem, atque societas est *civilis*, singuli socii tenentur pro virili parte tantum, si lucrum non sit ex actu socii eductum; vel unusquisque pro rata parte lucri, si actus fuerit proficuus.

Quando omnes socii simul contraxerunt, sed privato tantum nomine suo, omnes obligantur et quidem in solidum, juxta plures, si societas sit commercialis; non in solidum, si societas sit civilis.

§ VI

De Censu.

Expendemus notionem, species, licitatem et conditiones census.

e sociis, art. 29. Nomen igitur accipit a suo objecto, et gallice dicitur *compagnie*, si objectum illud sit alicujus momenti. Fieri debet scripto authentico, et approbatione gubernii indiget. Est itaque potius summarum, quam personarum, societas; administratur a delegatis, et lucrum inter socios dividitur.

De societate dicta, *association commerciale en participation*, quæ non est proprie societas, vide art. 48, 49, 50. Cod. Com.

292. — *Quæritur* 1° quid sit *census?*

Resp. Census a verbo *censeo* seu *æstimo* derivatur, quia bona civium olim æstimabantur, ut cum debita proportione tributa principi solverentur; unde tributa ipsa *census* vocabantur.

Quoad rem, census triplici sensu accipi potest; scilicet, vel pro ipsâ pensione annua, vel pro jure ad illam, vel pro contractu quo jus illud acquiritur. Hoc ultimo sensu hic sumitur, atque definiri solet : *Contractus quo quis, soluto pretio non repetendo, acquirit jus redimibile ad pensionem annuam ex re frugifera vel persona.*

Dicitur 1 : *soluto pretio;* quod est vel fundus, vel pecuniæ summa.

Dicitur 2 : *non repetendo;* in hoc census differt a mutuo, in quo pretium seu capitale repetendum est, saltem post aliquod tempus, a mutuante.

Dicitur 3 : *jus redimibile acquirit;* quibus indicatur sive objectum census seu *jus* aliquod, *rente,* sive conditio sub qua jus illud acquiritur, id est, *facultas redemptionis.* Unde census convenit cum venditione-emptione, in eo quod in censu, sicut in venditione, aliquid venditur et soluto pretio emitur; differt autem a venditione, in eo quod objectum census est semper jus quoddam, et quidem per se redimibile ad libitum illius, qui recipit pretium; dum objectum venditionis non est semper jus aliquod; nec ejusdem objectum est redimibile, nisi adsit specialis stipulatio.

Dicitur 4 : *ad pensionem annuam,* tale est objectum illius juris (*de la rente*); hæc pensio consistere potest vel in pecunia, vel in aliis rebus, v. g., fructibus; et vocatur *arrérages, canon, reditus* aut *redditus,* quia quotannis redit et redditur. Si pensio solvenda sit in pecunia, census vocatur *pecuniarius;* si in fructibus, *fructuarius.*

Dicitur 5 : *ex re frugifera vel ex persona;* quibus innuitur juris ad pensionem annuam fundamentum, quod potest esse non solum res mobilis aut immobilis, v. g., grex, ager, domus, sed etiam persona, modo aliquid sive ex officio, sive ex labore, sive ex industria lucrari possit.

Qui accipit pretium, et quotannis solvere debet annuam

pensionem, vocatur *censuarius*, *debitor*, *venditor* census; qui vero dat pretium, et acquirit jus ad pensionem annuam, nuncupatur *censualista* (*rentier*), *creditor* (*crédi-rentier*), *emptor* (*acquéreur*).

293. — *Quæritur* 2° quotuplex sit species census?

Resp. Duplex est, scilicet, census *ordinarius*, et census *vitalitius* : prior ille est, qui constituitur in perpetuum, aut ad tempus determinatum; posterior autem est ille, qui cessat cum vita alicujus personæ, et ideo vocatur *rente viagère*.

Ordinarius census est *reservativus* (*rente foncière*), vel *consignativus* (*rente constituée*). Prior ille est quo quis, *dato alteri fundo*, sibi ita *reservat* pensionem annuam sive pecuniariam, sive frugiferam, ut censuarius non possit se liberare nisi per *rei derelictionem*, quæ dicitur *déguerpissement;* sicque censualista retineat partiale dominium in fundum datum. Talis census, utpote obstans bonorum circulationi, non admittitur in novo Jure gallico, ex quo omnis census est redimibilis per redditionem pretii, art. 530.

Posterior autem seu census *consignativus*, ille est quo quis, *dato alteri fundo aut pecunia*, ab eodem emit jus *redimibile* annuam pensionem percipiendi. Dividitur in realem, personalem et mixtum.

Realis census immediate constituitur et hypothecatur super *re aliqua frugifera*, v. g., domo, prædio, ita ut, ex una parte, jus adhæreat rei, ad quemvis hæc transeat, et, re pereunte, jus pereat; et, ex altera parte, censuarius possit jus redimere, solvendo pretium : in hoc discrepat a censu reservativo.

Personalis census immediate constituitur super *ipsa persona*, quæ se suosque successores obligat ad solvendum, sine ordine ad rem aliquam. ex qua solvenda sit pensio annua. Si vero, ratione illius census, hypothecentur bona censuarii, hoc fit mediante tantum hujus obligatione personali, et pro assecuratione, non autem pro ipsa constitutione census.

Mixtus census immediate constituitur super re et persona, ita ut utraque æque immediate obligetur, et ideo, re

pereunte, debeatur ex lucris personæ, et pereunte persona, debeatur ex re.

294. — *Quæritur* 3° an census sit *licitus?*

Resp. Affirmative. Constat 1. ex unanimi consensu Theologorum saltem hodiernorum. 2. *Ratione.* Census enim nihil aliud est quam venditionis aut commutationis contractus, quo unus cedit alicui fundum aut pecuniam, et alter ei concedit jus ad pensionem annuam, quod in æstimatione communi æquivalet rei traditæ : atqui hæc omnia perfecte regulis æquitatis consonant; ergo, etc.

Nec refert quod emptor census, certam singulis annis pensionem recipiendo, post temporis lapsum plus recipiat, quam dedit. Ex communi enim hominum sensu, summa per multas partes divisa, nec nisi successive et sub variis periculis et incommodis recipienda, non tanti valet, quanti partium istarum collectio simul possessa; quia hæc nullis pene obnoxia est incommodis, atque ad quodlibet negotiationis genus est utilior et aptior.

295. — *Quæritur* 4° quænam sint *conditiones* census consignativi et vitalitii, ex jure naturali et civili?

Resp. 1° Quoad censum *consignativum,* ex jure naturali, conditiones fere reducuntur ad æquitatem pretii, de qua diximus ubi de venditione, n. 247 et seq.

Ex jure civili, requiritur 1. ut debitor, cum voluerit, se liberare queat, totam creditori sortem restituendo. Attamen creditori licet stipulare censum non esse redimendum nisi post decem annos, si tradatur pecunia, art. 1911; vel nisi post 30 annos, si tradatur res immobilis, art. 530. — 2. Ut pensio non solvatur ultra 5 pro 100. — 3. Ut censualista non possit sortem exigere nisi in triplici casu, nempe, si per duos annos debitor pensionem non solvat; vel si assecurationem in contractu promissam non præstet; vel si foro cesserit (*s'il est tombé en déconfiture*); art. 1912, 1913.

Redemptio autem fit per restitutionem totius pretii a censualista dati; nec valet conventio de restituendo majori

pretio, bene vero de pretio minori. Si censualista censum suum venalem exponat, censuarius, sicut alius quilibet, illum emere potest pretio currenti. De venditione censuum vide n. 275, 321.

Quoad censum *vitalitium*, debitor seu censuarius non potest illum redimere restituendo pretium acceptum, et cuilibet repetitioni pensionis solutæ renuntiando : sed pensionem prestare tenetur toto vitæ curriculo illorum, in quorum gratiam fuit constitutus.

Census taxatio non determinantur per legem, sed pendet a libera voluntate contrahentium, art. 1976. Pretium enim varium esse debet pro ætate et valetudine ad cujus vitam præstatio reservatur; item pro ubertate aut penuria pecunia, et aliis ejusmodi. Ordinarie constituitur a 7 ad 15 pro 100.

Creditor autem contractus rescissionem petere potest, si debitor non præstet assecurationem promissam, art. 1977; et agere ut bona debitoris vendantur, si pensionis solutionem omiserit debitor, art 1978.

Cæterum vitalitius census constituitur vel titulo *oneroso*, et dicitur *vente à fonds perdus*, si res data sit mobilis aut immobilis, non pecunia; vel titulo *gratuito*, id est per donationem aut testamentum; et tunc subjiciuntur omnibus testamentis conditionibus a lege præscriptis.

§ VII

De Mutuo oneroso.

Dicemus de mutui onerosi 1. notione et speciebus; 2. de ejusdem licitate; de quibusdam contractibus mutuo oneroso affinibus.

NUMERUS PRIMUS

De Mutuo onerosi notione et speciebus.

296. — *Quæritur* 1° quid sit mutuum onerosum?

Resp. Vox *mutuum*, juxta vim nominis, significat aliquod *ex meo tuum fieri*, vel *gratiam*.

Onerosum autem mutuum seu *fœnus est mutuum cum lucro quodam proportionato*.

Dicitur 1 : *mutuum*, id est, contractus quo res fungibilis alteri conceditur ad consummationis usum, ea lege ut alia res ejusdem speciei, qualitatis et quantitatis reddatur, post certum tempus. In his mutuum onerosum convenit cum gratuito mutuo; n. 209. Scilicet in utroque mutuans mutuatario confert jus in re, bonum præsens, facultatem re sua utendi et abutendi intra aliquod tempus; pro se autem intra idem tempus retinet tantum jus ad rem, ad bonum futurum, ad recuperandam facultatem res sua utendi et abutendi.

Unde, quod sedulo notandum est, illa cessio pro objecto directo habet, non quidem usum rei, nec a fortiori usuum fructus, qui remanent bonæ malæve fortunæ mutuatarii; sed ipsam utilitatem seu *facultatem* utendi et abutendi re concessa, donec post aliquod tempus res ejusdem speciei et valoris restituatur.

Dicitur 2 : *cum lucro;* in hoc mutuum onerosum a gratuito discrepat, atque exinde oriuntur omnes difficultates, quæ de mutuo oneroso moventur. Lucrum autem est aliquid pretio æstimabile et aliunde indebitum.

Dicitur 3 : *quodam*, id est, sive parvo aut magno, sive in pecunia aut aliis rebus aut operibus præstandis; sive a divite aut paupere, a mercatore aut a non mercatore mutuatario solvendo.

Dicitur 4 : *proportionato* tum beneficio, quod per se inducit cessio rei ad tempus, tum damno emergenti aut lucro cessanti occasione mutui pro mutuante.

297. — *Quæritur* 2° quænam sint mutui onerosi species, et quid sit *usura?*

Resp. Onerosum mutuum considerari potest vel ratione rei mutuatæ, vel ratione tituli ex quo lucrum percipitur.

1° Ratione *rei mutuatæ* aut potius usus rei, mutuum est vel consumptionis, vel negotiationis.

Consumptionis mutuum vocatur illud, cujus objectum seu res mutuata primo usu consumenda est in propria mutuatarii utilitate, v. g., panis ad victum, pecunia ad emendas res ad vitam necessarias aut utiles. In hoc casu

res mutuata in se quidem consumitur, sed nihilominus repræsentatur, quatenus præstat quod aliæ res mutuatarii sive præsentes, sive futuræ non destruantur.

Negotiationis simplicis vel multiplicis mutuum (prêt *de commerce*) illud est, cujus objectum adhibetur vel in unam tantum operationem commercialem, ut si quis ope rei mutuatæ domum ant agrum emat; vel in seriem operationum commercii, ut si quis, ope rei mutuatæ, iterum atque iterum emat et vendat oves, aut triticum, aut prædia, etc. In utroque casu res mutuata per mercem repræsentatur, donec ex merce rursus excitetur ordinarie cum incremento.

Itaque in quocunque mutuo res per aliam æquivalentem aut etiam majoris valoris repræsentatur; et, si quando deficiat illa repræsentatio, hoc non est mutuo imputandum, sed vel culpæ aut imperitiæ mutuatarii, vel rei mutuatæ vitiis, vel aliis circumstantiis accidentalibus; sicque inter mutuum onerosum negotiationis non est adeo essentiale discrimen, quod quidam statuere conantur, ut facilius probent mutuum onerosum negationis per se jure naturali et divino non esse prohibitum, n. 304.

298. — 2° Ratione *tituli*, quo lucrum percipitur, mutuum onerosum est vel *usurarium*, vel simpliciter *onerosum*.

Usurarium mutuum est illud, in quo lucrum exigitur præcise *vi seu ratione ipsius mutui*, et ideo ex titulo intrinseco ipsi mutuo, scilicet, ex sola ratione beneficii, quod mutuans indebite præstat mutuatario, huic conferendo jus in re, bonum præsens, facultatem re sua utendi et abutendi per aliquod tempus. Patet hujusmodi titulum esse omni mutuo communem, et ab eo inseparabilem.

Onerosum simpliciter mutuum est illud, in quo lucrum exigitur non quidem vi mutui, sed tantum *occasione mutui*, et ideo ex titulo extrinseco ipsi mutuo, nimirum, ex sola ratione quod mutuans, rem suam alteri mutuando, exinde damnum aliquod patitur, vel lucrum amittit, vel quia mutuatarius lucrum ex mutuo perceptum libenter mutuatori largitur; ita ut hujusmodi lucrum sit tantum com-

pensatio damni emergentis aut lucri cessantis occasione mutui, vel donatio ex parte mutuatarii. Patet igitur talem titulum non esse omni mutuo communem, nec ab hoc inseparabilem.

299. — Jam vero lucrum *vi mutui* perceptum, vocatur *lucratorium, usurarium,* vel simpliciter *usura*[1]. Nam usura, ut ait Benedict. XIV, in mutuo propriam sedem et locum habet : unde lucrum proveniens ex venditione, aut locatione non dicitur usura, *intérêt,* sed lucrum sine addito, vel locationis pretium, vel excessus pretii justi.

Equidem vox gallica *usure* non idem sonat ac vocabulum latinum *usura :* prior significat aliquod lucrum *injustum* vi aut occasione mutui perceptum; posterius autem exprimit lucrum ex mutuo et præcise *vi mutui* proveniens, sive illicitum sit, ut contendunt plerique, sive sit licitum, ut sentiunt alii.

Lucrum autem *occasione mutui* et ex titulis extrinsecis perceptum, proprie vocatur usura *compensatoria,* aut *punitoria,* aut simpliciter *interesse, auctarium.*

300. — Tandem lucrum sive usurarium, sive compensatorium, est legale aut conventionale, formale aut virtuale, sortis aut usuræ.

Legale est, quando tribuitur vi solius legis absque ulla conventione; *conventionale,* si oriatur ex conventione partium, art. 1907.

Formale illud est, quod ex pacto sive explicite, sive implicite, vi aut occasione mutui percipitur, v. g., do tibi 100 nummos, ut post annum reddas 5 supra 100. *Virtuale* seu palliatum est illud, quod ex pacto tacito, aut veluti

1. Usura hebraice vocatur *morsus,* quia « pecunia usurarii similis est morsui aspidis. Percussus enim ab aspide, quasi delectatus vadit in somnum, et per suavitatem soporis moritur : quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit. Sic quia pecuniam sub usura accepit, eo tempore quasi beneficium sentit; sed usura per omnes ejus facultates decurrit, et per totum convertit in debitum, id est, hominem devorat. » S. Chrysost. in Matth. c. 5. Quare S. Ambrosius, 3, *Offic.,* usuram vocat *homicidium.* — Similiter usura a Chaldæis dicitur *perditio,* eo quod omnes opes perdat et devastet. Vide Cornel. a Lapide, in *Deut.,* c. 23, v. 19.

sub pallio alterius contractus vi aut occasione mutui exigitur, ut si quis majori pretio vendat præcise ob dilatam solutionem; aut si, sub venditionis specie, mutuum vere onerosum perficiatur.

Sortis lucrum illud est, quod pro ipsa re mutuata datur; *usuræ* lucrum seu lucrum lucri (*l'intérêt des intérêts*) est illud, quod ex lucro antecedenter debito et non soluto accipitur, quatenus scilicet lucrum non solutum refunditur in primum capitale, et parit etiam suum lucrum.

NUMERUS II

De licitate Mutui onerosi.

Expendemus licitatem mutui onerosi 1. ex titulo intrinseco, 2. ex titulo extrinseco.

PUNCTUM PRIMUM

De licitate Mutui onerosi ex titulo intrinseco.

301. — *Status quæstionis.* Inquirendum est, an usura seu lucrum ex mutuo vi mutui proveniens, n. 298, sit licita jure sive naturali, sive divino.

Triplex asserta est circa hoc punctum sententia. Videlicet, alii sentiunt jure naturali et divino prohibitum esse lucrum quodcunque vi mutui perceptum ex mutuo præsertim consumptionis, n. 297. Ita valde communius.

Alii e contra asserunt lucrum ex quolibet mutuo, etiam consumptionis, vi mutui perceptum, esse jure naturali et divino per se licitum, seu non prohiberi nisi per accidens, quatenus adversatur caritati, si fiat pauperibus, vel exigitur ultra modum communi æstimatione determinatum. Ita Maffæi, Mastrofini et alii nonnulli catholici.

Alii tandem putant lucrum moderatum vi mutui perceptum saltem ex mutuo negotiationis non esse prohibitum jure naturali, nec divino. Ita Card. La Luzerne, Rossignol et alii recentiores non pauci.

Hæc controversia, quæ olim tot tamque gravibus discussionibus locum dedit[1], in statu præsenti societatis, non

1. Le prêt à intérêt a toujours été un grave sujet d'études. L'histoire Romaine en est remplie; la Philosophie ancienne lui a donné son attention, la Théo-

adeo ad praxim interest, cum, ex dicendis, n. 310, fere in omni casu, excepto mutuo erga pauperes, licitum sit mutuum onerosum ex solida præsumptione alicujus tituli extrinseci, ut haud subobscure innuunt recentes et practicæ declarationes S. Sedis. Breviter igitur exponemus præcipua momenta, quibus fulciuntur præfatæ sententiæ.

302. — Iª SENTENTIA. *Lucrum moderatum vi mutui ex mutuo potisssimum consumptionis perceptum, jure naturali et divino prohibetur.*

Pro. 1° *Scrip.* Dicitur enim : « Pecuniam tuam non dabis ei (fratri tuo) *ad usuram; nec amplius ab eo accipies quam dedisti;* Levit,, 25, v. 36, 37. — *Mutuum date, nihil inde sperantes;* Luc, 6, v. 35. Unde sic : ex primo textu constat omne lucrum vi mutui perceptum fuisse Judæis prohibitum saltem erga alios Judæos; ita plerique Theologi : atqui in secundum textu Christus renovat illam prohibitionem, eamque extendit ad omnes homines sicut et ipsam legem evangelicam; siquidem Christus non venit solvere legem, sed adimplere, exegitque a discipulis suis justitiam et perfectionem, quæ magis abundaret quam justitia Publicanorum et Pharisæorum; ergo lucrum vi mutui perceptum a lege evangelica prohibetur. Atqui per hujusmodi legem evangelicam inculcari iterum ipsam legem naturalem docent plura Concilia et Theologi plerique; ergo, etc. »

2° *Traditione.* Hanc sic contrahit Benedict. XIV, in opere *de Synod.* lib. 10, c. 4. n. 2 et seq. : « *Omne lucrum* ex

logie l'a scruté dans ses règles, et lui a été aussi hostile, que l'économie politique moderne lui est favorable... Pourquoi toutes ces divisions? Pour beaucoup de raisons... Le prêt remue toutes sortes de questions vitales qui le mettent dans le domaine, non seulement de la Jurisprudence, mais encore de la religion, de la philosophie, de la politique, de l'économie sociale. Et comme, pour résoudre ces questions, chacun s'est mis au point de ses idées dominantes, la solution n'a pas été la même pour tous. La religion a plutôt considéré la perfection morale : la philosophie, la délicatesse et la dignité de l'homme; l'économie sociale, la production et le mouvement des capitaux; le législateur, l'utilité présente. Quant au jurisconsulte, dont le rôle est d'accepter les faits accomplis, il s'est trouvé fort perplexe au milieu de ce conflit des sciences divines et humaines; et il a mis des raisonnements à l'appui de tous les systèmes. » Troplong., *du Prêt, Préface,* p. 1, 2, 3.

mutuo præcise *ratione mutui*, hoc est, lucri cessantis et damni emergentis aliove extrinseco titulo remoto, *usurarium* atque *omni jure naturali, divino* et *ecclesiastico illicitum* esse, perpetua fuit et est catholicæ Ecclesiæ doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensu firmata. »

Revera SS. Patres contra onerosum mutuum sæpe conclamant, atque innituntur tum Scriptura, tum argumentis ex ratione desumptis.

Concilia autem habita a seculo XIII damnant quoque mutuum onerosum, ut ipse agnoscit La Luzerne : porro idem dicendum videtur de Conciliis præcedentibus.

Pariter, a seculo XIII, Theologi fere omnes absolute reprobarunt usuram, ut aperte etiam confitetur La Luzerne.

Tandem Benedict. XIV, in Encyclica *Vix pervenit*, ad Italiæ Episcopos missa, an. 1745, declarat « esse *contra justitiam omne lucrum* supra sortem *ratione ipsius mutui* perceptum, etiamsi mutuatarius sit *dives*, et pecuniam mutuatam *utilissime* impensurus sit ad fortunas suas amplificandas vel novis *coemendis prædiis*, vel *quæstuosis agitandis negotiis*. »

Porro illa declaratio est judicium ex cathedra prolatum. Nam est judicium *dogmaticum*, cum agatur de re ad bonos mores pertinente et cum revelatione connexa. Insuper profertur vi primatus Petri; siquidem, etsi illa Encyclica dirigatur ad solos Italiæ Episcopos, nihilominus S. Pontifex in ea dicit se sic docendo, *munus Apostolicum* adimplere, *mandatum Apostolicum* dare; aliunde SS. Pontifices subsequentes, in responsis particularibus, præfatam decisionem proposuerunt Episcopis et animarum Pastoribus tanquam regulam omnino sequendam etiam extra Italiam; ergo illa declaratio est judicium supremum et infallibile; et ideo Traditione constat omne lucrum ratione ipsius mutui perceptum esse jure naturali et divino prohibitum.

3° *Ratione* probatur eadem prohibitio jure naturali. Et quidem 1. *ex pleno dominio in rem mutuatam concesso mutuatario*. Etenim res fructificat domino, seu lucrum ex usu rei proveniens, ad rei dominum pertinet : atqui mutuata-

rius est solus dominus rei mutuatæ, juxta omnes; ergo ad mutuatarium solum pertinent lucra ex usu rei mutuatæ provenientia; ac proinde ex mutuo vi mutui nihil exigere potest mutuans seu creditor. S. Th. 2. 2, q. 78, a. 1.

Nec dicatur quod lucrum debeatur ratione beneficii per cessionem rei a mutuante præstiti mutuatario. Quando enim in beneficio præstando nec labor, nec periculum reperitur, non potest pro eo exigi lucrum, sed tunc beneficium gratis præstandum esse dictat humanitatis sensus, ipsis ethnicis perspectus. S. Th. *ibid.* ad 3.

2. *Ex sterilitate pecuniæ.* Mutuum onerosum fit ordinarie per pecuniam : atqui pecunia sterilis est natura sua; et, si ope pecuniæ mutuatæ comparentur lucra, hoc tribuendum est industriæ mutuatarii, ita ut pecunia sit tantum instrumentum, quo lucra obtinentur, solus autem mutuatarius sit vera causa illorum, quæ ideo, utpote fructus mere industriales, ad solum mutuatarium pertinent; ergo mutuans ex mutuo pecuniario vi mutui nihil percipere potest. S. Th. *ibid.* a. 1, 2. In duplici præfato argumento instanter innituntur SS. Patres et Scholastici.

Sed etiam, qui furatus est nummos, sive ex illis lucratus sit sive non, non obligatur nisi ad restituendam summam ablatam, et ad compensanda damna quæ passus est dominus, non autem ad restituendos aliquos fructus, juxta axioma : *Nummus ex nummo furtivo non est furtivus :* atqui non debet esse melior conditio furis, quam mutuatarii; ergo nec mutuatarius lucrum quodcunque ex mutuo vi mutui dare tenetur.

303. — IIª Sententia. *Lucrum moderatum vi mutui ex mutuo etiam consumptionis percepti, non prohibetur jure naturali, nec divino.*

Talis enim prohibitio non probatur 1° *Script.* Equidem usura erat prohibita Judæis erga Judæos saltem pauperes, sed eis licita erat erga extraneos; ergo illa prohibitio non ex jure naturali oriebatur; sed statuta fuit ob rationes constitutioni gentis judaicæ proprias.

In Novo Test. solus invocatur textus jam allatus : *Mutuum date, nihil inde sperantes;* Luc. 6, v. 35 : porro hæc verba

miscentur plurimis aliis, quæ consilia tantum exprimunt, et quæ innuunt mercedem æternam esse promissam perfectis, seu iis qui non agunt intuitu mercedis temporalis. Quare ipse S. Thomas illa verba exclusive non intelligit de prohibitione lucri ratione ipsius mutui; 2. 2, q. 78, a. 1, ad 4. Ergo ex Scriptura non probatur jure divino, nec consequenter jure naturali prohiberi mutuum usurarium.

2° Nec *Traditione*. Etenim traditio constans et universalis usque ad medium XII seculi improbavit quidem usuram tanquam pauperis oppressivam, et ideo ut caritati oppositam; sed circa usuram moderatam ex mutuo divitibus facto, non adest traditio satis expressa et universalis sive ratione temporis, sive ratione loci, ut catholica dici possit et decretoria. Ita La Luzerne. Revera, tempore Patrum et Scholasticorum, rarum erat negotiationis mutuum, rarum proinde mutuum divitibus factum; dum e contra ordinarie mutuum onerosum erga pauperes erat maxime frequens, et juxta centesimam legalem vere oppressivam; imo plurimi taxam legalem excedebant; atque ideo tunc temporis generatim improbandum erat mutuum onerosum[1]. Theologi autem et Canonistæ usuram impugnarunt

1. Apud Græcos, usura erat ad minus 12 0/0; ordinarie vero inter privatos 18 0/0; apud trapezitas seu argentarios, mensarios (*banquiers*) 26 0/0; et, si mutuum fieret ad dilationem quorumdam tantum dierum, creditores percipiebant 7 aut 800 0/0. In sua Legislatione, Solon nullam taxam statuit. Cæterum, apud Græcos, mutuum ordinarium et frequentius erat maritimæ negotiationis.

Apud Romanos, ante legem Duodecim Tabularum, nulla extabat taxa legalis, atque ideo plebs obruebatur a Patriciis onere usurarum. Sub lege autem Duodecim Tabularum, viguit usura 12 0/0 juxta quosdam, vel 10 0/0 juxta alios, inter quos Troplong. Deinde statuta est taxa 5 0/0 an. 408. Sed usura 12 0/0 iterum ex jure viguit tempore Ciceronis, Neronis, Trajani, Diocletiani, ordinarie *unciarum fœnus* dicta. Multi tamen pinguius lucrum exigebant.

Constantinus, an 325, permisit 12 0/0, pro mutuo pecuniario, et 50 0/0 pro mutuo de frugibus *humidis* vel *arentibus*, v. g., de vino, oleo, frumento. Eodem tempore, Concilium Nicænum *Cleris* prohibuit *omnem usuram ex mutuo;* nihil tamen dixit de usura a laicis percepta. Sed SS. Patres ætatis subsequentis fortiter impugnarunt usuram præsertim immoderatam : « Quomodo miseris utuntur *agricolis?* Mutui litteras maledictionis plenas conscribunt. Non enim centesimam totius partem, sed *medietatem flagitant!* » S. Chrysost., *Homil.* 62, in Matth.

Justinianus pro nautico fœnore seu *à la grosse aventure*, permisit 12 0/0, item

vel potius ut philosophi quam ut Traditionis testes, vel nimis abstrahendo ab effectibus practicis usuræ moderatæ. « Les Canonistes ont traité le fait avec une extrême rigueur, et avec péril, si les cours layes suivaient leur doctrine, de gâter tous les commerces. » Coquille, sur *Nivernais*, t. 21, art. 15. — « La matière de l'usure est surtout politique et économique. C'est sur les besoins extérieurs de la société qu'il faut particulièrement se régler, pour modérer ou étendre la rigidité des lois qui la répriment. » Troplong, *Du prêt*, n. 343.

Quoad Encyclicam Benedict. XIV, non est judicium ex cathedra prolatum, siquidem ad universam Ecclesiam nunquam fuit emissum eique impositum, sicut requiritur ad decretum dogmaticum et infallibile, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 48.

Revera, non obstante præfato consensu Patrum, Conciliorum, Theologorum, necnon et illa Encyclica, nihilominus perseveravit inter doctores catholicos controversia de legimitate lucri percepti ratione ipsius mutui. Imo vivente Benedict. XIV, Maffæi edidit atque huic Pontifici dedicavit

pro mutuo de frugibus humidis et arentibus. Pro mutuo autem pecuniario, prohibuit ne nobiles exigerent ultra 4 0/0, negotiatores ultra 8 0/0, cæteri ultra 6 0/0; imo hi et illi ab agricolis petere non poterant ultra 4 0/0.

In Gallia, V seculo, taxa legalis fuit 12 0/0. In capitulari vero, an. 789, 813, omnibus interdictum est *ad usuram aliquid dare*. Eadem prohibitio auctoritate civili et ecclesiastica viguit per totam mediam ætatem. Attamen, quod mirum est! eodem tempore, usuram exigere permissum est argentariis, Judæis et Longobardis seu Florentinis, ut ab eis necessariam pecuniam obtinere possent sive privati, sive ipsum Gubernium. Concilium Lateran., an. 1215, statuit « ut Judæi a Christianis *graves immoderatasque* usuras non extorqueant. »

Regnante Philippo le-Bel, lex civilis toleravit usuram 15 0/0, 20 0/0. Seculis subsequentibus, dum in regione septentrionali Galliæ absoluta usuræ prohibitio a tribunalibus asserta esset, e contra in Regione meridionali eam, juxta Jus Romanum, toleraverunt tribunalia, non obstantibus lege civili et ecclesiastica.

Cœtus constituens, an. 1789, permisit usuram 5 0/0 in materia civili, et ad libitum reliquit usuram in materia commerciali. Eadem libertas data fuit pro mutuo in materia civili, an. 1793, ad magnum societatis detrimentum, juxta omnes Jurisperitos. Tandem, an. 1807, promulgata est lex hactenus vigens. Notandum est eo majorem fuisse variis temporibus pecuniæ valorem et ideo pinguiorem usuram, quo rarior fuerit pecunia. Vide Troplong, *Du Prêt, Préface;* Thomassin, *De l'Usure.*

opus, in quo lucrum moderatum vi ipsius mutui percep · tum jure naturali et divino licitum esse propugnat.

Sed etiam, an. 1830, Romæ prodiit, cum *superiorum licentia*, opus Mastrofini, ex Clero romano, cui titulus : *Discussion sur l'usure*, a duobus S. Officii Consultoribus valde laudatum, in quo aperte et ex professo asseritur lucrum moderatum, ex quocunque titulo divitibus præstito, nec injustum esse, nec prohibitum; in quam sententiam descendisse nonnullos scriptores catholicos, sive in Italia, sive in Gallia et aliis regionibus notum est. Ergo nullum exstat decretum infallibile, quo damnetur perceptio lucri moderati ratione ipsius mutui, nec omnino decretoria est probatio ex Traditione desumpta contra hujusmodi lucrum. Hæc tamen probatio ex Traditione sumpta nobis videtur gravissimi momenti.

3° *Ratione* non solum non prohibetur lucrum vi mutui perceptum, sed etiam illud jure naturali licitum esse sic probatur. 1. *Ex beneficio per rei cessionem præstito mutuatario.* Namque jus in re, bonum præsens, facultas re temporali utendi et abutendi alteri indebite præstita, procul dubio est in se beneficium pretio æstimabile : atqui tale beneficium mutuatario diviti indebite præstat mutuans vi mutui; ergo mutuans aliquod lucrum ratione ipsius mutui exigere potest.

Revera per se et apud omnes melius est jus in re, bonum præsens, facultas intra aliquod tempus re utendi et abutendi, quam, intra idem tempus, jus ad rem, ad bonum futurum, ad recuperandam facultatem re utendi et abutendi : atqui mutuans vi mutui prius mutuatario diviti indebite confert, et posterius tantum pro se retinet; ergo, ut servetur æqualitas, mutuans vi mutui aliquid supra sortem exigere potest.

Nec ad æqualitatem servandam sufficit rei similis restitutio. Nam in deposito, in pignore adest obligatio rem eamdem restituendi; et tamen pro depositario aut creditore longe minoris æstimatur res in depositum, in pignus data, ac res mutuata pro mutuatario; et e contra pro deponente, pro rem in pignus dante res illa pluris æstimatur, ac res mutuata pro mutuatore.

Aliunde, qui usum rei tantum alteri ad tempus concedit per locationem, ob hoc beneficium jus habet ad lucrum proportionatum, juxta

omnes; nonne igitur a fortiori jus istiusmodi habet, qui alteri indebite ad tempus concedit non solum rei usum, sedet dominium?

2. *Ex pecuniæ fecunditate.* Pecunia, nedum sit sterilis, e contra, ope industriæ, fit instrumentum lucri generalissimum, uberrimum et expeditissimum, adeo ut pecunia præbeat commercio materiam, industria vero formam. Imo pecunia fructum producit, qui industriam humanam excedit; idem enim mercator in iisdem circumstantiis et cum eodem industriæ gradu, multo majus lucrum faciet, si multo majorem pecuniæ summam impendat in commercium; ergo facultas utendi pecunia, utpote includens lucra ope illius pecuniæ comparanda, ante omnem eventum est pretio æstimabilis, et præcise illius ratione aliquod lucrum supra sortem percipere potest mutuator.

Equidem pecunia per se sola non producit aliam pecuniam, sicuti nec ager sine cultura, nec domus sine habitatione, nec instrumentum quodlibet, sine labore fructum afferunt. Si autem locator ratione locationis agri, domus, instrumenti, aliquod lucrum legitime exigit, etsi locatarius nisi ope industriæ fructus aliquos ex illis bonis non percipiat aut percipere non possit; cur et mutuator, ratione mutui pecuniarii, lucrum aliquod exigere non posset, etsi mutuatarius ex pecunia aliquod incrementum non percipiat nisi ope suæ industriæ?

Nec exinde dici potest, quod melior sit conditio furis ac mutuatarii. Namque fur restituere debet omne lucrum, quod creditor ex pecunia percepisset, si in sua potestate illam pecuniam habuisset. Si ad amplius non tenetur, hoc provenit vel ex condonatione creditoris, qui contentus est restitutione sortis, vel ex defectu specialis stipulationis de lucro supra sortem.

3. *Ex commodis mutui moderate usurarii.* Quatuor præcipua ex mutuo moderate usurario consequuntur commoda. Videlicet, 1. mutuum exinde redditur facilius et frequentius, sicque necessarium præstatur subsidium tum agriculturæ, tum industriæ, tum commercio.

2. Multi nonnisi ope mutui onerosi aliquem fructum ex suis bonis percipere possunt; sic, v. g., operarius, famulus, professor, qui modicam pecuniæ summam sibi comparârunt, nec possunt prædium emere, industriæ aut commercio per se incumbere, aliquod ex illa pecunia ad vitæ

sustentationem necessarium aut valde utile emolumentum non percipient, integro manente capitali, nisi ope mutui onerosi.

3. Sed etiam iidem efficaciter ad laborem, ad prudentem rei familiaris administrationem incitabuntur, si persuasum habeant, quod ex pecunia ope laboris et sapientis administrationis comparata, aliquod lucrum, integro capitali servato, per mutuum onerosum legitime obtinebunt,

4. Nisi licitum sit mutuum moderate usurarium, eo ipso perniciosissima fiet usura; qui enim talis mutui prohibitionem non servabunt, mira excogitabunt media in fraudem legis, ut percipiant usuram proportionatam periculo et gravitati pœnarum, quibus usurarium punietur mutuum.

Revera historia constat absolutam usuræ prohibitionem in jure nostro veteri generasse omnia illis commodis contraria incommoda, quam maxime bono privatorum et societati nociva. A fortiori autem illa commoda vigent, aut hæc incommoda vigerent nostris temporibus, quibus commercium, industria et agricultura tantam extensionem susceperunt[1]. Ergo, nedum jure naturali prohibeatur lucrum vi mutui perceptum, e contra ratione probatur tale lucrum moderatum esse illo jure permissum.

Præfata ratiocinia vi non destituuntur; unde tutius est quæstionem de prohibitione lucri cujuslibet percepti vi mutui ex auctoritate solvere, ut ait ipse Carrière, illius prohibitionis acerrimus propugnator, n. 550.

304. — III[a] Sententia. *Lucrum moderatum vi mutui ex mutuo saltem negotiationis perceptum, licitum est jure naturali et divino.*

Probatur 1° *ex natura mutui negotiationis.* Etenim in hujusmodi mutuo res mutuata non destruitur, sed per

1. « Il y a, du reste, une preuve bien sûre de la légitimité morale du prêt à intérêt, quand il est renfermé dans des bornes raisonnables. C'est que, malgré toutes les prohibitions des lois ecclésiastiques et civiles, l'on a toujours cherché par des moyens équipollents ou par des fictions, à s'en procurer les résultats et les avantages. J'ai assez bonne opinion de l'humanité pour être convaincu que ce n'est pas là ce qui serait arrivé, si ce prêt eût été comparable au vol. » Troplong, *du Prêt*, n. 342.

aliam semper repræsentatur, donec ex mercibus rursus excitetur; et ideo illud mutuum non differt a locatione, nisi eo quod in illo mutuatarius sortis periculum per se incurrit, dum in ista locatarius rei locatæ periculum non incurrit, nisi adsit specialis stipulatio; sicque illud mutuum est species locationis seu contractus *pecuniæ commissæ :* atqui ratione locationis licet aliquod lucrum percipere; ergo et ratione ipsius mutui negotiationis.

2° *Ex effectibus illius mutui.* Namque sine mutuo exerceri nequit commercium, nec industria : porro sine auctario impossibile est plerisque negotiatoribus, et iis qui industriæ incumbunt, obtinere mutuum; ergo per se licitum est onerosum mutuum negotiationis.

Aliunde tale mutuum nullis subjacet incommodis, mutuatariis simul et mutuatoribus favet, sine ulla oppressione pauperum et violatione caritatis exerceri potest; et ideo nulla apparet ratio, cur jure naturali aut divino prohiberetur.

Hæc argumenta certe non sunt spernenda; sed valere videntur, saltem in aliquo gradu, pro mutuo etiam consumptionis divitibus facto, siquidem inter mutuum consumptionis et mutuum negotiationis adesse essentiale discrimen non satis constat, ut notatum est, n. 297. Et revera in utroque mutuo idem jus rem consumendi, vendendi, donandi mutuatorio confertur, et idem jus ad rem similem post aliquod tempus obtinendam retinetur a mutuatore; in utroque etiam mutuo res mutuata non proprie consumitur, sed aliquo modo repræsentatur, n. 296; et de utroque loquitur Benedict. XIV in Encycl. *Vix parvenit,* n. 302. Quare inter auctores, qui excusare conati sunt mutuum onerosum negotiationis, plerique deducti sunt ad mutuum onerosum consumptionis pariter excusandum.

305. — *Quæritur* an lucrum saltem in mutuo *consumptionis* facto *pauperibus,* vi solius mutui perceptum, sit prohibitum?

Resp. Tale lucrum prohibetur *caritatis* præcepto erga eos, qui pro tempore indigent re fungibili, et impares sunt auctario postea solvendo, etsi postea habituri sint unde

restituant sortem. Etenim hoc saltem probant argumenta ad primam opinionem astruendam allata, n. 302. Aliunde remissio omnis auctarii in præfato casu habenda est ut elemosyna ex caritate præscripta.

PUNCTUM II

De licitate Mutui onerosi, ratione titulorum extrinsecorum.

Duplex hujusmodi titulus distingui potest, nempe damnum emergens aut lucrum cessans, et lex civilis. De utroque igitur sigillatim dicemus.

I

De licitate Mutui onerosi, ratione damni emergentis aut lucri cessantis.

306. — *Quæritur* quid sit damnum emergens et lucrum cessans ex mutuo, et an sit legitimus titulus ad stipulandum auctarium proportionatum?

Resp. 1° *Damnum emergens ex mutuo* est jactum, quam certo patitur aut saltem probabiliter passurus est mutuator in rebus suis *occasione* mutui proximo præstiti, v. g., si inde cogatur ipse usuras solvere creditoribus suis, vel suas minoris justo vendere, etc.

Lucrum autem *cessans* ex *mutuo* est privatio emolumenti, quod certo aut probabiliter perciperet mutuator, nisi mutuo pecuniam suam concederet, v. g., quando quis, mutuando pecuniam, cessat aliquod commercium ex quo lucrum percipiebat; vel quando quis non vult suam pecuniam relinquere otiosam, et simul certam aut saltem probabiliter sperat se habiturum occasionem lucrandi. Unde lucrum cessans in damnum emergens recedit.

2° Damnum emergens aut lucrum cessans ex mutuo est pro mutuatore *legitimus titulus* ad stipulandum *auctarium* damno emergenti aut lucro cessanti *proportionatum*. Non tenetur enim mutuator cum damno proprio beneficium præstare nisi in proximi necessitate.

307. — Hinc 1.° probabile *periculum sortis* est legitimus titulus ad auctarium proportionatum.

Namque hujusmodi periculum nihil aliud est quam probabile damnum emergens mutuandi occasione mutui. Revera pretio æstimabile est periculum damni probabile; sed etiam pluris æstimantur res in tuto quam in periculo positæ; demum hoc constat ex decisione S. Congreg. Propag. ab Innoc. X approbata, an. 1645.

308. — Hinc 2. obligatio non repetendi sortem ante *diuturnum tempus* legitimus est titulus ad auctarium proportionatum.

Quamvis enim essentiale sit mutuo, aut ante quoddam tempus repeti non possit, diuturna tamen dilatio non est mutuo essentialis; atqui moraliter impossibile est ut mutuator, per longum tempus expectando, non patiatur aliquod incommodum, damnum, periculum, ratione cujus auctarium possit legitime stipulari. Et vero hodie præsertim pauci admodum sunt, qui pecuniam suam relinquant diu otiosam.

Quale autem tempus requiritur, ut diuturnum habendum sit, hoc potius pendet ex probabilitate damni, quam præcise ex duratione temporis. Juxta S. Ligorium, triennium ut longum tempus habetur; nostris diebus generatim annus aut etiam sex menses sæpe sufficiunt.

309. — Cæterum requiritur quod auctarium vere stipuletur, et quod non excedat damnum emergens aut lucrum cessans.

Et quidem requiritur 1. quod auctarium *vere stipuletur*, ut colligitur ex art. 1905; mutuum enim per se est gratuitum. Porro illa stipulatio fieri potest duplici modo, nempe, vel nihil certum determinando, sed statuendo quod mutuatarius omnia compensabit damna ex mutuo mutuanti emergentia; vel determinando aliquid certum solvendum a mutuatario pro damno incerta, sive eveniat, sive non.

An autem titulus extrinsecus existens aut probabiliter exstiturus, sed de quo mutuans *non cogitavit*, jus conferat ad auctarium exigendum, non consentiunt auctores. Alii vero affirmant, inter quos de Lugo, Lessius, Vernier, eo

quod mutuans voluntate implicita intendit lucrari modo justo et licito, ac proinde suo titulo uti ad lucrum percipiendum ex mutuo, si quem habeat. Hæc sententia probabilior videtur.

2. Requiritur etiam quod auctarium non excedat damnum emergens aut lucrum cessans et utriusque probabilitatem. Quidquid enim ultra exigeretur, jam non acciperetur vi illorum titulorum.

An vero, ratione lucri cessantis aut damni emergentis, liceat excedere taxam legalem, negant quidam, inter quos Pont, *du Prêt*, n. 286. Lex enim per auctarium quod permittit, intendit compensare omne damnum ex mutuo emergens, n. 82. Alii vero sentiunt mutuatorem posse excedere taxam legalem, quando ex mutuo damnum emergit extraordinarium; et talis est tribunalium jurisprudentia. Ordinarie tutius est stare taxationi legali, ex dictis n. 82, et ex statim dicendis.

II

De licitate Mutui onerosi, ratione legis civilis illud sancientis.

Quæstio est an lex civilis absque titulo damni emergentis aut lucri cessantis, n. 306, sit specialis et distinctus titulus extrinsecus exigendi aliquod auctarium supra sortem. Disputatur saltem speculative, etsi practice eadem sit in Gallia agendi ratio. Itaque

PROPOSITIO

310. — *Lex civilis per se constituit titulum legitimum percipiendi aliquod moderatum lucrum ex mutuo.* Ita probabilius et communius.

Etenim ad hoc requiritur ut princeps potuerit et voluerit talem legem condere : atqui potuit et voluit. Et quidem 1° *potuit*. Namque princeps de bonis subditorum potest condere legem, quæ nullius jura lædit, societati valde utilis est, in generali præsumptione tituli legitimi nititur, et cui subditi ipsi sponte adhærent : porro talis est lex de moderato lucro, quale ex mutuo percipitur, v. g., in Gallia.

1. *Nullius jura lædit.* Nam, ante eventum, lex illa omnibus æque favet, cum omnes possint esse hoc vel alio tempore mutuatores aut mutuatarii, exceptis pauperibus, qui lege caritatis eximuntur a taxa legali; ergo, etc.

2. *Societati valde utilis est.* Lex enim hujusmodi præcidit lites et difficultates de aliis titulis extrinsecis; tranquillam igitur facit conscientiam mutuantis et mutuatarii, eorumque hæredum; adeo efficaciter promovet facilitatem obtinendi mutuum, et tantum auxilium præstat tum agriculturæ, industriæ et commercio, tum iis, qui per seipsos lucrum comparare non possunt ope suæ pecuniæ, ut in statu præsenti circumstantiarum, lex illa rejici non posset quin fortuna publica undique periclitaretur, atque ad minus tertia pars societatis in miseriam aut in statum miseriæ plus minusve proximum dilaberetur.

3. *In generali præsumptione tituli legitimi nititur.* In præsenti enim statu societatis adeo multiplicantur transactiones, ut semper adsit generalis præsumptio sive destinationis lucrativæ simul et periculi sortis pro mutuante, sive consensus ex parte mutuatarii solvendi auctarium ob fere semper actualem opportunitatem faciendi lucrum ex pecunia mutuo accepta, etiam soluta usura : porro lex fundata in generali præsumptione tituli legitimi, vim habet in omni casu, etsi ejus ratio in quibusdam casibus particularibus deficiat; siquidem leges feruntur ex communiter contingentibus; ergo sufficiens adest præsumptio tituli legitimi, ut legislator possit condere legem de auctario ex mutuo legitime percipiendo.

4. *Tali legi sponte adhærent subditi.* Legalis quippe taxatio in Gallia statuta est a cœtu Delegatorum (*des Députés*), id est, tam a mutuatariis quam a mutuatoribus, ita ut adsit, si opus est, vera condonatio usuræ a mutuatariis facta mutuatoribus; ergo taxæ legali sponte adhærent subditi saltem in Gallia.

Et vero mutuatarii, statim ac fiunt mutuatores, illam taxam ab aliis exigunt, atque ægre et impatienter sustinerent, quod omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum prohiberetur. Ergo potuit legislator condere legem, quæ

per se esset legitimus titulus ad lucrum moderatum ex mutuo percipiendum.

2° *Voluit* etiam. Nam, si secus, lex scopum suum non obtineret, siquidem nec præcideret lites et difficultates de aliis titulis extrinsecis in foro conscientiæ; nec ideo tranquillam faceret conscientiam mutuantis et mutuatarii, eorumque hæredum; sed soli improbi cum proborum detrimento illa lege inniterentur ad auctarium ex mutuo exigendum. Aliunde illa legislatoris voluntas aperte colligitur ex subditorum spontanea adhæsione taxæ legali, et ex plena condonatione usuræ a mutuatariis facta, quam necessario supponit illa adhæsio. Ergo voluit et potuit princeps legem condere, quæ per se esset legitimus titulus lucrum moderatum ex mutuo percipiendi.

Confirmatur *ex decisionibus Congregat. Rom.* Rom. Congregationes de legitimitate taxæ legalis apud nos vigentis iteratim interrogatæ, responderunt : 1. « *Non esse inquietandos,* quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere, eos qui *docent legitimitatem tituli legalis,* eosque qui *vi hujus tituli usuras percipiunt,* 18 aug. 1830; » — 2. *durius severiusque* agere confessarium, qui denegat absolutionem iis, qui, perceptis usuris *vi solius tituli legalis,* nolunt restituere, 11 nov. 1851; — 3. posse absolvi, « *sine onere restitutionis,* modo sint aliunde dispositi, pœnitentes, qui usuras legales perceperunt in *mala fide,* » id est, putantes se tale lucrum percipere non posse, 17 jan. 1858 : hæc ultima decisio innuit legitimitatem lucri vi solius tituli legalis percepti, in se seu objective spectatam, esse probabilem aut saltem non reprobatam. Denique, die 28 febr. 1872, S. Congr. S. Officii declaravit « non esse inquietandos, qui, juxta taxam legalem, ex mutuo percipiunt quinque pro centum, dummodo sint parati stare mandato S. Sedis. » — Imo, proposito dubio an aliquid reddendum teneatur ille, cujus pater magnam pecuniæ summam dederat cum lucro *decem pro centum,* legali taxæ illius temporis respondente, et an saltem quinque pro centum licite retinere valeat, eadem S. Congr. S. Officii sic respondit 26 mart. 1840 : « Quoad

usuras in genere, consulat decreta jam data. Quoad excessivitatem fructuum, consulat Episcopum, qui expendat facti circumstantias, et praxim illius temporis, quæ vigebat apud viros timoratæ conscientiæ, et provideat. »

Itaque 1. deficientibus aliis quibuslibet titulis, unus legis civilis titulus uti sufficiens haberi potest; 2. quænam usuræ quantitas dicenda sit immodica et excessiva, quænam justa ac moderata, universim determinari non potest, cum hoc dimetiri oportet in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum ac temporum. Confirmatur decis. S. Pœnitent. 18 apr. 1889, in qua dicitur : « Cum *fructus pecuniæ* taxare per modum regulæ periculosum sit, Episcopus orator in singulis casibus rem decernat juxta praxim communem servatam ab hominibus timoratæ conscientiæ, *respectivis locis* et *temporibus*. »

Quædam expendenda supersunt circa taxam legalem in Gallia vigentem, ejus sensum et extensionem. Unde

311. — *Quæritur* 1° *quænam* sit taxa legalis in Gallia nunc statuta?

Resp. Taxatio facta est pro Gallia per legem 3 sept. 1807, cujus hæ sunt præcipuæ dispositiones : « L'intérêt conventionnel ne pourra excéder, en matière civile, 5 pour 100, ni, en matière de commerce, 6 pour 100. Le prêteur sera condamné à restituer l'excédant, s'il l'a reçu, ou à souffrir une réduction sur le principal de la créance. »

In colonia autem Algeriensi, auctarium legale est 10 0/0 tam in materia civili, quam commerciali. In cæteris Galliæ coloniis, ex consuetudine et jurisprudentia auctarium est 9 0/0 in materia civili, et 10 0/0 in materia commercii.

Lex auctarium majus in materia commercii permittit, præcipue quia pecunia mutuo negotiatoribus data generatim frequentius periculum sortis incurrit. Addunt Jurisperiti non pauci, quod pecunia mercatoris pluris valet quam non mercatoris, quatenus mercator ope pecuniæ ordinarie pinguiorem proventum obtinet; sed insuper quod per auctarium majus mercatores facilius obtinent pecuniam mutuatam, sique favetur commercio.

312. — *Quæritur* 2° quisnam sit *sensus* illius taxationis legalis?

Resp. Difficultas est præsertim in determinando quandonam mutuum sit in materia civili, quandonam in materia commercii : an scilicet, auctarium 6 0/0 semper percipi possit a mercatore erga alium sive mercatorem, sive non mercatorem, et a non mercatore erga alium sive mercatorem, sive non mercatorem.

Juxta quosdam, mutuum civile distinguitur a mutuo commerciali per *destinationem* pecuniæ mutuatæ, quæcunque sit qualitas mutuatoris aut mutuarii; unde mutuum est commerciale, quoties pecunia mutuatur præcise ut *in operationem commercialem adhibeatur*, etiam si mercator non esset mutuans, nec mutuatarius; e contra quoties mutuatur pecunia, non ut adhibeatur in operationem commercialem, mutuum est civile, etiamsi mercator sit sive mutuans sive mutuatarius. Nam auctarium 6 0/0 non lege permittitur, nisi quia pecunia mutuo data in operationem commercialem, frequentius periculum sortis incurrit; ergo quoties non adest illa pecuniæ mutuatæ destinatio, deficit ratio illius auctarii. Ita Pont, *du Prêt*, n. 277, et quædam Curiæ.

Alii vero sentiunt auctarium 6 0/0 esse semper permissum sive mercatori erga alium mercatorem, aut etiam non mercatorem, sive non mercatori erga mercatorem. In his enim casibus valent omnes rationes, propter quas centesima 6 0/0 statuta est in materia commercii. Ita plerique auctores, inter quos Troplong, *du Prêt*, n. 362. Hæc posterior sententia probabilior videtur et in praxi sufficienter tuta. Curiæ commerciales mutuum negotiationis reputant illud omne, quod constat per chirographum in forma litteræ syngraphæ (*d'une lettre de change*).

In regionibus autem ubi auctarium legale excedit 5 vel 6 0/0, licet illud percipere, si lex, perpensis omnibus circumstantiis, videatur justa, id est, appareat æqualitas inter lucrum lege permissum et valorem usus pecuniæ aut pericula sortis, etc. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias, necnon et ad pecuniæ raritatem, ex qua ejus pretium

et proinde usus crescit, ut in Africa, in India, etc.; et hoc expresse declarat decisio relata, n. 310, in fine.

313. — *Quæritur* 3° quænam sit *extensio* taxæ legalis? *Resp.* Taxa legalis extenditur etiam ad usuras palliatas, non autem ad mutuum de frugibus (*en denrées*) et aliis similibus mobilibus, nec ad nauticum fœnus.

Et quidem 1. extenditur etiam ad usuras *palliatas*, quæ, scilicet, percipiuntur ultra taxam legalem, sed dissimulando vel auctarium, vel titulum auctarii. Nedum enim excusetur mutuans per simulationem, ad quam recurrit, contra magis reus fit, juxta illud : *simulata iniquitas, duplex iniquitas.*

Porro *auctarium* taxam legalem excedens, dissimulatur multiplici modo, nimirum, vel illud confundendo cum ipsa sorte, id est, si major inscribatur summa, quam a mutuario recepta fuit; vel ultra auctarium exigendo *alia officia* vere pretio æstimabilia; vel auctarium solvendo ab initio mutui, ita ut tunc mutuatarius non recipiat integram summam, pro qua auctarium solvit; vel percipiendo auctarium auctarii, *l'intérêt des intérêts*, si non agatur de auctario debito saltem pro anno integro; in hoc enim casu tantum permittitur auctarium auctarii, art. 1154.

Titulus autem auctarii dissimulatur per contractum diversum a mutuo, v. g., per venditionem cum pacto redimendi, n. 272, per supplementum titulo doni absque sufficiente spontaneitate facti; vel per conventiones mutuo affines, de quibus dicemus, n. 318, 321.

2. *Non extenditur* taxa legalis ad mutuum *de frugibus* et aliis rebus mobilibus, ut communiter sentiunt Jurisperiti. Namque in titulo legis an. 1807, agitur tantum de auctario mutui *pecuniarii*. Similiter oratores Gubernii in illius legis discussione de hoc tantum mutuo locuti sunt. Ergo pro mutuo de frugibus viget art. 1907, qui permissum declarat auctarium taxationem legalem excedens, quoties ab aliqua lege non prohibetur. Ita Troplong, *du Prêt*, n. 361, Pont, *du Prêt*, n. 288, Mourlon, t. 3, n. 985.

Revera mutuum de frugibus est aleatorium, ac proinde

ejus auctarium pendet præcipue e contrahentium voluntate. Sic, v. g., Petrus, anno proxime elapso, mutuavit Joanni viginti mensuras tritici quod Petrus vendidisset 5 francs pro mensura, id est, 100 francs pro toto. Præsenti autem anno, Joannes restituit Petro viginti mensuras tritici, et insuper unam pro auctario; at hoc anno triticum venditur tantum 3 francs pro mensura; et ideo Petrus, etsi reipsa mutuaverit 100 francs, nihilominus non recipit nisi 63 francs. E contra, si anno præcedenti pretium tritici fuisset 3 francs pro mensura, et 5 francs præsenti anno, Petrus mutuasset 63 francs, et, post annum unum, a Joanne reciperet 105 francs. Mutuum igitur de frugibus et aliis similibus mobilibus est aleatorium, atque ideo opportunius visum est taxam relinquere arbitrio contrahentium.

3. Pariter non extenditur taxatio ad nauticum fœnus (*le prêt à la grosse*) : sed in hoc contractu auctarium determinatur per liberam contrahentium voluntatem, art. 311 Cod. com. Nauticum autem fœnus locum habet, quando aliquis summam pecuniæ aut alias res fungibiles tradit mutuo super rebus, quæ exponuntur periculis maritimis : eo pacto ut, si res pereant, nulla restitutio debeatur mutuatori, nisi de eo quod forte supererit; si vero sinister casus non evenerit, restituantur res mutuatæ cum certo quodam lucro pro periculis quæ mutuator in se susceperat, *profit maritime*.

NUMERUS III

De quibusdam contractibus Mutuo affinibus.

1° De trino contractu; 2° de montibus pietatis; 3° de commercio chirographorum; 4° de negotiatione censuum pnblicorum.

PUNCTUM PRIMUM

De Trino contractu.

318. — *Quæretur* quid sit trinus contractus, et an sit licitus?

Resp. 1° Per trinum contractum designatur contractus societatis, cui adjiciuntur contractus assecurationis sortis, et contractus venditionis lucri majoris incerti pro lucro minori certo : v. g., trado pecuniam Paulo mercatori, et cum eo societatem ineo, vi cujus particeps ero lucrorum, quorum spes est fore 15 p. 100; sed metuens ne ca-

pitale pereat, Paulo promitto 5 p. 100, ut illud assecuret; sicque non spero nisi 10 p. 100, et quidem adhuc hoc incertum est; tandem Paulo vendo lucrum illud incertum pro lucro minori certo, seu illi promitto 5 p. 100, ut mihi assecuret 5 p. 100 quæ supersunt; his ergo contractibus obstringitur Paulus ad mihi reddendam integram sortem cum auctario 5 p. 100.

2° Fere omnes admittunt tres illos contractus cum *diversis* personis iniri posse. At non ita consentiunt, si fiant cum *eadem* persona.

Scilicet, tres illi contractus cum *eadem* persona ineuntur vel successive, vel simul, ita ut primus ineatur sine pacto et conditione ut ad alios duos deveniatur, vel cum illo pacto.

Si *successive* ineantur, liciti sunt illi contractus, juxta plerosque auctores. Per primum enim contractum societatis jus acquisitum est ad lucrum, quod ex illa sperari potest; et quando superveniunt alii duo contractus, societas quidem evertitur; sed si illud fiat in gratiam illius, qui pecuniam recepit, renuntiatio illa titulum sufficientem confert ad lucrum percipiendum.

Si vero tres contractus *simul* ineantur, dissentiunt auctores. Quidquid sit, hujusmodi contractus etiam in hoc ultimo casu non est damnatus, ut declarat Benedict. XIV, *de Synod*, lib. 10.

Parum hodie in usu est trinus contractus, atque præcedens investigatio utilis non est, nisi quatenus refertur ad mutuum negotiationis, n. 304.

PUNCTUM II

De Montibus pietatis.

319. — *Quæritur* quid sid *mons pietatis*, et an licitus?

Resp. Mons pietatis est quidam pecuniæ, tritici, farinæ, aliarumve rerum mutuabilium cumulus, ex eleemosynis aut aliunde collectus, ut pauperes, dato pignore, quæ sibi sunt necessaria, ex mutuo accipere possint; ideo autem dicitur *mons pietatis*, quia ad hunc finem fuit excogitatus, ut ibi subsidium invenirent, qui alioquin nimiis usuris alibi forte opprimerentur. Attamen mutuatarius debet aliquid supra sortem dare ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administrationem necessarios.

Porro cum hujusmodi auctarium non percipiatur vi mutui, sed ex titulo damni quod alioquin emergeret Monti, patet illum contractum nullam speciem mali præferre[1].

1. En 1886, le nombre des monts-de-piété, en France, était de 41, reparti en trente-quatre départements, desservant 5,503,837 âmes, dont 2,344,450 à Paris. Les sommes prêtées, en 1886, se sont élevées à 61,676,815 francs, dont

PUNCTUM III

De Chirographorum commercio.

320. — *Quæritur* 1° quid sit commercium chirographorum?

Resp. Hoc commercium, gallice *escompte de billets*, est operatio qua quis chirographum ab alio et pro alio subscriptum, atque nonnisi post aliquod tempus ab alio persolvendum, hic et nunc accipit solvitque, retento tamen summæ debitæ auctario huic solutionis anticipationi proportionato, quod dicitur decessio, *collybus*, *escompte*. Hoc auctarium potest esse vel *ad extra, en dehors*, vel *ad intra, en dedans*, prout sumitur pro integra summa in chirographo expressa, vel tantum pro summa quæ vere datur creditori; unde majus est auctarium ad intra.

Sæpe etiam, qui anticipatam solutionem præstat seu cessionarius, retinet insuper 1 aut 2 p. 100 pro salario (*commission*) ad petendam solutionem chirographi apud eum qui illud subscripsit.

Imo aliquando idem non anticipat solutionem nisi imminuto ipsius chirographi pretio.

321. — *Quæritur* 2° an in commercio chirographorum licitum sit retinere *auctarium ad extra, salarium*, et *imminutionem pretii* ipsius *chirographi*?

Resp. Hic non agitur de venditione proprie dicta chirographi, in qua venditor non assecurat debitoris solvabilitatem, et qua ideo chirographum emi potest minori pretio, sicut et merces quælibet.

Sed quæstio est tantum de chirographi *cessione*, quæ proprie dicitur *escompte de billets*, et in qua cessor remanet fidejussor cessionarii seu illius qui solutionem anticipatam

35,840,352 pour Paris. Les objets engagés ont été au nombre de 3,102,038, dont 1,440,633 à Paris.

On a dégagé, en 1886, 2,772,616 articles pour 53,786,089 francs prêtés au moment de l'engagement. On a renouvelé l'engagement de 1,270,926 articles pour 31,448,149 francs prêtés au moment de l'engagement. La plus grande partie des bénéfices réalisés est attribuée aux hôpitaux ou aux œuvres de charité.

præstat. Porro alia est responsio pro cessionario bancario alia pro cessionario non bancario. Videlicet,

1. *Bancarius* in specialibus conditionibus constituitur ratione commercii chirographorum, quod exercet. Namque magnas pecuniæ summas, aliunde ordinarie mutuatas, semper seponere tenetur, ut præsto sint his qui chirographa cedere volunt; multum tempus consumendum, multas expensas pro loco, ministris, regestis et aliis mobilibus ad illud commercium necessariis faciendas habet; haud raro minus utiliter potest summam recuperatam adhibere, ac si ad longius tempus illam mutuasset.

Unde, ex usu universali, bancarius exigere potest auctarium *ad extra;* et revera in praxi alius agendi modus difficultate non caret. Hoc autem auctarium est 1 p. 100 supra auctarium, quod hic et nunc exigit Argentaria Galliæ (*la Banque de France*), ita ut, si illa Argentaria, cujus auctarium non est constanter uniforme, hodie exigat 7, 8, 9 p. 100, bancarius eodem tempore exigere potest, 8, 9, 10 p. 100. Bancarius enim ordinarie a præfata Argentaria mutuo pecuniam accipit; et ideo, nisi excessum quemdam exigeret, jam suum commercium exercere non posset.

Insuper bancarius, præter illud auctarium, exigere potest salarium, juxta consuetudinem determinatum; imo ipsum chirographum pretio minori accipere; quia hoc commercium non est proprie mutuum, sed vera venditio-emptio. Ita Troplong, *du Prêt*, n. 370 et seq., cujus sententiæ consonare videntur plures Curiæ supremæ decisiones, an. 1817, 1851, 1852. Contradicunt tamen sat communiter Curiæ commmerciales et plures Jurisperiti inter quos Pont, *du Prêt*, n. 284, 285, 295.

Equidem ex praxi sat universali præfatum salarium non videtur damnandum. At, cum cessor chirographi maneat semper fidejussor apud bancarium cessionarium, sequitur quod in illa cessione non adest venditio, sed mutuum proprie dictum; ac proinde bancarius accipere nequit chirographum cum diminutione pretii, nisi adsit specialis titulus damni emergentis aut lucri cessantis.

2. Cessionarius autem *privatus* seu non bancarius non

videtur inculpandus, si retineat auctarium *ad extra*, ob praxim fere universalem, quam non improbant Curiæ commerciales, etsi contradicat Pont, *ibid.*, n. 292. Sed eidem non licet exigere aliquod salarium, cum in iisdem conditionibus ac bancarius, non versetur; nec a fortiori potest accipere chirographum minori pretio, nisi adsit specialis titulus extrinsecus, aut venditio proprie dicta.

PUNCTUM IV

De Negotiatione censuum publicorum.

322. — Notionem censuum publicorum et negotiationum, quæ de illis iniri possunt, tradimus in subsequenti scholio. Ex hac expositione colligitur varias illas negationes ad triplicem contractus speciem pertinere, nempe ad venditionem vel ad ludum, vel ad mutuum. Mutuum adest in conventione quæ dicitur *relatio mercatoria* (*report*). De hac igitur tantum hic dicendum habemus.

Jam vero relatio mercatoria, ut patet ex ejus notione, quam delineabimus n. 325, nihil aliud est quam mutuum cum consignatione censuum in manu creditoris, atque plus minusve aleatorium pro utraque parte, et præsertim pro debitore : porro in contractibus aleatoriis taxa auctarii præcipue pendet a contrahentium voluntate; ergo relatio mercatoria per se illicita non videtur. Revera in foro argentario quotidie initur hujusmodi conventio, non improbante Principe; atque rationabiliter præsumi potest spontaneus consensus ex parte debitoris, saltem quando, ut plerumque fit, prudentem spem enutrit lucrum exinde percipiendi.

SCHOLIUM

Notiones circa census publicos et operationes quæ de illis ineuntur in foro argentario (*operations de Bourse*).

Quasdam notiones de censibus publicis et de negotiatione cujus sunt materia, hic gallico idiomate tradere haud supervacaneum visum est.

323. — 1° *La Bourse*, *Fonds publics et autres valeurs*, *Agents de change*, *Courtiers*, *Coulissiers*. 1° *La Bourse* est un immense marché des fonds publics où viennent aboutir directement ou indirectement tous les grands intérêts des divers pays de l'Europe et de l'Amérique. La Bourse se tient tous les jours non fériés, de une heure à trois heures. Toutes les affaires faites en Bourse sont généralement réglées après Bourse, de trois à cinq heures le jour même, ou le lendemain avant la Bourse, de neuf heures à midi.

2° *Les fonds publics* sont proprement les rentes sur les divers Etats ; on entend aussi souvent, par ces mots, les autres valeurs cotées à la Bourse, telles que les *Actions* de la Banque, les *Actions* et *Obligations* de plusieurs autres Sociétés nominatives, de diverses Sociétés anonymes ou *Compagnies*, etc.

En France, les rentes sur l'Etat sont à 3 p. 100, 4 p. 100, 4 1/2 p. 100, c'est-à-dire que l'Etat donne à son créancier un revenu de 3 francs, 4 francs, 4 fr. 50 c. pour chaque somme de 100 francs qu'il aurait à rembourser dans le cas où il voudrait acquitter sa dette. Cette somme représente la valeur *nominale* de la rente. La valeur *réelle*, c'est le prix que le rentier pourrait actuellement retirer de la rente en la vendant à la Bourse. Ces rentes ne sont, en effet, remboursables qu'au gré du gouvernement. Le revenu est payé par semestre pour les rentes à 4 et 4 1/2 p. 100, et par trimestre pour les rentes à 3. p. 100, et à 4 1/2 p. 100 de l'emprunt de 1871.

Le cours des rentes subit à la Bourse des oscillations incessantes, occasionnées par le plus ou moins de confiance qu'inspire l'état actuel des affaires publiques, par le nombre plus ou moins considérable des acheteurs ou des vendeurs, et par mille autres circonstances qui échappent souvent à la perspicacité des plus habiles.

Les valeurs sur les Sociétés sont de deux espèces : les actions et les obligations.

Une *action* est la somme d'argent que chacun des associés a mise ou est réputé avoir mise en commun pour constituer le fonds social, et qui donne à l'associé le droit à une part proportionnelle des bénéfices nets de la compagnie ; cette part des bénéfices s'appelle *dividende*.

Une *obligation* est un titre délivré par une Société à un particulier qui a versé entre ses mains une somme d'argent, et en vertu duquel la Compagnie s'oblige à payer audit particulier un intérêt fixe et invariable, et à rembourser au prix *nominal* porté sur le titre, la somme prêtée, quand le numéro de ce titre sera amené par le tirage au sort, qui a lieu chaque année pour un certain nombre des titres consentis par la Compagnie. Ainsi, une obligation portant 500 francs de capital *nominal*, et qui n'aurait coûté que 300 francs, sera quand même remboursée au prix de 500 francs. Cette différence entre le capital nominal et le capital réel s'appelle *prime* de la rente ou de l'Obligation.

Les Etats eux-mêmes délivrent quelquefois à leurs créanciers des Obligations, plutôt que des titres de rente, qui ne sont remboursables qu'au gré du débiteur.

Les cours des Actions et des Obligations n'est pas moins oscillant que celui des rentes, entre les mouvements de *hausse* et de *baisse* : suivant que la demande dépasse l'offre, ce qui produit la hausse, ou que l'offre

dépasse la demande, ce qui entraîne la *baisse*. Lorsque les transactions sont fréquentes et animées sur une espèce de valeurs, on dit que son marché est *large*, *étendu;* par opposition, on dit que le marché est *étroit*, *restreint*, quand le contraire existe.

3° Les *Agents de change* sont les officiers ministériels, reconnus par la loi, pour acheter ou vendre à la Bourse. Ils perçoivent un courtage de $^1/_{400}$ sur la vente de certains fonds étrangers, et $^1/_{800}$ sur la vente des fonds français et des autres fonds étrangers. Ces charges se vendent fort cher.

Les *Courtiers* ou *Marrons* sont des agents non reconnus par la loi, mais agréés de leurs clients. S'ils traitent pour eux-mêmes, on les désigne sous le nom de *Coulissiers*. Ils ne prélèvent, en général, qu'un courtage de $^1/_{1600}$ pour les rentes, $^1/_{800}$ pour les valeurs industrielles de 500 francs au moins, et 50 centimes pour les valeurs industrielles au-dessous de 500 francs.

324. — II. *Diverses espèces d'opérations.* Toute opération de Bourse se résume par un achat ou une vente. Or, l'achat et, par conséquent, la vente des valeurs de Bourse, se traite de trois manières : *au comptant, à terme et ferme, à terme et à prime.*

1° *Au comptant.* Ce mode d'opération consiste à acheter ou à vendre une valeur pour s'en livrer (saisir) ou en livrer l'acheteur immédiatement. Il s'accomplit par l'échange pur et simple de ladite valeur contre la somme en espèces, qui en forme le prix.

2° *A terme ferme, à terme et à prime.* L'achat ou la vente *à terme* est un contrat actuellement formé avec détermination de la quantité vendue, de la nature des titres, de leur prix, mais dont l'exécution ou réalisation n'aura lieu qu'à la fin du mois pour la rente sur l'Etat, au 15 ou à la fin du courant pour les chemins de fer et autres valeurs industrielles.

Le marché *à terme* est *ferme* ou *forcé*, s'il lie les deux parties contractantes, en sorte que le vendeur soit obligé de fournir, et l'acheteur de se livrer des titres sur lesquels a porté la transaction, au taux fixe comme prix desdits titres, quel que soit l'état du cours à l'époque de la livraison. Ces marchés, ainsi que ceux *à terme et à prime*, s'écrivent et se signent de part et d'autre, pour former titre.

Le marché *à terme* est *à prime* ou *libre*, quand *l'acheteur* se réserve le droit de renoncer à se livrer au moment de la réalisation de l'achat, en abandonnant au vendeur la *prime*, c'est-à-dire le léger acompte qu'il lui a payé, et dont le marché porte quittance. Cette prime est de 0 fr. 50 c. ou de 1 franc pour chaque unité de rente 4 1/2, 4, 3 francs de rente; elle est de 10 ou de 20 francs par action

sur les chemins de fer et autres valeurs. C'est ce qu'on entend par cette expression *dont* 0 fr. 50 c., *dont* 1 franc, *dont* 10 ou 20 francs. Le 15 ou le 31 de chaque mois les *primes se répondent*, c'est-à-dire que ce jour-là l'acheteur déclare s'il entend *lever* ou *abandonner* sa prime. C'est au moyen des marchés à terme et ferme, à terme et à prime, que se fait la plus grande masse des opérations de spéculation, comme nous l'indiquerons plus bas.

Les cours d'une valeur sont d'ordinaire plus élevés à terme qu'au comptant; car, dans la vente à terme, l'acheteur jouit de son capital et de ses produits pendant tout le temps qui sépare les deux époques. En outre, la valeur augmente tous les jours de prix, depuis le détachement du coupon, c'est-à-dire l'échéance du semestre ou trimestre, jusqu'au jour du détachement du coupon suivant. On donne le nom d'*écart* à cette différence entre le prix des valeurs au comptant et le prix des valeurs à terme.

Cependant, en temps de crise, ou par suite d'événements imprévus, les cours à terme, au moment où ils se réalisent, sont quelquefois égaux ou inférieurs à ceux du comptant. Quand ce phénomène se produit, on dit qu'il y a *déport*.

De même, les cours d'une valeur sont d'ordinaire plus élevés *à terme et prime*, qu'à *terme et ferme*, par la raison que dans la vente à terme et *prime*, le vendeur est moins sûr de la vente et court ainsi plus de risques que dans le marché *ferme*.

L'acheteur à terme *ferme* ou à *prime* a toujours le droit, à moins de stipulations contraires, de devancer l'échéance du marché et de forcer le vendeur à lui livrer les titres contre espèces, sans aucune retenue. C'est ce qu'on appelle faire un *escompte, escompter*. Le vendeur, qui a déjà vendu plus cher à terme qu'au comptant, ne perd rien en recevant avant terme les espèces sans retenue; et, de plus, avec ces espèces, il pourra acheter d'autres titres, percevoir des profits de ces nouvelles transactions, et, en même temps, par ces achats, tenir les cours à la hausse, afin que son acheteur abandonne la prime au moment de la réalisation de sa vente à terme et à prime. D'autre part, l'acheteur pourra revendre les titres achetés à terme, percevoir des profits de ces nouvelles transactions, et, en même temps, par ces ventes, tenir ou entraîner les cours en baisse pour lever sa prime.

Enfin, souvent, en prévision d'une baisse très prochaine, on vend à terme, sans avoir en possession, au moment de la vente, les titres vendus, dont on espère se *couvrir* dans un délai plus ou moins court; il arrive même qu'on n'a pas l'intention de s'en couvrir jamais. On vend alors à découvert. La vente à découvert est la grande machine de guerre des baissiers; mais l'escompte est celle des haussiers.

La vente *à découvert* se réduit fréquemment à payer la *différence* du prix des valeurs entre le moment de la vente et le moment de la réalisation : le vendeur paie l'augmentation du prix, et l'acheteur paie la diminution. Exemple : j'ai vendu à découvert, fin courant, 10,000 francs de rente 3 p. 100, au cours de 69 francs; la baisse survient, et, au terme, le cours est de 64 francs : j'aurai donc à recevoir 3333 fois 1/3 les 5 francs de différence, soit 16,666 fr. 65 c. Si au contraire, au terme, le cours est monté à 74 francs, j'aurai à payer la même différence.

Ce résultat se produit toujours quand le vendeur n'a pas eu l'intention de se couvrir avant l'échéance. La vente n'a été alors qu'un marché *fictif* ou un *jeu de bourse*, qui se complique souvent de stipulations accessoires, réelles ou simulées, connues sous le nom d'*agiotage*, pour déterminer une augmentation ou une diminution fictive du cours des valeurs, et modifier ainsi la différence à payer ou à recevoir le jour de l'échéance.

La vente à terme et prime, à découvert, l'agiotage excitent donc toute la passion et entraînent toutes les conséquences funestes du jeu, et, par les oscillations factices que ces marchés impriment à la Bourse, ils compromettent même la situation de tous ceux dont la fortune est étroitement liée avec le prix courant des fonds publics.

D'après ce qui précède, il y a trois sortes d'achats, trois sortes de ventes à couvert, trois sortes de ventes à découvert. Chacune de ces neuf sortes d'achats ou ventes peut se combiner avec les trois sortes de ventes ou d'achats, chacune à chacune, et donner lieu ainsi à vingt-sept combinaisons.

L'exécution ou l'abandon des marchés à terme et ferme, ou à terme et prime est désignée sous le nom de *liquidation*, parce qu'en effet, chacun, à ces époques, liquide sa position particulière avant de se rengager dans de nouvelles opérations. Si, le jour de la liquidation, l'acheteur à terme *ferme* ne peut donner les capitaux, le vendeur a le droit de vendre les titres pour le compte de l'acheteur au cours du jour, et à lui faire la différence entre le produit de la vente et le montant du prix de son acquisition. C'est ce qu'on appelle *exécuter l'acheteur*, *faire une exécution*. L'exécution est la faillite de l'homme de Bourse.

325. — Pour éviter l'exécution, l'acheteur a recours au *report*. C'est une opération par laquelle un capitaliste consent à lever les titres de l'acheteur embarrassé, et à les lui revendre pour la prochaine liquidation, moyennant le paiement d'une différence convenue. L'opération de l'acheteur embarrassé est ainsi *reportée* à la quinzaine

ou à la fin courant. Exemple : j'achète, sans argent, pour 7,000 francs de rente livrables et payables quinze jours après, espérant qu'au jour de la livraison, la valeur de la rente achetée sera de 7,060 francs, et qu'il me sera ainsi facile de payer le prix de l'achat avec un bénéfice de 60 francs. Au jour de l'échéance, je ne puis vendre la rente qu'au prix de 6,940 francs, et je perdrai ainsi 60 francs, ou bien je serai exécuté. J'ai recours à Paul, qui m'achète les titres à 6,940 francs, me les paie aussitôt, et me les revend immédiatement à 7,030 francs, payables dans la quinzaine; et, en attendant, Paul retient les titres. De cette manière, j'évite une exécution ou une perte trop forte; je sauve mon honorabilité, et je conserve les chances qui peuvent survenir d'une liquidation à l'autre.

Le report est donc un prêt avec consignation de titres et une différence ou *prime de report*, qui représente le loyer de l'argent ou l'intérêt. Cette prime s'élève à mesure que les acheteurs manquent de capitaux pour la levée des titres achetés. Elle est quelquefois, pour les valeurs de second ordre de 10 p. 100 par quinze jours, laps de temps pour lequel sont, en général, consentis ces sortes de reports.

Le prêteur ordinairement s'empresse de vendre les titres consignés, active la baisse par ses ventes, recouvre les titres au bas des cours que ces ventes ont amené, quand arrive la levée des reports; et tire ainsi, en quinze jours, un bénéfice de son argent prêté, et un autre bénéficie de titres consignés entre ses mains. Aussi, il n'y a pas à la Bourse d'opération plus avantageuse que les reports.

326. — III. *Placement, spéculation.* Les achats se font à la Bourse ou pour un placement ou pour une spéculation.

Le *placement* des capitaux en valeur de Bourse est un achat pur et simple des titres, dans l'intention d'en percevoir les revenus.

La *spéculation* est un achat de valeurs au comptant, à terme et ferme, à terme et prime, pour les revendre au comptant, à terme et ferme ou à prime à la première occasion favorable. Cette opération est *à la hausse* quand on achète à un prix moindre pour *vendre* à un prix plus élevé; elle est *à la baisse* quand on vend à un prix plus élevé, pour *acheter* à un prix moindre. Le secret de ce commerce, comme celui de tous les commerces possibles, est donc d'acheter en baisse et de revendre en hausse, pour arriver à gagner la différence, qui constitue tout le bénéfice.

Ceux qui veulent se soustraire aux conséquences des oscillations des cours de Bourse, vendent ou achètent au comptant. Si, peu après, les prix baissent, contre leurs prévisions, ils s'abstiennent de vendre; si, au contraire, les cours montent, ils vendent à profit. On peut, par

ces opérations successives et sûres, obtenir dans le cours d'une année un bénéfice de 8 à 15 p. 100.

Ceux qui veulent courir les chances de la liquidation à terme, achètent ou vendent à terme et ferme ou à prime, et, en attendant, ils emploient tous les moyens pour que la liquidation leur soit favorable. D'un côté, les haussiers cherchent à soutenir les cours par des achats au comptant faits à propos, par l'escompte des primes; les baissiers, de leur côté, cherchent à entraîner les cours par des ventes au comptant savamment ménagées, par des livraisons faites en réponse aux escomptes, avec des titres empruntés ou reportés; car plus une marchandise est demandée, plus la hausse est rapide; plus elle est offerte, plus la baisse fait des progrès. C'est ainsi que, criant, luttant, on arrive aux approches de la liquidation. Alors la lutte redouble d'intensité : les moindres faits, les petites nouvelles sont exploitées de part et d'autre à l'aide des plus habiles manœuvres, de la plus savante tactique. Enfin, l'heure de la liquidation sonne, et la *réponse des primes* règle la position générale des haussiers vis-à-vis des baissiers. Les liquidations sont assez généralement suivies d'un mouvement en sens inverse de celui dans lequel elles sont faites.

ARTICULUS II

De accessoriis Contractibus commutativis.

Contractus *accessorii* aut *subsidiarii* sunt illi, qui *aliis accedunt ad eorum exsecutionem procurandam*, ac proinde ab istis pendent, juxta axioma : *Accessorium sequitur principale*. Tres numerantur, scilicet, fidejussio, pignus, hypotheca. De his dicemus.

327. — *Quæritur* 1° quid sit fidejussio, ejus subjectum et effectus?

Resp. 1. Fidejussio est contractus, *quo quis alienam obligationem in se suscipit adimplendam, si debitor principalis eam non impleverit*, art. 2011.

2. Nemo fidejussor esse potest, nisi liberam bonorum ad hoc sufficientium administrationem habeat, ut patet. Requiritur etiam ut fidejussor habitet in territorio Curiæ regiæ, ubi fidejussio præbenda est, art. 2018. Demum, qui principaliter obligari non possunt, fidejubere non valent, ut pupillus, minor, Religiosus, uxor, saltem sine consensu tutoris aut curatoris, superioris, mariti.

3. Fidejussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris, sed solummodo in illius defectu; atque, si pro debitore sol-

vat, omnibus creditoris juribus subrogatur contra debitorem. Obligatio fidejussoris ad ipsius hæredes transmittitur.

328. — *Quæritur* 2° quid sit pignus, et quinam ejus effectus?

Resp. 1. Pignus, gallice *nantisssement*, est, contractus quo *debitor rem aliquam creditori tradit assecurationem crediti.* Res oppignerata, si sit mobilis, proprie dicitur *pignus* (*gage*); si sit immobilis *antichresis* appellatur.

2. Debitor tenetur tradere creditori pignus idoneum, refundere creditori impensas necessarias, quæ factæ sunt ad rei conservationem; pignus non repetere, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

Creditor autem non potest re oppignerata uti nisi de consensu debitoris : diligenter pignus custodire debet; fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare tenetur; tandem non ei licet vendere pignus propria auctoritate, ad solutionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit.

329. — *Quæritur* 3° quid sit hypotheca, quotuplex ejus species, quinam ejus effectus?

Resp. 1. Hypotheca est contractus, quo *res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit.*

2. Triplex est, *legalis*, *judicialis*, vel *conventionalis;* prout vi ipsius legis, aut ex judicis decreto, aut ex mutua partium conventione instituitur. Conventionalis est contractus solemnis, atque ideo fieri debet coram Notario, cum formalitatibus sub pœna nullitatis præscriptis, et a persona ad contrahendum habili; art. 2124 et seq.

3. Hypotheca creditori confert jus solutionem ex bonis obtinendi ante creditores mere chirographarios, et etiam ante creditores, qui nonnisi sequenti die hypothecam inscribi curaverunt, n. 105. Attamen, quod sedulo notandum est, *inscriptio* hypothecæ *renovanda* est ante elapsum terminum *decem annorum* alioquin *amittitur ordo* et *privilegium* ex ea consequens.

ARTICULUS III

De Contractibus aleatoriis.

330. — Aleatorii contractus sunt illi, in quibus *æquivalens ponitur in spe lucri obtinendi, vel damni vitandi ab eventu incerto pendentis.* Unde dicuntur *aleatorii*, ab *alea* (*coup de dé*), quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii. Quatuor sunt præcipui nempe, ludus, assecuratio, sponsio,

loteria. De ludo tantum aliquid dicemus, et exinde facile colligentur regulæ pro tribus aliis, de quibus aliunde raro in praxi occurrit difficultas.

331. — *Quæritur* quid sit ludus, quænam ejus species, an sit licitus?

Resp. 1. Ludus, relative ad justitiam, est contractus, quo *ludentes inter se paciscuntur de certo pretio victori cessuro.*

2. Triplex est ludus, scilicet, *industrialis*, cujus exitus potissimum pendet ab industria ludentium, ut ludus pilæ et discorum; *aleatorius*, cujus exitus præcipue pendet a casu; *mixtus*, cujus exitus partim a peritia, partim a casu pendet, ut, v. g., ludus chartarum, saltem plerumque.

3. Ludus *per se* illicitus non est, cum sit per se honesta recreatio; et aliunde quivis possit bonorum suorum domidium transferre cui et quomodo voluerit.

Attamen, ut justus sit ludus, quatuor requiruntur conditiones, nempe, necesse est 1. ut ludentes habeant *dominium et liberam dispositionem eorum quæ exponunt :* res per se patet; 2. ut adsit *liber ludentium consensus*, sine quo non est contractus validus; 3. ut *serventur regulæ ludi*, atque ideo a ludo exulent *fraus* et *dolus* quæ vitiant consensum, et ludi contractum efficiunt vel radicaliter nullum, vel rescindibilem; 4. demum, ut *inter ludentes sit moralis æqualitas in spe lucrandi et in periculo perdendi.* Unde, qui notabiliter peritior est, a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario committere, alioquin læderetur æqualitas et justitia. In praxi tamen restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur; vel etiam si adversarius sufficienter prænonitus nihilominus pertinaciter ludere voluisset; quia tunc ex hujus parte præsumitur libera condonatio.

Si ludus sit *prohibitus*, victor non tenetur restituere, quia contractus non declaratur a lege irritus sed tantum illicitus, juxta communem sententiam. In eodem casu victus non tenetur ex justitia ad solvendum, quia lex in pœnam victoris obligationem naturalem solvendi sustulit.

Ita de Lugo, Salmant., S. Ligor. n. 890. Alii vero affirmant, quia contractus fuit jure naturali validus. Prior sententia probabilior videtur, utpote efficacior ad tot tantaque præcavenda mala, quæ ex ludis prohibitis quotidie proveniunt. Unde a ludo immoderato suos parochianos studiose avertere debent Parochi; a fortiori ut et ipsi immunes sint ab hujusmodi cupiditate, necesse est.

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

TRACTATUS

DE VARIIS STATUUM OBLIGATIONIBUS

OBJECTUM, UTILITAS, DIVISIO TRACTATUS

1. — In Tractibus *de Decalogo* (cujus pars sunt Tractatus *de Justitia* et *de Contractibus*) et *de Præceptis Ecclesiæ*, actum est de obligationibus cuilibet Christiano impositis. At præterea sunt obligationes unicuique statui seu conditioni propriæ, quarum expositio et scientia efformat præsentis Tractatus objectum atque scopum.

Exinde jam intelligitur ejusdem Tractationis utilitas. Vita enim christiana non in genere peragitur; sed in assidua adimpletione obligationem proprii status tota consistit cujusque felicitas, perfectio atque salus, juxta illud : *Tota ratio damnationis est mala administratio conditionis;* Tert., *de Spect.* Et tamen circa illas obligationes nostro præsertim tempore haud pauci cæci sunt; et, quod lugendum magis est, ipsimet Confessarii verbique divini præcones sæpe easdem insufficienter cognoscunt, raroque populum edocent. Accurate igitur, licet breviter, illam adeo practicam scientiam evolvemus.

Quatuor erunt capita, nempe, 1° de statibus in genere; 2° de Statu Clericorum; 3° de statu Religiosorum; 4° de statu laicorum[1].

1. Circa Tract. *de Variis stat. oblig.* consuli possunt S. Th. 2. 2, q. 183 et seq.; — Suarez, *de Statibus, de Horis Canonicis;* — eximium opus cui titulus : *Forma Cleri;* — S. Ligor., lib. 4; lib. 6, tract. 5, c. 2, 1, § 3; — Antoninus, *de Obligationibus specialibus certorum statuum et officiorum;* — Billuart, *de Statu religioso;* — Alvarez de Paz, *de Vita spirituali;* — Sckram, *Institutiones Theologicæ mysticæ;* — Valentin, *Examen raisonné sur les devoirs particuliers aux diverses professions* de la société; — Opera quibus tituli : *Du saint Office*, par un Prêtre du Séminaire Saint-Sulpice. — Montalembert, *Les Moines d'Occident.*

CAPUT PRIMUM

DE STATIBUS IN GENERE

Tria expendemus, scilicet, statuum notionem, necessitatem, et ad eos vocationem.

I. — *De notione Status in genere.*

2. *Quæritur* 1° quid sit status in genere?

Resp. Status, quoad nomen, a verbo *stare*, significat quamdam positionem alicui enti naturalem, cum quadam immobilitate. Sic, v. g., homo stare dicitur quando est erectus et simul quiescit; quia tunc naturalem habet corporis positionem, quasi in quadam immobilitate.

Quoad rem, status, qualis hic sumitur definiri solet : *Aliqualis modus moraliter vivendi aliquo gradu ex se permanens, in ordine ad aliquem finem.*

Dicitur 1 : *aliqualis modus moraliter vivendi;* quibus significatur statum, ut hic sumitur, respicere libertatis rationem, seu obligationem personæ hominis, prout, scilicet, aliquis astringitur vel non tali vel tali obligatione sive in spiritualibus, sive in civilibus. Sic, v. g., sacerdotium, professio religiosa, conjugium constituunt modum vivendi cum specialibus obligationibus ex sacerdotio, professione religiosa, aut ex conjugio per se defluentibus; et ideo ex hac parte tales modi vivendi constituunt speciales status. Similiter conditio laicorum, cœlibatus, per se constituunt modum vivendi absque ulla ex obligationibus sacerdotio, professioni religiosæ, aut conjugio propriis, ac proinde ex hac parte laicorum conditio, cœlibatus sunt status speciales.

Dicitur 2 : *aliquo gradu ex se permanens,* seu de se non facile mutabilis; alioquin modus moraliter vivendi non constitueret statum, qui non concipitur absque quadam permanentia; sed esset modus simpliciter seu ex se transitorius et extrinsecus. Sic divitiæ, paupertas, dignitas quædam, etsi constituant specialem modum vivendi, nihilominus non sunt proprie status, quia hæc omnia de facili circa homines variantur, et homini extrinseca sunt. Revera, si quis fiat

ex divite pauper, vel si a senatu, a dignitate vicarii generalis amoveatur, magis divitiæ amittuntur, aut dignitas aufertur, quam status. E contra sacerdotium, professio religiosa, conjugium constituunt modum moraliter vivendi ex se permanentem, et ideo speciales status proprie dictos efformant.

Hæc autem permanentia non eadem est pro omni statu, sed varia et multiplex juxta capacitatem materiæ, circa quam versatur status; ad rationem enim status solum requiritur moralis vitæ conditio non ex levi causa vel de facili mutabilis. S. Th., 2. 2, q. 183, a. 1.

Dicitur 3 : *in ordine ad aliquem finem;* specialis enim modus moraliter vivendi est per se medium ad finem ejusdem speciei obtinendum; et ideo ex specie finis dignoscitur species conditionis seu status, et ex specie conditionis secernitur species finis, ad quem ordinatur illa conditio seu status. Hæc evolventur in Institut. canonicis, Tract. 6, n. 2.

3. — *Quæritur* 2° quotuplex sit statuum species?

Resp. Triplex distingui potest statuum species, nempe, clericorum, religiosorum et laicorum, prout quis est vel alicui Ordini initiatus; vel religiosæ professioni per votum obedientiæ, castitatis et paupertatis adstrictus; vel ab Ordine et religiosa professione immunis.

Inter Religiosos autem secernuntur, qui statui vitæ contemplativæ, aut vitæ activæ per vota sunt obstricti. Inter laicos, numerantur status vitæ domesticæ, civilis et politicæ; et hi tres in alios multiplices status subdividuntur, ut dicetur in quarto capite. Vide fusius Institut. canonicas, *ibid.*, n. 3.

II. — *De necessitate Statuum in genere.*

4. — *Quæritur* an et quomodo necessaria sit statuum diversitas?

Resp. Diversitas statuum utilis aut necessaria est ad sapientiam Dei commendandam, ad pefectionem Ecclesiæ, ad subveniendum infirmitati humanæ.

1. *Ad sapientiam Dei commendandam.* Divina enim sa-

pientia in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus, quam in supernaturalibus; unde dicitur quod « regina Saba, videns *ordinem ministrantium* Salomonis, non habebat ultra spiritum. » III Reg. 10. v. 5; et etiam quod « in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; » II Tim. 2, v. 20; atqui distinctio et ordo inter homines præcipue nititur in diversitate statuum, ex quibus potissimum oritur diversitas officiorum, actuum et graduum; ergo statuum diversitas necessaria est in societate humana et in Ecclesia ad sapientiam Dei commendandam.

2. *Ad perfectionem Ecclesiæ.* Nam plenitudo gratiæ, quæ est in Christo sicut in capite, ad ejus membra diversimodo redundat, ut corpus Ecclesiæ sit perfectum, juxta illud : « Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas... ad *consummationem sanctorum* in opus ministerii, *in ædificationem corporis* Christi, etc.; » Eph. 4, v. 11 : atqui illa gratiarum diversitas ordinatur ad diversos status vitæ christianæ, ut patet ex textu jam allato; ergo diversitas statuum necessaria est ad Ecclesiæ perfectionem.

3. *Ad humanæ infirmitati subveniendum.* Ut enim omnia expeditius et sine confusione peragantur, oportet ad diversas actiones diversos homines deputari, juxta illud : « Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo; » Rom. 12, v. 4 : porro, ex jam dictis, diversitas actionum sicut et obligationum a statuum diversitate præcipue oritur; ergo hæc diversitas necessaria est ad humanæ infirmitati subveniendum. S. Th. 2. 2, q. 183, a. 2.

III. — *De vocatione ad diversos Status.*

De vocatione ad statum Clericorum jam specialiter diximus in Tract. *de Ord.* n. 61 et seq. Hic autem notionem, necessitatem et signa vocationis pro quocunque statu expendemus. Itaque

5. — *Quæritur* 1° quid sit vocatio ad aliquem statum? *Resp.* Vocatio definiri potest : *Actus providentiæ superna-*

turalis, quo Deus unumquemque hominem ad aliquem statum eligit, atque congruis dotibus et auxiliis præparat et munit ad illius status officia digne et laudabiter obeunda.

Dicitur 1 : *actus providentiæ supernaturalis.* Etsi enim multi sint status in se ordinis mere naturalis, v. g., status matrimonii, advocati, famuli, etc., tamen, cum de facto omnis homo sit ad finem supernaturalem destinatus, ordo naturalis, et ideo omnes hujus ordinis status ordini supernaturali subordinantur, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 134, *de Incarn.*, n. 223; et ideo supernaturalis providentiæ est actus divinus de vocatione ad quemlibet statum honestum.

Dicitur 2 : *quo Deus unumquemque hominem ad aliquem statum eligit;* in hac electione consistit vocatio divina ad talem vel talem statum.

Dicitur 3 : *atque congruis dotibus et auxiliis præparat et munit ad illius status officia digne et laudabiliter obeunda;* in his significantur media vivendi secundum statum a Deo assignatum. Quæ proinde media sunt duplicis generis, scilicet facultates seu aptitudines sive naturales, sive supernaturales, quibus unusquisque fit idoneus ad statum sibi a Deo electum; et etiam auxilia actualia ordinis sive naturalis, sive supernaturalis, ad illas facultates in statu cuique a Deo assignato convenienter exercendas.

6. — *Quæritur* 2° an *necessaria* sit vocatio ad aliquem statum amplectendum.

Resp. Affirmative. Etenim, ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 138, 144, 146, 150, 156, providentia divina ad omnia etiam infima se extendit, ita ut Deus unicuique creaturæ finem suum sive proximum, sive ultimum præscribat, eidemque concedat media ad hunc finem assequendum : porro hujusmodi finis et media unicuique enti propria nihil aliud sunt quam divina vocatio ad peculiarem statum, ut ex ipsius divinæ vocationis notione colligitur; ergo pro unoquoque hominum existit vocatio divina ad aliquem peculiarem statum.

Porro, qui talem statum a Deo assignatum non amplectitur, eo ipso 1. divinæ providentiæ resistit; 2. ad statum,

quem contra divinam vocationem amplectitur, fit inhabilis, cum sit ad alium ab utero et per gratiam conformatus; 3. consequenter destituitur specialibus auxiliis ad officia illius status digne et laudabiliter obeunda adeo necessariis, ut, licet in hoc statu, quem ei Deus non assignavit, quisque absolute loquendo salvari possit, tamen non absque magnis difficultatibus periculisque, et perpetua mentis anxietate ingredietur viam, apprehendetque viam salutis, juxta ilud : « Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. » Matth. 15, v. 1. Attamen non exinde sequitur quod stricta urgeat obligatio obtemperandi divinæ vocationi etiam moraliter, sed non omnino certæ. Vide Tract. *de Ordine*, n. 54, ad 4°.

Itaque cum maturo consilio et singulari prudentia quisque peculiarem statum juxta divinam vocationem eligere debet. Divina autem voluntate semel cognita, ei prompte, humiliter et confidenter obtemperet. « Unusquisque suum noverit *ingenium*, et ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit... Quod etenim unumquemque suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id majori implet gratia. » S. Ambros., *de Offic.*, lib. 1, c. 44.

Et nihilominus pauci sunt, qui ad maturum examen quæstionem suæ vocationis revocent. Juvenes enim per se vel impares sunt ad hujusmodi quæstionis solutionem, vel levitatis causa aut cupiditatibus illecti et abstracti, de ea imperfecte cogitant. Parentes vero sæpe sæpius nonnisi secundum temporalia commoda pro filiis suis statum eligunt. Tandem ipsimet Confessarii raro de vocatione pœnitentium sunt solliciti. Quid mirum igitur quod ubique tot pullulent viri extra viam errantes, omnis disciplinæ impatientes, inquieti, societatis tum temporalis tum spiritualis subversionem appetentes, et in ruinam sempiternam cæca mente et febrili quodam impetu proruentes!

7. — *Quæritur* 3° quænam sint *signa* divinæ vocationis ad aliquem statum?

Resp. Hujusmodi signa sunt negativa, vel positiva. Si prius, deficiunt dotes per se requisitæ ad talis vel talis

peculiaris status officia convenienter obeunda; ac proinde deest vocatio ad illum statum.

Si posterius, non solum adsunt hujusmodi dotes, sed insuper dignoscuntur specialia indicia voluntatis Dei, ut tales dotes exerceantur in tali vel tali peculiari statu. Cujusmodi indicia quasi contrahuntur in *singulari, dulci, constanti, prædominanti, ex rationali et aliquomodo supernaturali concepto desiderio* et *inclinatione ad illum statum*.

Revera, ex dictis, Deus dat unicuique aptitudines et auxilia ad vitam instituendam secundum peculiarem statum unicuique divinitus assignatum : porro fieri nequit quod hujusmodi aptitudines et auxilia per se constanter, suaviter et fortiter animam non inclinent ad illum statum, ita ut anima irrequieta maneat, donec in illo statu requiescat; ergo divina vocatio ad aliquem statum certo dignoscitur tum ex dotibus hominis cujusque, tum præsertim ex cujusque constanti, prædominanti et supernaturali inclinatione in aliquem peculiarem statum. Hæc evolvuntur in Tract. *de Ordine*, n. 54, ad 3°.

8. — Hinc 1. nemo quemcunque statum eligere debet, ut efficacius alicui cupiditati indulgeat, sed ut divinæ vocationi obtemperet, suas facultates perfecte evolvat, his in terris, in quantum possibile, vera felicitate gaudeat, viam salutis facilius tutiusque aggrediatur et per eam procedat, et tandem ipsam salutem tutius consequatur.

9. — Hinc 2. divina vocatione de aliquo statu semel agnita, quisque tenetur sufficienter cognoscere officia illi statui propria, et hæc officia digne et laudabiliter adimplere. Quænam sint autem in unoquoque statu illa officia, nunc dicendum habemus.

CAPUT II

DE OBLIGATIONIBUS STATUI CLERICORUM PROPRIIS

Dicemus, 1° de notione Clerici et status Clericorum; 2° de obligationibus Clericorum ratione Ordinis; 3° de obligationibus Clericorum ratione curæ animarum.

ARTICULUS PRIMUS

De notione Clerici et status Clericorum.

10. — *Quæritur* quid sint Clerici et Clericorum status? *Resp. Clerici,* ut dictum est in Tract. *de Ordine,* n. 60, sunt ministri Ecclesiæ, a Deo speciali voluntate præ cæteris electi, ut speciali modo Deo deserviant, et animarum saluti specialiter incumbant, ipseque Deus ipsis specialiter se præbeat. Unde

Status Clericorum est *specialis* modus vivendi *per spiritualem consecrationem et dedicationem personæ ad spiritualia Ecclesiæ ministeria constitutus.* Cujusmodi igitur status per Ordinis sacramentum proprie confertur, licet per primam Tonsuram aliquo modo inchoetur, ex dictis in Tract. *de Ordine,* n. 60; atque ideo ejus origo, quoad substantiam, est immediate de jure divino, licet illi, quoad modum et initium, aliquid per Ecclesiam additum sit.

Sub hoc statu distinguuntur varii gradus pro diversitate ordinum usque ad Episcopatum. Sed hæc divisio magis spectat ad divisionem ministeriorum et officiorum Ecclesiæ, ut Ecclesia est, quam ad propriam distinctionem statuum.

Status et ideo obligationes Clericorum considerari possunt vel quoad Deum seu ratione Ordinis, vel quoad animas seu ratione curæ animarum. Unde

ARTICULUS II

De Obligationibus Clericorum quoad Deum seu ratione Ordinis.

Ex Ordinis Sacramento infertur pro Clericis obligatio peragendi vitam eximie sanctam, et adhibendi media quibus talis vita efficaciter peragatur.

§ I

De Obligatione pro Clericis peragendi vitam eximie sanctam.

11. — Hinc igitur præsertim de sanctitate in Sacerdote requisita, ratione *ordinis;* et exinde per proportionem inferri poterit quænam requiratur sanctitas in iis, qui inferioribus Ordinibus sunt initiati, et de quorum perfectione jam aliquid dictum est in Tract. *de Ordine,* n. 57, 60-68.

PROPOSITIO

12. — *Sacerdotes in perpetuum tenentur ad eximiam vitæ sanctitatem.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Dicitur enim de Sacerdotibus veteris legis : « *Sancti erunt Deo suo*, et non polluent nomen ejus; *incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* » Levit., 21, v. 6. — *Mundamini, qui fertis vasa Domini;* Isa., 52, v. 11. Porro, si Sacerdotes veteris legis præ cæteris Judæis ad vitæ sanctitatem manerent obstricti, eo præcise quod animalia, panes et incensum Deo offerrent, atque ferrent vasa Domini, quanta præ cæteris Christianis sanctitas erit necessaria iis, qui, e terra sursum in cœlum volitantes, ascendunt ad Deum, donec ipsum contueantur invisibilem, atque ipsum Dominum manibus suis apprehendunt, et in sinu Patris divinum Agnum immolant!

Revera ipse Christus Sacerdotibus novæ legis dicit : « *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ;* quod si sal evanuerit, *in quo salietur?* » Matth. 5, v. 13, 14; id est, vos estis homines illi, quorum doctrina sacra alios illuminat, quorum sanctitas ita ad sanctitatem alios inducit, ut sine illa, jam prorsus in terris deficeret sanctitas quælibet.

Similiter ex Apostolis Petro et Paulo, oportet ut Sacerdos sit « *irreprehensibilis*, prudens, ornatus, pudicus, bonum testimonium habens ab iis qui foris sunt; ut se præbeat *exemplum fidelium* in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in doctrina, in integritate, in gravitate; ut non se implicet negotiis secularibus, sed sit *perfectus homo Dei,* atque *forma gregis* ex animo; » I Tim. 3, v. 2 et seq.; 4, v. 12, 15; II Tim. 2, v. 4, 22; 3, v. 17; Tit. 2, v. 7, 8; I Petr., 5, v. 3. Ergo Scriptura constat Sacerdotes in perpetuum adstringi ad eximiam vitæ sanctitatem.

2° *Traditione.* SS. Patres, Concilia et Theologi gravissimis verbis sanctitatem status sacerdotalis extollunt atque conclamant. « In divino omni quis non audendus aliis dux fieri, nisi secundum *omnem habitum* suum factus sit *Dei formissimus* et *Deo simillimus;* » S. Dionys., *de Eccl. hier.*, c. 3. — « Sacerdos debet vitam habere *immaculatum*, ut omnes in illum veluti in aliquod *exemplum excellens* intuean-

tur; idcirco enim nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria et magistri cæterorum, *ac veluti Angeli versemur in terris.* » S. Chrysost., *Homil.* 1 *in Tim.* — « Nihil in Sacerdote commune cum multitudine. Vita Sacerdotis præponderare debet, sicut præponderat gratia. » S. Ambros., *Epist.* 82. — « Aut *cæteris honestiores,* aut fabula omnibus sunt Sacerdotes. » S. Bernard., *de Consider.*, lib. 4, c. 6. — « Ad idoneam exsecutionem Ordinis non sufficit bonitas qualiscunque, sed requiritur *bonitas excellens;* ut, sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et *superiores* sint *merito sanctitatis.* » S. Th., Suppl., q. 34, a. 1, ad. 3.

Præfatam unanimem traditionem sic contrahit Conc. Trid., sess. 22, c. 1, *de Reform.* : « Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut *habitu, gestu, incessu, sermone,* aliisque omnibus rebus *nihil nisi grave, moderatum,* ac *religione plenum* præ se ferant. »

3° *Ratione Theol.* Sacerdos per characterem sacerdotalem adeo ipsi Christo configuratur, ut ipsius Christi *personam* in terris gerat ad gloriam Dei animarumque salutem promovendam, nihilque nobilius et divinius illa dignitate excogitari possit : porro Christus se sacerdotem exhibet mente, corde, verbo et opere; ergo homo per ordinationem consecratus, indesinentur se sacerdotem exhibere debet mente, corde, verbo et opere, secundum excellentiam dignitatis et gratiarum, quæ ordinationi alligatæ sunt.

Quæ eximiæ sanctitatis necessitas ut melius intelligatur, conferre juvat sive statum sacerdotalem cum statu religioso absque sacerdotio, sive statum Presbyteri curati cum statu Presbyteri religiosi.

Porro 1. Sacerdos, qua talis seu *ratione Ordinis,* longe perfectior esse debet, ac si *idem ille homo* esset laicus religiosus in aliquo ex Institutis strictissimæ observantiæ, v. g., Carthusianorum, Cisterciensium, Carmelitarum, etc. Etenim « si religiosus careat Ordine, manifestum est excellere præeminentiam Ordinis quantum ad dignitatem, quia per sacrum Ordinem aliquis deputatatur ad dignissima mi-

nisteria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris; ad quod requiritur *major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status.* » S. Th. 2. 2, q. 184, a. 8. — Idem unanimiter conclamant SS. Patres : « *Monasticus* ordo *debet sequi* sacerdotales ordines, et *ad eorum imitationem ad divina ascendere.* » S. Dionys., *de Eccl. hier.* c. 6. — « Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis. » S. Hieronym. *Epist. 4, ad Rusticum.*

2. Præterea Presbyter *curatus* perfectior esse debet, quam si *idem* esset sacerdos in statu religioso. Equidem modus vivendi in religione quadam difficilior est quoad ipsum genus operis, propter arctitudinem observantiæ regularis : at longe difficilius est bene conversari cum cura animarum propter exteriora pericula; et ideo majoris virtutis indicium est in Sacerdote innocentem se servare in ministerio animarum, ac in statu religioso; S. Th. *ibid.* — « Cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, ex maxime hoc tempore, *difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi* aut *Presbyteri officio;* sed apud Deum *nihil beatius,* si eo modo militetur, quo noster imperator jubet; » S. August., *Epist.* 21, *ad Valer.* — « Si talem mihi aliquem adducas monachum, qualis, ut secundum exaggerationem dicam, Elias fuit; non tamen comparandus est ei, qui *traditus populis,* et *multorum peccata ferre compulsus, immobilis perseverat et fortis.* » S. Chrysost. *de Sacerd.*, lib. 6, c. 4, 5, 7.

Nonne igitur stupendum est, quod et ipsi seculares Sacerdotes aliquando asserant perfectionem christianam non ipsos, sed Religiosos spectare ! Et quomodo adeo immemores esse possunt hujusce conclusionis practicæ : « Ecce Sacerdos factus es... Non alleviasti onus tuum; sed arctiori jam alligatus es vinculo disciplinæ, et ad majorem teneris perfectionem sanctitatis. *Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus,* et aliis bonæ vitæ exemplum præbere. Ejus conversatio *cum Angelis in cœlo,* aut *perfectis viris in terra!* » *De Imitat.*, lib. 4, c. 5. Sacerdotes igitur, qui ad professionem religiosam convolant, profecto non intendunt, nec intendere possunt se perfectius, sed tantum *tutius* sanctificare. Vide Institut. canonicas, Tract. 6, n. 48, 49.

§ II

De mediis ad vitam eximie sanctam a Clericis peragendam.

Agendum est, 1° de mediis positivis generalibus, 2° de mediis positivis specialibus, 3° de mediis negativis.

NUMERUS PRIMUS

De mediis positivis generalibus.

Tria sunt præcipua hujusmodi media, scilicet 1. zelum propriæ sanctificationis constanter fovere; 2. regulam agendorum et modum sibi præfinire; 3. tempus in vita sancte transigenda et commodis Ecclesiæ catholicæ promovendis consumere.

13. — I. *Zelum propriæ sanctificationis constanter fovere.* Etenim zelus propriæ sanctificationis in eo consistit, quod Sacerdos frequenter animum intendit ad suam dignitatem sacerdotalem, et obligationem instituendi vitam eximie sanctam et immaculatam; ac proinde cum instanti sollicitudine propositum proficiendi renovat; diu noctuque vigilat super seipsum, excitat seipsum, admonet seipsum, et quidquid sit de aliis, non negligit seipsum; sed vim omni occasione sibi infert, malum quodcunque in seipso satagit emendare; et in primis quæ sibi magis gravia et contraria sunt, virilius vincere nititur.

Atqui, posita hujusmodi diligentia, cætera sponte consequuntur; nec fieri potest quod profectus Sacerdotis non sit omnibus manifestus, juxta illud : « *Noli negligere gratiam,* quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manum presbyterii. *Hæc meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus;* » I Tim. 4, v. 14, 15. Si vero illa sollicitudo desit, jam cætera media plus minusve omittuntur, vel inefficaciter adhibentur, ita ut propriæ sanctificationis zelus sit primarium medium cæterorumque principium atque causa, juxta illud : « *Omni die* renovare debemus *propositum nostrum* et ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversationem venissemus. *Secundum propositum nostrum, profectus noster;*

et *multa diligentia* opus est bene proficere volenti... *Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.* » *De Imitat.*, lib. 1, c. 19 et 25.

Quid mirum igitur, si quandoque sint Sacerdotes tepidi et a perfectione sui status plus minusve alieni? Sæpe quidem de proximi sanctificatione cogitant; sed raro ad propriam emendationem intendunt; sponte de aliorum salute curam habent; segniter vero seipsos perficere satagunt; imo externis ministerii operibus instant, ut quam raro mentem in semetipsis defixam deprehendant; et ita similes fiunt lapidibus milliariis, qui viam ostendunt, nec ambulant; vel fabris arcæ Noe, qui aliis, ut evaderent, præstiterunt, et ipsi diluvio perierunt.

14. — II. *Regulam et modum agendorum sibi præfinire.* Nam Sacerdotum sanctitas est in perfecta conformitate propriæ voluntatis cum voluntate divina : porro *qui regulæ vivit, Deo vivit*, id est, omni hora, omni instanti, omni actu propriam abnegat voluntatem, ut divinæ voluntati per regulam manifestatæ ex amore adhæreat; dum e contra ille non secundum Deum, sed secundum se vivit, qui, si potuerit, est cum quibus vult, pergit quo vult et quantum vult; ergo absolute necessaria est vitæ disciplina seu agendorum regula fideliter servata.

Et vero, qui sine regula vivit, in nullo stabilis est, in nullo fixus, sed in omnibus vagabundus, in omnibus naturali inclinationi indulgens, omnia incipiens, in nullo proficiens, atque ideo vitam otiosam aut turbulentis occupationibus involutam, semperque tædio laborantem deducit, Quare dictum est : *Cura disciplinæ dilectio est, et dilectio custodia legum.* Sap. 6, v. 19. — « *Certum sibi vitæ genus constituere* tanti momenti esse duco, ut *totius vitæ* vel *recte* vel *male traducendæ fundamentum* in eo positum esse putem; S. Gregor. Naz. *Orat.* 25. — « Illum tantum *diem vixisse* te computa, quem *sine ulla regulæ transgressione duxisti.* » S. Eucher. *Homil.* 9.

Singulis igitur horis, in quantum potest, sua distribuat exercitia quisque Sacerdos, et quidquid unicuique negotio

accomodatum est, observet; et si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum, suo modo, suo loco, suo tempore, non habeat impunitum. Talis fuit praxis omnium Sanctorum, nec alia via unquam, ne unus quidem Sacerdos perfectus evasit, nec evadere potest.

15. — III. *Tempus in vita sancte transigenda et commodis Ecclesiæ Catholicæ promovendis consumere.*

Scilicet. Sacerdos mature surgere debet, statim orationi instare; deinde sacrificio incumbere, aut aliis operibus ministerii externi, quæ hic et nunc urgent, vacare, tandem lectioni Scripturæ et Theologiæ attendere : ita ut orationi lectio, lectioni ministerium externum, ministerio externo oratio aut lectio succedat, juxta illud : « Nos vero *orationi* et *ministerio verbi instantes* erimus; » Act. 6, v. 4. — « *Attende tibi* et *doctrinæ; insta in illis.* Hoc enim faciens, et *te ipsum salvum* facies, et *eos qui te audiunt.* » I Tim. 4, v. 13, 16.

Revera « omne tempus, in quo de Deo non cogitamus, hoc nos computemus perdidisse, » ait S. Bernard. : porro, qui in sortem Domini vocati sunt, nonne in ejus lege aut in animarum cura die ac nocte meditari et versari debent? Quid? simplices monachi, moniales, ut vitam christianam tutius agant, « raro exeunt, abstracte vivunt, pauperrime comedunt, grosse vestiuntur, multum laborant, parum loquuntur, diu vigilant, mature surgunt, orationes prolongant, frequenter legunt, et se in omni disciplina custodiunt : » Sacerdos autem, cujus domus est omnium monasteriorum sanctissimum, et ad cujus imitationem monachi et moniales ad divina debent ascendere, n. 12, somnum in diem duceret, otio aut vanis occupationibus magnam diei partem consumeret, orationi raro et quasi coacte vacaret, rarius lectioni Scripturæ et Theologiæ attenderet, segniter pro animabus se impenderet!

16. — Tandem Sacerdos novissima sua memoretur, ut exinde potissimum incitamentum sentiat. Nam « qui bene præsunt Presbyteri, *duplici honore* digni habentur. » « Qui bene ministraverint, bonum gradum sibi acquirent; » I Tim. 3, v. 13; 5, v. 17. — « Ibi mercedes et præmia pro

omnium salute recipies, si hic pro omnium incolumitate vigilaveris; » S. Clem. *Epist.* 1. — « Nihil *beatius* apud Deum officio Episcopi et Presbyteri, si eo modo militetur, quo noster imperator jubet, » S. August. *Epist.* 21 *ad Valer.*

Contra vero *væ Sacerdoti* illi, per quem Filius hominis tradetur! *bonum esset illi, si natus non fuisset.* Matth. 26, v. 24. — « Episcopi et Presbyteri officio, si perfunctorie atque adulatorie res agatur, nihil apud Deum *miserius*, et *tristius*, et *damnabilius;* » S. August., *ibid.* — « Sacerdos, si pariter cum subditis peccat, non eadem, sed *multo acerbiora patietur*... si plura triplo addas, nihil dicturus es : adeo vehemens pœna atque cruciatus hujusmodi hominibus imminet!... Dico ut arbitror ac sentio, quod inter Sacerdotes *pauci sunt qui salvi fiant, multo plures qui pereant;* » S. Chrysost. Homil. 27 *in Matth.;* Homil. 1. *in Ep. ad Tit.*, Homil. 3. *in Act.* Hæc ultima verba forsan secundum aliquam exaggerationem dicta sunt. Sed nonne ad efficacem timorem injiciendum satis est, quod unus ex duodecim Apostolis, ab ipso Christo electus et per tres annos formatus, non obstantibus ineffabili amore formidolosisque minis ipsius Christi, in æternum perierit?

NUMERUS II

De mediis positivis specialibus.

Tria præcipua sunt illa media Jure canonico præscripta; nempe, recitatio divini Officii, perpetuus cœlibatus, gestatio habitus ecclesiastici et tonsuræ.

PUNCTUM PRIMUM

De obligatione recitandi divinum Officium.

Quatuor expendenda sunt, scilicet 1° divinum Officium in se sumptum; 2° existentia et gravitas obligationis illud recitandi; 3° modus illius recitationis; 4° causæ ab hac recitatione excusantes.

I

De Officio divino in se sumpto.

Agemus de divini Officii notione, origine, materia et excellentia.

17. — *Quæritur* 1° quid sit Officium divinum?

Resp. Divinum Officium est *collectio precum vocalium et publicarum, certis horis et singulis diebus recitandarum.*

Dicitur 1 : *collectio;* qua voce indicatur divinum Officium non una tantum prece constitui, sed plures partes omnino distinctas habere, quæ tamen quid unum morale efformant, quatenus intra unumquemque diem omnes recitari debent.

Dicitur 2 : *precum,* quo significatur divini Officii materia. Scilicet, per illud verbum hic intelliguntur non solum orationes proprie dictæ, quales sunt, v. g., Psalmi; sed etiam aliæ partes, quæ, etsi in se non sint preces, tamen per se ad orationem præparant et excitant, v. g., lectiones.

Dicitur 3 : *vocalium,* seu voce aliquo modo prolatarum; talis est forma illarum precum, qua innotescunt populo, pro quo proferuntur, et qua mens orantis vel aliorum acrius excitatur in Deum. S. Th. 2. 2, q. 83, a. 12. Exinde discrepant a precibus mere mentalibus.

Dicitur 4 : *publicarum,* id est, recitandarum a personis ad hoc ab Ecclesia deputatis, quæ ideo hujusmodi preces fundunt in nomine totius Ecclesiæ, ita ut tota Ecclesia per modum unius ad Deum oret, mediante unoquoque illorum legatorum, atque ipsa determinet illas preces. Quibus divinum Officium distinguitur ab oratione privata, quam quis proprio nomine fundit pro se aut pro aliis.

Dicitur 5 : *certis horis et singulis diebus recitandarum;* in his innuuntur sive tempus præfinitum ad illarum precum recitationem, sive conditio qua earumdem collectio quid unum morale efformat, seu intra unumquemquem diem recitatio.

18. — Quæ precum collectio vocatur *Officium divinum, ecclesiasticum, canonicum, Horæ canonicæ, Breviarium.*

Et quidem *Officium,* quia, sicut proprium officium Christi est per sacrificium sese Deo offerre ad gloriam Dei, et animarum salutem; ita proprium et *personale* Clericorum officium est per orationem sese Deo offerre ad gloriam Dei, et propriam aliorumque salutem.

Divinum, quia totum pro cultu Dei institutum est; *ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiæ persolvitur; *canonicum*, quia per Ecclesiam approbatum et traditum est.

Horæ canonicæ, eo quod, juxta Ecclesiæ canones, certis et definitis horis recitandæ sunt illæ preces,

Breviarium, quia est compendium ac veluti summa eorum, quæ in Scripturis, et Patribus, gestisque Sanctorum continentur; vel quia est compendium formulæ longioris, quæ olim recitabatur.

19. — *Quæritur* 2° *quomodo* et *quandonam* efformatum fuerit Officium divinum?

Resp. Divinum Officium spectari potest quoad substantiam, quatenus, scilicet, est collectio precum diversis diei horis nomine Ecclesiæ recitandarum; vel quoad formam.

Porro 1., quoad *substantiam*, origo divini Officii ab ipsis Apostolorum temporibus videtur esse repetenda; colligitur tum ex variis locis Act. Apost. 10, v. 9; 16, v. 25; tum ex Constitut. Apost., quæ lib. 8, c. 34, hæc habent : « Precationes facite mane, tertia hora et sexta, nona et vespere, et ad galli cantum; » tum ex S. Cypr. *de Orat. Dom.;* S. Ambr. *de Virg.* lib. 3, c. 4; S. Hieron. *Epist.* 8 *ad Demetr.*

2. Quoad *formam;* non fuit semper idem Officium divinum. Siquidem Horas Canonicas in primis temporibus usitatas, et ex Psalmis aliisque Scripturæ partibus præcipue compositas, in nova forma constituerunt S. Damasus, S. Gelasius, S. Gregorius Magnus. Eas longiores primus contraxit S. Gregorius VII. Iterum reformatæ sunt a Gregorio IX, an. 1241, et a Clemente VII. Cum tamen hæc ultima forma non fuisset præscripta, inde Romæ et aliis locis nata est diversitas et magna confusio in modo orandi et psallendi.

Quare Conc. Trid., sess. 25, novam reformationem Breviarii Romani fieri mandavit, atque ideo Pius V illud correxit, additionibus nonnullis auxit, et Bulla, *Quod a nobis* 7 jul. 1568, omnia alia Breviaria, quæ jam in usu non erant a ducentis annis, prohibuit.

In Gallia Ecclesiæ non paucæ erant in casu exceptionis a Pio V appositæ; et ideirco illæ Ecclesiæ propria Breviaria communiter servarunt. At seculo XVIII, tacente Ecclesia propter temporum calamitates, multi in Galliis Episcopi immerito jus sibi adscripserunt rejiciendi Breviarium sive Romanum, sive locale, sed præ antiquitate legitimum, novumque conficiendi. Ultimis tamen hisce temporibus, promovente Pio IX, omnes Ecclesiæ in Gallia Romanum Breviarium adoptarunt,

20. — *Quæritur* 3° quomodo dividatur, et quibusnam partibus componatur divinum Officium?

Resp. 1° Totum Officium, quale exhibetur in Breviario Romano, dividitur in septem Horas, videlicet, *Matutinum* cum *Laudibus*, *Primam*, *Tertiam*, *Sextam*, *Nonam*, *Vesperas* et *Completorium*. Matutinum subdividitur in tres partes, quæ appellantur *Nocturni*, quia in nocte celebrari consueverant, juxta illud : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi; Ps.* 118, v. 62. Nocturnos sequitur pars quarta, quæ venit nomine *Laudum*. Matutinum cum Laudibus et Vesperæ dicuntur Horæ *majores* seu magnæ; cæteræ vero *minores* seu parvæ.

Septenario illo numero videntur distributæ Horæ canonicæ, tum ut septies in die preces publicæ ad Deum effunderentur juxta illud : *Septies in die laudem dixi tibi*, Ps. 118 v. 164: tum ut distinctis illis septem diei horis exhiberentur passionis Christi mysteria, quod his versiculis declaratur :

Hæc sunt septennis propter quæ psallimus Horis :
Matutina ligat Christum qui crimina solvit,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipartit,
Vespera deponit tumulo, Completa reponit.

2° Partes, quibus componitur Officium in Breviario Romano, sunt : Psalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Responsoria, Versiculi, Benedictiones, Absolutiones, Capitula, Antiphonæ, Collectæ, Invitatorium, Oratio Dominica et Angelica, Confessio, Antiphonæ particulares pro B. Virgine, Symbolum[1].

1. *Psalmi* sunt cantici, qui in Scriptura continentur, et sub libro Psalmorum Davidis, sive ipse solus ipsum composuerit, sive non. Inter Psalmos alii sunt morales sive adhortatorii, sive increpatorii, alii deprecatorii, alii historici, alii prophetici. Per omnes fusa est suavitas cum grandi eloquentia.

Cantici nomen accomodatum est ad significandum alia particularia carmina divinitus inspirata, et in specialibus occasionibus decantata vel probata. Septem sunt in veteri Testamento, et tria in novo, nempe cantica *Benedictus*, *Magnificat*, et *Nunc dimittis*. Unde Psalmus a cantico differre videtur sicut genus a specie.

Hymnus significat carmen in Ecclesia compositum et ab ea receptum, ad laudandum Deum in publico officio.

Lectiones desumuntur partim ex Scriptura, partim ex Homiliis Patrum, quibus commentantur lectiones ex Scriptura desumptæ, partim ex gestis Sanctorum.

Antiphona est brevis sententia, quæ Psalmo recitando præmittitur, et quæ ordinarie continet aut versum aliquem ejusdem Psalmi, aut sententiam utilem in laudem Dei, vel B. Virginis, aut bonum affectum spiritualem, aut aliquod simile.

Responsoria et *Versiculi* in diversis locis interposita continent laudes Dei, vel

Jam vero omnes illæ partes ad Dei cultum et ad orationis finem perfecte sunt accommodatæ. Etenim substantia et quasi basis Officii divini sunt Psalmi; reliqua vero adduntur uti ad ornamentum et complementum : porro Psalmi sunt ipsamet oratio Christi : « In David *Christus* erat, ait S. August.; ejus vocem in omnibus Psalmis vel gementem, lætantem, aut suspirantem habemus; » ergo, etc.

Revera, in Psalmis omnes perfectissimæ orationis effectus inveniuntur, et omnis generis petitiones omnibus statibus accommodatæ, peccatoribus, justis, incipientibus, proficientibus, perfectis; laudationes et gratiarum actiones Dei mirabiles; affectus compunctionis, amoris ardentissimi, supremæ contemplationis et unionis cum Deo, et præsertim frequens recognitio humanæ fragilitatis et necessitatis divini auxilii; uno verbo, nihil Psalmis utilius ut fides roboretur, spes efferatur altius, caritas inardescat. Idem dicendum est de Canticis et Hymnis.

Lectiones non sunt quidem orationes proprie dictæ, sed ad piam excitant meditationem, quæ ad orationem provocant.

Cæteræ partes adjunguntur vel per modum præparationis vel ad majorem concentum et ornatum, vel ad vividius excitandos animos et devotionem, vel ad convenientem finem orationi imponendum. Hac enim varietate partium delectatur orantium animus, diuturnæ psalmodiæ labor levatur, fastidium vel tædium impeditur, multiplices excitantur affectus. Pauci sunt revera, qui in eodem affectu aut in eadem simplicis veritatis intuitione etiam ad breve tempus immorari possint.

orationes sanctas et pias, atque frequentius ex Scriptura desumi solent, licet interdum sint ab Ecclesia composita vel probata.

Capitulum est brevis lectio ex Scriptura deprompta.

Collecta est oratio ab Ecclesia composita, quæ in fine cujusque Horæ recitatur. Hæc oratio *Collecta* vocari solet, quia, dum ab uno sacerdote nomine omnium adstantium dicitur, omnium orationes in ea colliguntur.

Inchoari solent Horæ, per *Orationem Dominicam* et *Angelicam*, quæ secreto dicuntur, quasi ad colligendum animum ministri

Symbolum specialiter adjungitur in Matutino et Prima, ut initium orationis in nocte et die a confessione fidei sumatur.

Divinum adjutorium in principio omnium Horarum postulatur cum glorificatione SS. Trinitatis, quo nec sanctius, nec utilius initium excogitari potest.

Insuper in principio Matutinorum hæc petitio præmittitur : *Domine labia mea aperies*, etc., quia in Matutino incipiunt Horæ Canonicæ illius diei, et ideo specialiter postulatur, ut digne aperiantur labia in laudem Dei.

In principio autem Completorii hæc præmittitur petitio : *Converte nos Deus, salutaris noster;* quia, cum completorium sit Hora ultima, qua præparamur ad noctem quietam, ideo specialiter conversio cordis in ejus initio petitur.

Demum, *Confessio* in Prima et Completorio interponi solet, ut in fine noctis ac principio diei, et in fine diei ac principio noctis remissionem peccatorum procuremus,

21. — *Quæritur* 4° quænam sit divini Officii *excellentia?* *Resp.* Functio per recitationem divini Officii a Clerico adimpleta, ad excellentiam ipsius sacerdotii Christi accedit. Etenim, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 235, 248, 278, 286, Christus est religionis seu orationis mediator pro omni creatura rationali, ita ut oret pro Ecclesia in cœlo triumphante, patiente in purgatorio, militante in terra; nec ullius creaturæ oratio ad Deum ascendat, nisi per orationem Christi, qui idcirco vocatur *orator universalis, semper vivens ad interpellandum* pro omnibus : in hac oratione quatenus est actus adorationis, gratiarum actionis, propitiationis et petitionis, præcise consistit internum Christi sacrificium et sacerdotium.

Porro Clericus recitat Officium uti, apud Deum, legatus internuntius et interpres totius Ecclesiæ; atque ideo consociatur Christo, ut sit per Christum, cum Christo et in Christo orator universalis, seipsumque per actum adorationis, gratiarum actionis, propitiationis et petitionis quotidie offerat in sacrificium ad gloriam Dei et Ecclesiæ salutem; ergo illa functio ad excellentiam ipsius sacerdotii Christi accedit.

Revera hoc miris encomiis conclamant SS. Patres : « Stat Sacerdos, non ignem, sed *Spiritum Sanctum gestans; preces multo tempore fundit,* ut gratia delapsa *animas inflammet,* et argento igne probato candidiores exhibeat... *Omnes autem funditus perituri, nisi magnum adesset gratiæ Dei auxilium...* Sacerdos pro tota civitate, et quid dico pro civitate? imo *pro universo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum,* ut omnium hominum non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat. » S. Chrysost., *de Sacerd.* lib. 3, 6.

« Sacerdos *ut procurator* et *nuntius Ecclesiæ* universalis ab ea missus est, ut *oret pro omnibus :* vox est ipsius Ecclesiæ, et petitio quam Patri misericordiarum offert, *personam et vices ejus gerit.* » S. Basili.

« Sacerdotes sunt *fundamenta mundi,* columnæ quæ nutantis orbis statum *orationibus sustinent.* » S. Greg. Naz. — « Hi humilitate prostrati onus totius orbis portant humeris sanctitatis, » S. Eucher.

II

De existentia et extensione obligationis recitandi divinum Officium.

Dicemus 1. de iis qui ad Officium recitandum tenentur; 2. de gravitate illius obligationis; 3. de Breviario quo utendum est; 4. de Officio diei recitando.

I. — *De iis, qui ad Officium recitandum tenentur.*

PROPOSITIO

22. — *Clerici sive beneficiarii, sive in sacris constituti, ad divinum Officium quotidie recitandum tenentur.* Certum est.

Constat *consuetudine Ecclesiæ.* Equidem illa obligatio ex jure divino non oritur, ut quidam contenderunt, cum in ea dispensare possit S. Pontifex; sed evincitur ex immemorabili consuetudine, quæ vim legis obtinuit, ut ait Benedict. XIV, *in Instruct. Cophtarum.* Hujusmodi consuetudo memoratur tum in pluribus locis Juris Can.; tum a Conc. Lateran. IV et V; tum a Pio V in Bullis *Quod a nobis,* et *Ex proximo.*

Quæ revera obligatio omnino convenit ex parte Christi, Ecclesiæ et ipsorum Clericorum.

1. *Ex parte Christi.* Etenim ad summam Christi dignitatem pertinet, quod sit orator pro omnibus atque causa meritoria nostræ orationis : porro hujusmodi dignitas magis extollitur, dum Christus non solum per se pro nobis orat, nosque pro nobismetipsis orantes facit, sed etiam dum nos facit pro aliis oratores universales seu propriæ suæ dignitatis participes, quales revera sunt Clerici, de quibus agitur, ut dictum est, n. 21; ergo Clericos ad divinum Officium recitandum adstrictos esse convenit ex parte Christi.

2. *Ex parte Ecclesiæ.* Namque Deus ordinarie gratias non largitur nisi posita petitione nostra, juxta illud; *Petite et accipietis; pulsate, et aperietur vobis;* Matth 7. v. 7; porro, inter fideles, plerique in rerum temporalium curis defixi, ad cupiditates nimis proclivi, raro orant, rarius bene orant, sicque moraliter necessarium est quod sint in terris

quidam ad hoc specialiter electi, ut, a negotiis secularibus abstracti, in nomine omnium fidelium orationes fundant: ergo, etc.

Revera hujusmodi oratores universales in ipsa lege veteri divinitus constituti sunt. Dicitur enim : « Tradidi Levitas dono Aaron, ut serviant mihi *pro Israel* in tabernaculo fœderis, et *orent pro eis*, ne sint in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad sanctuarium; » Num. 8, v. 19. Murmurat populus, et statim eum vastat ignis ira Dei incensus; sed Aaron pergit ad populum, et *stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit;* Num. 15, v. 46, 48. Numquid talis publica et adeo efficax oratio deesset sub nova lege?

3. *Ex parte Clericorum.* Nam Clericus sacris initiatus, vi sui status ad laudes Dei deputatus est, n. 12 : atqui, per orationis formulam ab Ecclesia determinatam et ab omni Clerico sacris initiato quotidie recitandam, Clericus ille certius, purius et sincerius laudes Deo retribuit; ergo ex parte Clericorum omnino decet obligatio divinum officium recitandi.

Insuper Clerici in sacris constituti ex lege ecclesiastica ad perpetuum cœlibatum tenentur : atqui praxi constanti et universali constat hominem in statu naturæ lapsæ continentem esse non posse, nisi quotidie rebus divinis vacet; et ideo ad castitatem perpetuo servandam moraliter necesse fuit Clericis præscribere quotidianam divini Officii recitationem.

Clericus autem non in sacris constitutus, sed beneficiarius, ab Ecclesia beneficium non accipit, nisi ut oret pro Ecclesia; proindeque, ut certior esset hæc oratio seu spiritualis fructus beneficii concessi, debuit Ecclesia beneficiariis formulam publicæ orationis præscribere.

23. — Ad illam obligationem tenentur Clerici, sacris initiati, etiamsi sint suspensi, excommunicati, depositi, apostatæ, conjugati, incarcerati, etc.; nisi legitimam dispensationem a S. Pontifice obtinuerint. Qui dispensationem ad matrimonium obtinent, nulla de Officio mentione facta, ad

hoc recitandum probabilius adhuc tenentur : quia Officii obligatio ab obligatione servandi castitatem separari potest.

Juxta plures, ad divinum Officium non tenentur Clerici sacris initiati, si damnentur ad triremes; hæc enim recitatio verteret in dedecus Ordinis, et simul onus nimis grave in illis circumstantiis fieret.

24. — Clericus incipit obligari ab instanti subdiaconatus suscepti, et quidem ad Horas correspondentes horæ qua ordinatur; unde regulariter tenetur recitare ab Hora Sexta. S. Ligor. lib. 4, n. 14. Qui vero ad subdiaconatum promovendus, recitaret Officium ante ordinationem, idem probabilius teneretur postea Officium repetere. Namque prævia illa recitatio habetur ut actus liberalitatis, non autem ut adimpletio obligationis nondum existentis; nec Ecclesiæ nomine facta censetur, quia ille nondum ab Ecclesia ut minister esset deputatus.

Quo præcise tempore initium habuerit hæc obligatio, ignoramus; sed procul dubio antiquissima est, et Ordini sacro strictissime annexa.

Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri Ecclesiæ orientalis nulla lege expressa, nullo canone aut Concilii decreto ad divini Officii recitationem adiguntur; attamen apud eos invaluit consuetudo illud Officium recitandi. Benedict. XIV, Constit, *Eo quamvis tempore*, § 44.

Beneficiarius autem eo ipso die, quo possessionem adeptus est, tenetur ad Officium divinum, sive totum ea die dicendum sit, ut nonnulli putant, sive tantum pars illa quæ respondet residuo tempori, quo cœpit obligatio.

II. — *De gravitate obligationis integre recitandi divinum Officium.*

25. — *Quæritur* 1° quomodo peccet qui totum Officium vel aliquam ejus partem omittit?

Resp. 1° Graviter peccant, qui *totum* Officium absque legitima causa omittunt. Hoc enim præceptum est de materia gravi, ex omnium sensu. Poterit autem gravior vel minus gravis esse culpa in eo, qui pluribus vel paucioribus

titulis ad hoc pensum solvendum obligatus fuerit, si cætera paria sint; plures enim tituli obligationem multiplicant, et ideo aggravant transgressionem.

2° Peccant etiam graviter, qui divini officii partem *notabilem* omittunt absque legitima causa; pars enim notabilis est materia gravis judicio prudentum. Porro, juxta omnes, quæcumque ex septem Horis etiam minima, ut tertia aut Completorium, vel pars quæ æquivaleat minimæ Horæ, ut unus nocturnus, est pars notabilis et sufficiens ad lethalem culpam. Talis enim omissio est notabilis mutilatio divini Officii.

Imo quidam asserunt cum Navarro peccare mortaliter eum qui tertiam partem Horæ parvæ omiserit. Sed hoc nimis rigorosum videtur Theologis plerisque, qui sentiunt illam omissionem non excedere venialem culpam. Licet enim illa omissio sit notabilis respectu Horæ parvæ, levis est tamen in se seu respectu totius Officii, ad quod respiciendum est ut materiæ gravitas determinetur.

Unde probabilius grave non est omittere Vesperas in Sabbato sancto, quia materia levis est tum in se, tum respectu totius Officii. Quidam tamen putant hanc materiam esse gravem respectu significationis specialis, quam singulæ Horæ habere videntur.

An autem tot peccata mortalia quot sunt Horæ, vel unum tantum septem æquivalens committat, qui totum omittit Officium, controvertitur. Hæc controversia in praxi parum interest; siquidem apud Deum, cæteris paribus, ex parte voluntatis non minus peccat, nec minorem pœnam meretur, qui omittit totum Officium, sive dicatur semel pecasse, sive septies. Probabile est tamen in confessione explicandum esse quot Horæ sint omissæ, eo quod sit circumstantia tenens se ex parte objecti, et constituens actum in ratione sua individuali. Ita Lessius, Suarez, S. Ligor. lib. 4, n. 148 »[1].

1. Orationes *Aperi Domine* et *Sacrosanctæ* ad integritatem officii non pertinent. Ut obtineatur indulgentia, oratio *Sacrosanctæ* et Antiphonæ B. Virginis, excepta *Regina Cœli*, genibus flexis recitandæ sunt.

Nocturnus etiam seu pœnitentia, ut vulgo dicitur, ab Episcopo in fine ordina-

3° Beneficiarius culpabiliter Officium omittens, ad fructuum restitutionem tenetur. Beneficii enim reditus non dantur Clerico, nisi ut omnia munia huic beneficio annexa persolvat; et ideo suos non facit reditus beneficii, qui sine causa omittit divinum Officium. Idem aliunde constat ex Conc. Later. V, Pio V, Bulla 135.

Qui vero ratione beneficii obligatur ad alia officia præter Horas canonicas, v. g., Parochus, qui populum sibi commissum docere debet, et sacramenta ministrare, tenetur tantum restituere partem fructuum Horis canonicis respondentem. Similiter, qui alia omittit Officia, sed Horas canonicas persolvit, non potest etiam omnes beneficii fructus percipere.

Si pars omissa materiam gravem non constituat, commune est nullam deberi restitutionem, ne sub veniali quidem, etiamsi fructus parti illi respondentes ad magnam quantitatem pertineant.

Attamen restitutio fructuum non debetur nisi elapsis sex mensibus ab adepta beneficii possessione; ita ut, qui primis sex mensibus Officium omittit, peccat quidem graviter contra religionem, non vero contra justitiam, nec tenetur restituere. Ita ex Conc. Later. V.

26. — *Quæritur* 2° an obligatoria sit, et quidem sub gravi, recitatio *Officii defunctorum* in die commemorationis omnium defunctorum, *Litaniarum* in die S. Marci et triduo Rogationum?

Resp. Affirmative. Et quidem hoc certum est pro Officio defunctorum, seu vesperis, Matutino et Laudibus. Hoc Officium pridie anticipari potest.

tionis imposita, ad Officium divinum non pertinet, nec sub peccato obligat, quia Episcopus præceptum rigorosum non imponit, ait Collet. Alii probabilius censent hujusmodi omissionem non vacare a culpa veniali.

Cæterum in quonam consistat illa pœnitentia, sic determinatur in declar. S. Congreg. Rit. 11 Aug. 1860 : « Verba Pontificalis Rom. *Nocturnum talis diei* intellige de unico Nocturno in feriali, vel de primo Dominicæ, ut in Psalterio, id est, duodecim Psalmorum cum suis Antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit quam quod verba Pontificalis referunt, dicendum est Nocturnum qui feriæ respondeat illi diei, in quo facta est ordinatio. »

Idem dicendum est de Litaniis, ex communiori sententia. Nam, ex una parte, materia est per se gravis, et, ex altera, ubique viget consuetudo Litanias recitandi illis diebus. Sed etiam in Rubrica, post Fer. 2 Dom. 5. post Pascha, dicitur : « Qui non intersunt processioni Litaniarum, *dicant* illas privatim post Matutinum, cum precibus suis et orationibus : » atqui verbum *dicant* importat grave præceptum, quando materia in se gravis est.

Quæ Litaniæ non possunt pridie recitari ; quia ex præfata rubrica, recitantur loco assistentiæ processioni : processio autem diebus naturalibus est affixa, ex declaratione S. Congreg. Rit. 15 junii 1776.

Alii sentiunt nullibi adesse de illa recitatione præcisum præceptum obligans sub gravi ; et hanc sententiam improbabilem dicere non audet S. Ligor., n. 161. Notare juvat *Litaniam* esse a voce græca λιτανεία, quæ indicat *orationem ardentem.*

27. — *Quæritur* 3° an, qui *dubitat* utrum omiserit aliquid in Officio, teneatur id recitare?

Resp. Distinguendum est : si dubium sit mere negativum, ita ut pro adimpletione præcepti nulla stet ratio, Officium recitare tenetur; si vero positivum sit dubium, eo sensu quod ex sufficienti ratione judicet probabiliter Officium recitasse, repetere non tenetur. Ita communiter.

Iaque bene excusatur a repetendo Officio, qui non meminit se dixisse aliquid; et habet justam conjecturam credendi quod dixerit, v. g., si quis recordetur se incepisse Psalmum, Lectionem, vel Horam, et postea distractus veniat ad finem Psalmi, lectionis, vel Horæ, quin recordetur an totum recitaverit, non tenetur repetere. Tunc enim judicandum est ex communiter contingentibus : porro quisque solet integre recitare ea, quorum recitationem incepit; ergo, etc. Idem dicendum est, si quis devenerit ad aliquam Horam, v. g., Nonam, et dubitet utrum præcedentem recitaverit. Nemo enim ordinarie recitat Horam posteriorem, nisi priorem præmiserit. S. Ligor., lib. 4, n. 150.

III. — *De Breviario quo utendum est.*

28. — *Quæritur*, scilicet, quonam Breviario, ex jure communi, utendum sit in recitatione divini Officii?

Resp. Ex jure communi, utendum est solo Breviario

Romano a Pio V reformato, ut constat ex Bulla *Quod a nobis*, in qua dicitur suo muneri non satisfacturos, qui alio Breviario utentur. Ex eadem Bulla excipiuntur Ecclesiæ, quæ tempore promulgationis illius Bullæ, aliud Breviarium a ducentis annis possidebant.

Hoc tamen locale Breviarium in Romanum commutare possunt illæ Ecclesiæ, et, hac commutatione semel facta, jam illæ Ecclesiæ ad pristinum et peculiare Breviarium amplius redire non possunt, ex declarat. S. Cong. Rit., 15 mart. 1608. Pariter eædem Ecclesiæ suum privilegium amiserunt, si quævis additamenta aut immutationes in sua Liturgia fecerunt; nec secularis consuetudo illas immutationes legitimas reddere potuit. Constat ex decisione S. Cong. Rit., 28 aug. 1856.

Unde, ob hujusmodi immutationes, omnia particularia Breviaria in Galliæ Ecclesiis usurpata, in se illegitima evaserunt. Cum vero Episcopi cunctas difficultates statim de medio tollere nequeant, potuerunt privati Sacerdotes Breviarium diœceseos interim recitare, ut ait Gousset, n. 698.

Tandem Clerici ad Breviarium obligati, tenentur uti Proprio Diœceseos, quando fuit a S. Congr. Rit. recognitum et approbatum; quia, etsi concessio hæc officiorum propriorum habeat rationem privilegii, tenentur omnes uti privilegio toti communitati concesso[1].

IV. — *De Officio quod recitandum est.*

29. — *Quæritur quale* recitandum sit Officium?

Resp. Unusquisque recitare tenetur Officium currentis diei juxta rubricas determinatum. Rubrica enim in hoc casu est præceptiva, ex omnium consensu.

30. — Hinc 1° qui *scienter* et absque rationabili causa *aliud* Officium *æquale* pro diei Officio recitat, peccat quidem, sed venialiter tantum, cum satisfaciat obligationi quoad substantiam. Ecclesia enim in assignanda Officii

1. Ex decis. S. Congr. Rit. 20 mart. 1869, non sunt inquietandi clerici utentes Breviariis, quæ separatis foliolis constant, dummodo hæ partes avulsæ a Breviario unitæ asserventur. *Analecta*, 1879, p. 1017.

forma specifica, respicit potius ad quantitatem tanquam ad formam substantialem, quam ad ejusdem Officii qualitatem. Ita Suarez, Bonacina, Sanchez, Scavini.

Plures tamen exigunt, ut hæc mutatio raro fiat, v. g., ter vel quater in anno. Nam, licet quælibet variatio seorsim sumpta, sit venialis ratione parvitatis materiæ, omnes tamen intra annum coalescunt, et graviter perturbant ordinem Breviarii præcepti pro totius anni Officiis, quæ simul sumptæ unum complexum faciunt. Ita Layman, Sporer, Elbel, S. Ligor., n. 161, quæst. 3.

Qui vero *scienter* et *absque causa* aliud Officium *notabiliter brevius recitat*, ita ut differentia uni nocturno aut Completorio æquivaleat, probabilius graviter peccat; quia tunc obligationis substantiæ non satisfacit. Hoc colligitur ex natura rei, et hac propositione ab Alex. VIII damnata : *In die Palmarum, recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Proinde sufficiens compensatio fieri debet, recitando vel ea quæ sunt Officio diei currentis propria, vel Psalmos quantitati omissæ æquivalentes.

Excusatur autem ab omni culpa, juxta quosdam, qui Officium diei currentis in aliud etiam notabiliter brevius aliquando mutat, causa studii, itineris, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis, specialis devotionis erga aliquem Sanctum. Vide S. Ligor. *ibid.*

Similiter simplex Clericus non beneficiarius, qui causa itineris, studii, vel aliis causis extra diœcesim versatur, se conformare potest Officio loci, ubi moratur; Beneficiarius autem, qui in iisdem circumstantiis versatur, tenetur semper ad propriæ ecclesiæ Officium, ex decisione S. Congreg. Rit. 12 nov. 1831.

31. — Hinc 2° qui *nescienter* seu ex errore et inadvertentia, etsi non invincibili, unum Officium pro alio recitavit, præcepto satisfecit. Non præsumitur enim Ecclesiam velle aliquem bis in die ad tale onus obligari; et in hoc casu pro axiomate habetur vulgare illud : *Officium pro Officio.*

Nulla proinde tunc superest obligatio aliud Officium recitandi. Attamen consilii est subjungere propria Officii

omissi. Præterea, si Officium persolutum sit notabiliter brevius, v. g., si Officium sancti pro Officio Dominicæ sit recitatum, fieri debet aliqua compensatio, recitando novem Psalmos in primo Nocturno. S. Ligor, n. 161.

Officium autem jam ex errore recitatum, iterum est recitandum die qua occurrit. Nam Ecclesia tunc solum præscribit Officium transferri, quando est impedimentum propter dominicam vel Officium majus; aliunde adest obligatio se conformandi cum ritu communi Ecclesiæ. Hoc moraliter certum est ex decreto S. Congreg. Rit. 17 jun. 1673.

Demum, qui ex errore recitavit aliquam tantum partem Officii debiti, et ad errorem advertit, potest vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio debito, finito Psalmo, vel oratione inchoata. Melius est tamen recitare de proprio, ne errorem prosequaris, juxta hanc regulam a multis statutam : *Error corrigitur, ubi deprehenditur* [1].

III

De modo recitandi divinum Officium.

Tria ad divini Officii recitationem necessaria esse possunt, scilicet, prolatio verborum, intentio et attentio. Pro-

1. Ex decreto Leonis XIII, 28 jul. 1882, « festa duplicia minora (exceptis illis sanctorum Ecclesiæ doctorum) et festa semiduplicia, si occursu Dominicæ vel majoris festi seu officii quomodocunque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utriusque vesperis et Laudibus commemoratio cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen eo die fieri possint; secus, hujusmodi festa eo anno penitus omittuntur. » Dominicæ autem, de quibus in illo decreto agitur, et quæ dicuntur privilegiatæ, sunt quatuor dominicæ tempore Adventus, et novem dominicæ a Septuagesima ad diem Paschæ.

Sed etiam, ex decreto 5 jul. 1883, conceditur tam capitulis et ecclesiasticorum communitatibus, quam singulis de utroque clero, ut persolvant officia votiva per annum loco officiorum ferialium, præterquam in feriis quarta cinerum, toto tempore Passionis, ac sacri Adventus a die 17 ad 24 decembris inclusive. Quoad choralem recitationem, de sensu Capituli seu communitatis ab Ordinario semel pro semper approbando; quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de clero.

Officia autem hujusmodi votiva per annum, missis votivis in missali romano positis fere respondentia, hæc pro singulis hebdomadæ diebus assignantur, nimirum : pro feria 2, de Angelis; feria 3, de SS. Apostolis; feria 4, de S. Joseph, sponso B. M. Virginis, catholicæ Ecclesiæ Patrono; feria 5, de SS. Eucharistiæ Sacramento; feria 6, de Passione D. N. Jesu Christi; sabbato, de Immaculata B. M. Virginis Conceptione. Officia ipsa a S. Congr. Rit. edenda jam fuere edita.

latio verborum spectat concursum corporis; intentio, concursum intellectus. Itaque

I. — *De prolatione verborum.*

Quatuor includit verborum prolatio, nempe modum pronuntiandi, tempus, ordinem et situm quo pronuntiari debent verba divini Officii.

32. — *Quæritur* 1° *an* et *quænam* requiratur *pronuntiatio* in recitatione divini Officii?

Resp. Divinum Officium recitari debet pronuntiatione *vocali, integra* et *continuata.*

Et quidem 1° *vocali.* De necessitate hujus orationis et de substantia præcepti est, ut *voce sensibili* proferatur. Constat ex lege Ecclesiæ, vi cujus illa oratio publica fieri debet non solum corde, sed etiam voce. Revera Ecclesia, cum sit corpus mysticum sensibile, non potest præcipere actus mere internos, ut communiter sentiunt Theologi, nec convenienter orare per suos ministros, nisi isti aliquo signo sensibili orationem Ecclesiæ exprimant. Unde præcepto non satisfacit, qui, sola mente legit, aut tantum oculis pervolvit Officium. Vide Suarez, *de Hor. Can.*, c. 7.

Ad hujusmodi vocem sensibilem probabilius non requiritur quod recitans se audiat; sed sufficit quod per linguam et labia fiat aeris compressio, ex qua necessario aliqualis sonitus, licet modicus et vix sensibilis, formetur; ita ut recitans sentiat se verba pronuntiare. Ita Layman, Sylvius, Sporer, Salmant., Tournely, S. Ligor., n. 163, contra Suarez et alios, qui ad orationem vocalem exigunt quod orans seipsum audiat. Præceptum enim obligat ad dicendum, non ad audiendum Horas. Aliunde oratio potest ore et voce fieri, quin audiatur ab ipso orante.

2° *Integra*, id est, non solum recitari debet totum Officium, sed etiam pronuntiari absque syncope et abbreviatione verborum et syllabarum, et sine nimia celeritate. Unde, si mutilatio syllabarum sit in tali quantitate, ut sensus verborum notabiliter varietur, et quantitas gravis sit in ordine ad ipsum Officium, peccatum est mortale; atque

manet obligatio repetendi partem, in qua sensus fuit corruptus. Peccatum autem veniale est, si corrumpantur verba in parva quantitate; imo nullo modo peccat, qui id agit ob inadvertentiam, vel balbutiem, vel inveteratam consuetudinem, quam studet emendare, vel quæ difficulter vinci potest.

Si recitetur Officium cum socio vel choro, requiritur et sufficit ad obligationi satisfaciendum, 1. ut recitatio fiat alternis versibus; et, si plures quam duo recitent Officium simul, debent, facto duplici tantum choro, alternatim recitare, quia sic habet usus et praxis Ecclesiæ : 2. ut dicantur successive, nec unus resumat, antequam alter suum versiculum expleverit; et si notabilis esset anticipatio, iteranda foret recitatio; 3. ut, quæ ab uno dicuntur, ab aliis audiantur, sicque communicent, et fiat moraliter una oratio; nec ideo necesse est, ut audientes submissa voce partem aliorum pronuntient.

Satisfacit etiam, qui alternatim recitat Officium cum laico aut alio non obligato, aut cum distracto vel non attento. Hæc enim non impediunt quominus ille recitet Horas juxta morem Ecclesiæ; defectusque obligationis aut attentionis ex parte unius, alterius recitationem non immutat, nec vitiat.

Probabiliter satisfaciunt Choro, qui submisse recitant Psalmos, alteram partem audiendo. Non enim requiritur ut recitantes in uno choro audiant voces omnium recitantium in altero; nec proinde adest obligatio pro omnibus alta voce recitandi. Secus tamen dicendum est de Canonicis, qui, si non canant, amittunt tam distributiones, quam fructus præbendæ.

Imo sive Officium recitetur privatim cum socio, sive cum choro, qui non satis auribus percepit, probabiliter excusatur a repetendo, si id contingat propter strepitum alienum, vel propter culpam chori aut socii. Recitans enim cum socio aut choro, per illam ipsam societatem et suam applicationem, censetur moraliter communicare cum eo in oratione, cum intendant Deo exhibere omnes laudes et preces, quas socius aut chorus profert. Ita Elbel, Roncaglia, Salmant., Scavini,

3° *Continuata* unius Horæ esse debet pronuntiatio, ita ut notabilis interruptio intra unam Horam, v. g., inter duos psalmos, sine causa, sit peccatum, sed veniale tantum. Nam, ex una parte, unitas ab Ecclesia præscripta rumpitur; ex altera vero, substantia præcepti nihilominus observatur, sicque in hac materia deficit gravitas. Insuper, etiamsi in eadem Hora vel psalmo magna fiat interruptio, probabilius tota hora non est sub gravi repetenda : quia singuli psalmi et singuli versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi, vel per ipsam recitationem adjunctam.

Quælibet autem causa rationabilis sufficit ad Horam quamcumque interrumpendam, v. g., quælibet utilitas propria aut aliena, quæ incommode differretur, ratio urbanitatis aut caritatis; ratio exsequendi mandata superioris; confessio excipienda, quando pœnitens libenter non exspectaret; ratio tollendi distractionem aut sollicitudinem, aliquid agendo, vel adnotando, ne obliviscaris : modo tamen hoc non fiat frequenter, alioquin aliqua adesset irreverentia.

Licite etiam potest interjici aliqua brevis oratio, aut pius cordis affectus inter orandum, modo in istis, meditandi causa, diutius et frequenter non immoretur, ne ratio recitationis seu vocalis orationis non satis servetur. S. Ligor., n. 168.

33. — *Quæritur* 2° *quonam tempore* recitari debeant Horæ canonicæ?

Resp. Ad vitandum mortale peccatum sufficit, quod omnes Horæ dicantur a media nocte ad mediam noctem sequentem. Satisfacit enim quoad substantiam præcepti, qui totum Officium in die naturali recitat. Imo, ex privilegio ab Ecclesia concesso, Matutinum et Laudes pridie post meridiem recitari possunt, ut statim dicetur.

Qui ante tempus consuetudine aut privilegio fixum, Officium recitare inciperet, probabiliter non satisfaceret, quia obligatio est diei annexa. Similiter, post mediam noctem diei, cui annexum est Officium, procul dubio non po-

test quis satisfacere; nec amplius illud Officium recitare tenetur.

Quibusdam videtur ne venialiter quidem peccare, qui, absque ulla speciali causa, sed ex sola voluntate non servat tempus pro unaquaque Hora determinatum, modo Officium integrum recitet ante mediam noctem diei, cui annexum est, etsi tamen consultius et melius sit tempus Horarum servare. Nullum enim datur jus scriptum, quod aliud præcipiat; atque consuetudini contrariæ, si quando fuit, videtur derogatum, quum fere omnes sine ullo scrupulo pro sua commoditate Horas dicant.

Alii vero censent adesse culpam venialem, si id fiat absque ulla causa : contraria est enim communis praxis; aliunde talis dilatio ex sola negligentia sæpe nascitur, atque periculo exponit vel omittendi aliquid, vel saltem male orandi nimia celeritate. Vide Suarez, *de Hor. Can.*, c. 27.

34. — In hac autem sententia, tempus pro unaquaque Hora, ut vitetur omne peccatum etiam veniale, sic determinatur :

1. *Matutinum* et *Laudes* valide et licite privatim recitari possunt a tempore apto ad vesperarum recitationem in choro, ut aiunt S. Th., *Quodlib.* 5, a. 28, Suarez, *de Hor. Can.*, lib. 4, c. 27, n. 13, et alii communiter canonistæ. Porro vesperarum recitatio in choro fuit, ex consuetudine, *sero* seu post solis occasum, tempore S. Thomæ; postea vero hora, qua sol medium tenet inter meridiem et occasum, uti refert Suarez pro suo tempore; vel etiam hora secunda post meridiem, ut contendunt Sanchez, Diana, Salmant., et alii, saltem in multis locis sua etiam ætate; nostris revera temporibus sat communiter vesperæ in choro dicuntur hora secunda post meridiem; et talis esse videtur communis praxis in Gallia; ergo in iisdem locis Matutinum et Laudes privatim valide et licite recitari possunt hora secunda post meridiem. Aliunde, hujusmodi consuetudo plane favorabilis est; ubi enim agitur de oratione, per se melius est tempus prævenire. quam ulterius differre. Sæpe in hac materia dantur Indulta, vel ad tollendos scrupulos

et dubia, quæ ex opinionum varietate consequuntur, vel ad licentiam ex mero privilegio concedendam, quando constat præfatam consuetudinem in tali vel tali loco non vigere.

An teneatur Sacerdos recitare Matutinum et Laudes *ante Missam celebrandam?*

Resp. Jam ante seculum decimum tertium viguit consuetudo generalis recitandi Matutinum et Laudes ante Missæ celebrationem. A seculo autem decimo tertio usque ad decimum sextum, illa consuetudo sancita fuit a multis synodis provincialibus aut diœcesanis, atque per eadem secula sat communiter Theologi et Canonistæ contenderunt præfatam consuetudinem obligare et quidem sub gravi. Triplici præsertim ratione innitebantur, nempe, 1. præfata consuetudo, cum sit universalis et in materia gravi, per se obligat et quidem sub gravi; 2. idem præscribitur in Rubricis Missalis a Pio V editi, sect. 2, tit. 15; sect. 3, tit. 1; sect. 5, tit. 10; — 3. divini officii recitatio est præparatio ad Missam ob coordinationem inter utrumque.

A seculo autem decimo sexto, plures Theologi, inter quos Sylvester, Dominicus Soto, Toletus, Valentia, contenderunt præfatam obligationem non esse gravem. Imo ipse Suarez nullam in hoc adesse obligationem propugnavit. Siquidem 1. allata consuetudo non inducit præceptum, cum ad hoc deficiant ratio et ex parte Ecclesiæ intentio; 2, rubricæ Missalis in hac materia non sunt præceptivæ, sed solum indicant quod fieri solet et expedit; 3. tandem recitatio divini Officii per se non est instituta ut sit præparatio ad Missam, sed propter se præcipitur ad publicam orationem in Ecclesia faciendam. Aliunde aliis modis potest animus convenienter ad Missam preparari. Ergo probabilius nullum existit præceptum ex jure nec consuetudine ad recitandum Matutinum et Laudes ante Missam. Non excusabitur tamen quis a culpa veniali, si irrationabiliter et sine causa nimium postponat matutinum Officium. Ita Suarez, 3 p., q. 83, disput. 83, § 1; *de Oratione*, lib. 4, c. 24. Recentioribus temporibus omnes synodales præscriptiones circa hoc punctum obsoletæ sunt, atque Sua-

rezii sententia communior evasit. Vide *Revue des Scienc. eccl.*, 1880, p. 103.

Cæterum quælibet causa rationalis excusat ab illa obligatione, v. g., si dans honorarium, postulet ut statim celebretur; si expectet populus aut aliqua persona gravis; si superior præcipiat; si tempus celebrandi advenerit, nec possit differri sine aliquo incommodo; si instet commoditas studii, itineris; si aliquod negotium inexspectatum supervenerit; si pœnitens ante fuerit audiendus, et similia. S. Ligor. lib. 6, n. 347.

Laudes a Matutino separare licet ex antiqua consuetudine; et tunc Matutinum concluditur per respectivam orationem *Dominus vobiscum*, etc., *Fidelium animæ*, etc., *Pater noster*, etc. S. Congr. 7 febr. 1887; S. Ligor., lib. 4, n. 107. Imo ipsi Nocturni possunt probabiliter licite inter se separari per spatium trium horarum, vel amplius si adsit causa; neque tunc adest obligatio recitandi *Pater noster* in principio et in fine Nocturni.

Qui prævidet impedimentum pro recitatione Officii in ipsa die obligationis, non ideo tenetur Matutinum et Laudes dicere in vespere vigiliæ. Obligatio enim stricta non urget ante mediam noctem sequentem.

2. Duæ Horæ, Prima et Tertia, recitandæ sunt ante meridiem, nisi adsit aliqua honesta causa illas post meridiem remittendi : duæ aliæ, Sexta et Nona, toto tempore tum matutino, tum vespertino; sed etiam omnes illæ Horæ probabilius dici possunt absque ulla causa etiam ante auroram, seu a media nocte. Ita Sætler, S. Ligor. *Hom. Apost.*, t. 3, *Append.* 3, n. 74.

3. Vesperæ et Completorium a meridie usque ad mediam noctem recitantur. In Quadragesima, a prima Dominica, Vesperas ante prandium dicere licet, in memoriam antiquæ disciplinæ, juxta quam jejunium ante solis occasum et Vesperarum recitationem non frangebatur. Vide Tract. de *Præcept. Eccl.*, n. 26. Die tamen Dominica Vesperæ anticipari non possunt, quia jejunium hac die non servatur.

Hora autem qua, tempore Quadragesimæ, mane incipi

potest Vesperarum recitatio, eadem est, ac hora, qua in choro recitari solent; et hæc a consuetudine locorum pendet.

35. — Generatim convenit ut Horarum recitatio anticipetur. Nam « *ante* horam orare *providentiæ* est; *post* horam, *negligentiæ; in* hora, *obedientiæ*, » ut ait Hugo a S. Victore. Quare Patres societatis Jesu et Fratres Minores apostolica indulta obtinuerunt, vi quorum Vesperas mane recitare possunt, ratione itineris vel alicujus honestæ occupationis.

Cæterum, ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus Horarum, sufficit quævis causa honesta. v. g., concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis sive laboris, major devotio, sive quies, tempus aptius ad studendum, et simile. S. Ligor. lib. 4, n. 173.

Quoad autem horologium quod sequendum est, vide Tract. de *Præceptis Ecclesiæ*, n. 26.

36. — *Quæritur* 2° *quonam ordine* recitandæ sint Horæ Canonicæ?

Resp. Eo ordine recitandæ sunt, quo exponitur in Breviario, id est, Matutinum ante Laudes, Laudes ante Primam, etc. Inversio illius ordinis, in recitatione privata, absque justa causa et secluso contemptu, nunquam excedit veniale peccatum; nam ordo ille non cadit sub præcepto nisi secundario et tanquam circumstantia minoris momenti. Idem verum est de inversione Horarum in recitatione publica, juxta probabiliorem sententiam.

Quælibet autem rationabilis causa ordinem Horarum invertendi excusat ab omni culpa. Unde 1. qui ab amico invitatur ad aliquam Horam cum ipso recitandam, consentire potest, etsi ipse Horam aut Horas præcedentes nondum recitaverit. 2. Qui mane Breviario caret, nec commode exspectare potest, ei licet memoriter vel ope diurnalis recitare Horas diurnas ante Matutinum; item, et Psalmos nocturnos et Laudes, imo et reliqua ante Lectiones. 3. Si quis veniat ad chorum Hora jam incepta, potest pergere

cum aliis canendo, et postea quæ omissa sunt, supplere, cum item, si veniat ad chorum una Hora jam absoluta, potest choro posteriorem cantare, et postea supplere priorem; et idem dicendum est, ubi agitur de Psalmodia alternis vocibus et in communi, ut fit in Seminario. 4. Iisdem causis Matutinum diei sequentis dici potest ante absolutum Officium diei præcedentis.

Nec etiam peccat, qui non recitat commemorationes juxta ordinem per Rubricam assignatum. Hæc enim Rubrica, sicut illæ quæ respiciunt situm corporis, vel signa crucis, extra chorum est mere directiva, non vero præceptiva. Idem verum est de ordine servando inter commemorationes in Missa, juxta plures contra alios.

37. — *Quæritur* 4° quonam *loco* et *situ* recitari debeat Officium?

Resp. 1. Officium privatim recitandum, dici potest in omni loco decenti, sive in oratorio, sive domi, sive rure, sive in via deambulando, sive iter agendo, modo locus attentioni et devotioni requisitis congruus sit. Imo per se non est peccatum recitare Breviarium in loco indecenti, nisi locus attentioni debitæ obesset, v. g., ob populi frequentiam, strepitum. Sicut enim quisque orare potest in loco indecenti, ita et Officium recitare juxta illud : *Volo viros in omni loco orare*, I Tim. 2, v. 8; S. Ligor., lib. 4, n. 179. Officium autem chori in choro vel in ecclesia recitari debet.

2. Similiter in omni *situ* decenti privatim recitari potest Officium, sive stando, sive deambulando, sive genibus flexis, sive in curru, sive in equo. Id enim obtinuit generalis etiam piorum consuetudo.

Licet etiam recitare Officium decumbendo in lecto ob quamcumque honestam causam, v. g., ob morbum aut infirmitatem quamlibet, ob dolorem capitis, defatigationem, vel si quis nocte dormire nequeat.

Tandem extra chorum nulla est culpa non servare Rubricam, ex qua preces quædam genibus flexis sunt recitandæ, licet hoc laudabiliter fiat. In choro autem hæc Rubrica, sicut ea quæ spectat signa crucis et alia signa in

choro usitata, est sub veniali præceptiva, juxta quosdam; directiva tantum, juxta alios, ita ut in hoc potius peccetur ratione scandali, quam omissione. S. Ligor. lib. 4. n. 179.

II. — *De intentione.*

38. — *Quæritur* 1° an et qualis requiratur intentio ad divini Officii recitationem.

Resp. 1° Intentio in genere est actus, quo voluntas finem aliquem apprehendit, et sine quo nullus est actus vere moralis et meritorius, ex dictis in Tract. *de Act. hum.*, n. 53 : atqui oratio est actus moralis, ex se idoneus ad merendum, et ad moraliter excitandum eum, ad quem dirigitur; ergo, sine intentione pronuntiandi uti orationis formulam verba divini Officii, horum verborum prolatio esse nequit actus moralis in genere orationis, nec ideo oratio.

Revera oratio est locutio cum Deo; porro non loquitur cum Deo, qui verba, quæ de Deo profert, ad Deum ipsum per suam intentionem non dirigit; sicut inter homines non loquitur unus cum alio, nisi per voluntatem ordinet ad alterum cogitationem suam, vel hujus signum. Unde præcepto non satisfacit, qui studii aut recreationis causa, legit Psalmos, vel sanctorum homilias, vel totum Officium.

Sufficit autem virtualis intentio, seu quæ fuit actu elicita et virtualiter perseverat : porro hujusmodi intentionem habet, qui apprehendit Breviarium, ut ope hujus formulæ Deum oret, et vi illius voluntatis in Breviarii recitatione perseverat.

Nec necessaria est intentio implendi præceptum recitandi Officium, sed sufficit ut recitetur Officium cum intentione orandi. Unde qui, recitando Officium, intra se diceret : *Satisfacere non intendo, sed hanc Horam postea repetere mihi propono;* nihilominus præcepto satisfaceret, cum perficeret opus externum, quod cadit sub præcepto. Ita plerique contra paucos, inter quos Collet. Vide S. Ligor. lib. 4, n. 176.

39. — *Quæritur* 2° an mortaliter peccet, qui recitat Horas, dum conscius est peccati mortalis?

Resp. Controvertitur. Alii dicunt peccare mortaliter, et tamen satisfacere præcepto; ita Sanchez. Alii sentiunt, recitantem pie orare et satisfacere præcepto si habeat desiderium exeundi a peccato; si vero habeat actuale propositum peccandi, dubium esse an vere oret et præcepto satisfaciat; ita Collet. Alii tandem communius et verius putant, quod ille non peccat mortaliter, sed præcepto satisfacit. Nam, ex una parte, recitatio Officii non est actus Ordinis sacri, quamvis imponatur constitutis in sacris; et, ex alia, licet ille nihil sibi impetret, cum tamen oret nomine Ecclesiæ, sicque suppleat Ecclesia, pro aliis bene potest obtinere. Ita S. Ligor. lib. 4, n. 178.

III. — *De attentione.*

40. — *Quæritur* 1° quid et quotuplex sit attentio in recitatione divini Officii?

Resp. 1° Attentio, de qua hic agitur, est mentis applicatio ad orationem, quæ exterius profertur, vel ad objectum seu materiam circa quam versatur.

2° Duplex est attentio in genere, *externa* et *interna*. Prior ea est, quæ excludit omnem actionem externam cum recitatione physice incompossibilem, ut esset confabulari, pingere, scribere sibi celeriter vestes accommodare, magna animi attentione aliquid diversum agere. Posterior vero consistit in interiori applicatione mentis ad recitationem.

Hæc interna attentio triplex esse potest, nempe, *spiritualis* seu mystica, qua mens ad Deum ipsum elevatur meditando, v. g., Dei attributa, vel passionis Christi mysteria, vel gesta B. Virginis aut sanctorum; *litteralis*, quæ est ad sensum litteralem verborum et rerum significationem; *superficialis* seu materialis, quæ est tantum ad materialia verba, ut recte et integre dicantur, ne error fiat mutilando, transponendo, etc.

41. — *Quæritur* 2° an et quænam requiratur attentio in recitatione divini Officii?

Resp. 1. Certum est ad validam Officii recitationem requiri attentionem saltem *externam*. Etenim ad recitationem

Officii necessaria est orandi intentio virtualiter perseverans, ex dictis n. 38 : atqui hanc intentionem revocat, qui actionem peragit cum ipsa recitatione Officii incompossibilem, ut est simul confabulari, pingere, scribere, etc. Revera, qui sic orat, labiis tantum Deum honorat, cor autem ejus in tali actu longe est a Deo.

Unde, qui *voluntarie* est distractus in recitandis Horis quoad notabilem partem, satisfacit quidem, nec tenetur partem sic dictam repetere, nec fructus beneficii pro illa Officii parte restituere, cum ipsa recitatio necessario implicet et voluntatem Officium recitandi, et attentionem quamdam ad illam recitationem per se necessariam; sed peccat venialiter, ratione irreverentiæ erga Deum et negligentiæ in opere tanti momenti pro Ecclesia.

Qui semiplene distractionibus consentit, vel eas cum aliquali negligentia repellit, substantialiter satisfacit, sed venialiter peccat. Cæterum voluntaria est distractio, non solum quando intenditur in se, sed etiam in causa, v. g., si quis advertat se distrahi, et per negligentiam non tollit distractionis causam; vel si immediate post ludum, potum, prandium, iræ motum, disputationem, recitet Officium, sciens per experientiam se in tali casu esse distractum.

2. An autem sufficiat externa attentio, an etiam requiratur aliqua attentio *interna*, controvertitur. Alii sentiunt sufficere externam attentionem cum intentione orandi, quæ semper supponitur, ex dictis n. 38 : ita Lugo, Layman, Croix, Elbel, Sporer, S. Antoninus, etc. Externa enim attentio cum intentione orandi sufficit, ut Horarum recitatio fiat quoad substantiam vera oratio; siquidem, qui involuntarie distrahitur, caret interna attentione, et tamen satisfacit præcepto et vere orat.

Alii vero docent requiri aliquam internam attentionem saltem virtualem, alioquin deficeret ipsa orandi intentio. Tunc enim desinit esse virtualis attentio interna, quando homo est voluntarie distractus, et ideo ab ipsa intentione orandi alienus; ita Sanchez, Cajet., Suarez, *de Hor. Can.*, c. 26, n. 13. Hæc sententia sic intellecta parum a præcedenti discrepare videtur, cum illa attentio virtualis eadem

sit ac externa attentio, quæ voluntariam distractionem excludit, utpote cum virtuali intentione orandi semper conjuncta, ex hypothesi.

Quidquid sit, juxta illos qui requirunt virtualem attentionem internam, quælibet certo sufficit, quia sive sit spiritualis, sive litteralis, sive superficialis, mens ad Deum elevatur, et fit vera oratio, etiamsi attentio esset tantum ad verba; et ideo satis est, si habeatur superficialis seu materialis attentio, qua nimirum quis curat recte omnia dicere cum virtuali intentione orandi. S. Ligor., n. 176. Unde intelligitur Moniales et nonnullos Religiosos linguam latinam ignorantes, nihilominus bene orare, Officium in lingua latina recitando.

Omnibus igitur ad Officium obligatis consulendum est, ut sub initio actualem habeant intentionem Deum laudandi, eamque identidem renovent. Si autem recitationem cum debita intentione inceperint, et postea se distrahi deprehendant, attentionem tranquille revocent, et absque interruptione pergant. Non est enim necessaria attentionis recordatio, atque velle attendere ad attentionem fons est distractionum.

Scrupulosi ab omni repetitione ob defectum attentionis requisitæ, omnino prohibendi sunt, alioquin mox intoleralibus torquerentur anxietatibus. Si quis, Officii occasione, graves revera pateretur anxietates, recitatio Officii ipsi interdicenda esset, donec illud sine tanto incommodo recitare posset. Lex enim positiva non obligat sub tanto incommodo. S. Ligor., n. 177.

42. — *Quæritur* 3° quænam sint *remedia* contra distractiones in recitatione Officii?

Resp. Illa remedia sunt negativa, vel positiva. 1. *Negativa* nituntur in substractione eorum, quæ distractionem excitant, v. g., impedire quominus occuli circumvagentur, a graviori hominum strepitu se subducere, ad alia negotia non properare, a mentali occupatione orationi extranea mentem abstrahere, etc.

2. *Positiva* consistunt in procurandis iis, quæ piam atten-

tionem per se excitant, v. g., sub initio elicere intentionem Deum laudandi, hanc renovare ad doxologiam *Gloria Patri,* vel in principio cujusque Psalmi; meminisse sæpius præsentiæ Dei; mysterium aliquod passionis sibi repræsentare, prout significatur per Horam quæ recitatur, n. 20; cum Psalmista gemere, sperare, gaudere, petere, laudare.

Alia est etiam methodus ex ipsa Officii natura defluens et efficaciter piæ attentioni favens. Scilicet, cum divinum Officium recitetur in nomine Ecclesiæ, recitans sese identificet cum cogitationibus et variis actibus Ecclesiæ in triplici statu vigentis, sic, v. g., in primo nocturno, contempletur perfectam adorationem ardentemque amorem Ecclesiæ triumphantis; in secundo nocturno, prospiciat audiatque Ecclesiam in Purgatorio patientem atque gementem; in tertio nocturno, circumspiciat Ecclesiam in terris militantem, periculis circumventam, gratiæ sitientem, et ad mediatorem Christum die nocteque confugientem; in Laudibus, audiat laudes omnis creaturæ erga Deum, eisque suas devote conjungat. Idem servetur ordo pro aliis Horis.

IV

De causis a divini Officii recitatione excusantibus.

Tres sunt causæ ab Officii recitatione excusantes, nempe, impotentia physica, impotentia moralis, legitima dispensatio.

43. — I. *Impotentia physica,* id est, infirmitas et privatio Breviarii. Etenim ad impossibile nemo tenetur; ergo a divini Officii recitatione excusatur, qui cæcus est, nec memoriter scit Officium recitare; qui est lingua paralyticus, ita ut pronuntiare non possit; qui gravi morbo laborat, v. g., febri, dolore intestinorum, vel capitis; qui caret Breviario, quia illud in itinere, in incendio, in naufragio, etc., perdidit, nec aliud sibi comparare potest, nec memoriter scit Officium recitare. Si propria culpa illud domi reliquerit aut perdiderit, au projecerit, graviter peccavit, et omissio Horarum ipsi imputanda est : si tamen sincere doleat, novum non admittit peccatum Horas tempore suo omittendo.

44. — II. *Impotentia moralis*, id est, grave incommodum aut magna ratione laboris difficultas extrinseca; ita ut applicari possit hoc axioma ab omnibus Theologis admissum : *Lex non obligat cum tanto incommodo.*

Unde excusantur 1. qui tali infirmitate gravantur, ut juste timeant, ne ex recitatione eis notabilis capitis gravedo, aut cruditas stomachi, aut virium lassitudo, aut febris proveniat; 2. qui convalescunt ex gravi morbo, saltem per aliquot dies, donec vires reficiantur, etiamsi jam Missam celebrarent: 3. qui tempore persecutionis timent, ne ex recitatione Breviarii prodantur; 4. qui tota die occupantur operibus caritatis vel officiis religionis, quæ sine scandalo ac gravi sui vel aliorum detrimento omitti vel differri nequeunt : sic excusantur a recitatione Horarum sive totaliter sive partialiter, qui ad ægrotos periclitantes vocantur, nec aliud tempus ad Officii obligationem persolvendam suppeditat; qui tota die occupantur in excipiendis confessionibus, quæ ob peculiares circumstantias differri non possunt, v. g., in fine missionis cum sint discessuri; vel qui concionem sine scandalo aut famæ detrimento omittere non possunt, nec tamen eam præparandi suppeteret tempus, si recitandum esset Officium, etc.

45. — *Nota* 1. *In dubio* an infirmitas sufficiat ad excusandum, necne, potest infirmus se committere judicio medici, vel superioris, qui in tali dubio etiam dispensare valet, ex statim dicendis; vel se remittere judicio probabili viri prudentis; vel etiam proprio stare judicio, si tale judicium ipsemet ferre possit.

2. Si infirmus dubitet an aliquam partem tantum Officii recitare valeat, probabiliter ad nihil tenetur, alioquin valde scrupulis angeretur, sicque ex tali anxietate notabile nocumentum pateretur.

3. Si quis impediatur a recitando integre Breviario, tenetur ad partem quam certo recitare potest. Obligatio enim Breviarii cadit in singulas ejus partes, cum res præcepta sit divisibilis. S. Ligorius tradit sequentem regulam : « Si potes recitare quantum est parva Hora, teneris sub gravi

id recitare; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars seorsim sumpta, non censetur æstimabilis ad finem a lege intentum; lib. 4, n. 158.

4. Si quis non valeat solus Horas recitare, et facile possit socium invenire et adhibere, ad hoc tenetur; quia tunc non adest impotentia proprie dicta, nec ad hoc supponitur diligentia extraordinaria. Ita communiter. Non tenetur autem, si socium invenire non possit, nisi stipendio soluto; quia hoc medium tunc evadit extraordinarium.

5. Tandem, qui non potest congruis horis Officio fungi, tenetur, nisi periculum adsit gravis incurrendi nocumenti, officium intra eamdem diem anteponere vel postponere, quia præceptum tota die urget.

46. — III. *Legitima dispensatio.* Obligatio divinum Officium recitandi, cum sit de jure ecclesiastico, a superioribus ecclesiasticis tolli potest. Scilicet, S. Pontifex illam dispensationem concedere potest valide in omni casu, etiam sine causa : licite autem ex causa rationabili, v. g., ob nimiam occupationem, ob scrupulos sedandos, etc.

Episcopus etiam potest in hac lege dispensare, seu tantum cum sufficienti causa, in aliquo casu particulari, et ad tempus, v. g., si dubitetur de impotentia morali, aut de gravitate detrimenti metuendi; vel difficilis sit recursus ad Papam; vel dispensatio petatur ob causam, quæ frequenter recurrit, ut ob infirmitatem; vel si petatur dispensatio ad breve tempus. Idem posse Vicarium generalem, si habeat speciale mandatum ab Episcopo, docent S. Ligor. et alii plures.

Demum superiores locales Regularium valide et licite, ob rationabilem causam, cum suis subditis dispensare possunt.

PUNCTUM II

De cœlibatu Clericorum.

Dicemus de Obligatione pro Clericis servandi perpetuam castitatem, et de mediis ad hujusmodi obligationem adimplendam.

I

De obligatione pro Clericis servandi perpetuam castitatem.

51. — Cœlibatus per se adversatur Scripturæ et antiquitati ecclesiasticæ, juxta hæreticos; juri naturali, juxta incredulos; bono reipublicæ et societatis, juxta pseudopoliticos[1]. Jam vero, in Tract. *de Matrim.*, n. 86, 90, *de Virtute castitatis*, n. 7, 9-11, 21, 22, Institut. canon. Tract. 6, n. 21-27, contra hæreticos et incredulos probatum est cœlibatum non adversari juri divino, nec naturali, sed e contra præstare matrimonio. Hic igitur probandum superest obligationem cœlibatus pro Clericis in se existere, nec ullo modo repugnare antiquitati aut bono societatum. Circa hanc quæstionem videre est opus a DD. Pavie exaratum, cui titulus : *Du Célibat ecclésiastique.*

PROPOSITIO

52. — *Clerici sacris initiati tenentur ad perpetuam continentiam, saltem in Ecclesia latina.* Certum est.

Prob. 1° *Traditione.* Equidem lex illa ad jus divinum non pertinet, sed est tantum ecclesiastica, cum in ea dispensare possit S. Pontifex. Quod autem eam Ecclesia statuerit constat exemplo Apostolorum, consuetudine perantiqua, decretis Ecclesiæ.

1. *Exemplo Apostolorum.* « Petrum *solum* invenio maritum per socrum; cæteros, cum maritos non invenio, aut *spadones* intelligam necesse est, aut *continentes;* » Tertull., *de Monog.* c. 8. — « Christus virgo, Maria virgo, utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; *Apostoli vel virgines*, vel *post nuptias continentes.* » S. Hierony., *Epist.* 48.

2. *Perantiqua consuetudine.* Contendunt enim eruditi S. Petrum Apostolum omnes prorsus Episcopos, Presbyteros et Diaconos legi continentiæ subjecisse saltem in Ecclesia

1. Horum doctrinas Pius IX in sua Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846, sic denuntiavit : « Huc (nempe in Fidei et Ecclesiæ destructionem) spectat *fœdissima* contra *sacrum Clericorum cœlibatum conspiratio*, quæ a nonnullis etiam, proh dolor ! ecclesiasticis viris fovetur, qui propriæ dignitatis misere obliti, se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deliniri patiuntur. »

Latina. Hoc innuit Tertull. *de Exhort. cast.*, c. 11; et sic expresse tradit. Conc. Carth. II. an. 300 : « Ita placuit et condecet sacrosanctos *Antistites* ac Dei *Sacerdotes*, nec non et *Levitas*, vel qui in Sacramentis divinis inserviunt, *continentes esse in omnibus*, ut *quod Apostoli docuerunt*, et *ipsa servavit antiquitas*, nos quoque custodiamus. » Revera nullum fas est in Ecclesia Latina invenire exemplum Episcopi, Presbyteri et etiam Diaconi, qui impune continentiam violaverit.

Sed et apud orientales cœlibatus aut continentia clericorum antiquissimo ab usque tempore, in ecclesiis præsertim, ubi disciplina episcoporum sedulitate florebat, religiose, servabatur. « Sancta Dei prædicatio in diaconum, presbyterum, episcopum et hypodiaconum non suscipit unius uxoris liberos adhuc gignentem, sed eum qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, maxime ubi sincere sunt canones ecclesiastici. At dices mihi omnino in quibusdam locis liberos adhuc gignere presbyteros, diaconos et hypodiaconos; at hoc non est juxta canonem, sed juxta mentem hominum. » Ita S. Epiphanius, *Hæres.* 59. — S. Hieronymus, qui ob diuturnam in oriente commorationem, illius Ecclesiæ mores et disciplinam perfectissime noverat, Vigilantio clericali continentiæ infensissimo, præter alia argumenta, factum opponit universalis Ecclesiæ : « Quid faciunt, inquit, Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti et Sedes Apostolica, quæ aut virgines clericos accipiunt aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt? Hæc denique universalis Ecclesiæ traditio, hi mores erant, ubi purior disciplina vigebat. » Vide *Analecta*, 1877, col. 243; 1873, col. 338; 1867, col. 671.

Postea vero diversa fuit disciplina in Oriente. Nam Benedict. XIV, Constit. *Etsi pastoralis*, Græcis et Albanensibus degentibus in Italia et insulis Italiæ adjacentibus, non prohibet ut Subdiaconi, Diaconi et Presbyteri uxores retineant, quas antea duxerunt, si tamen virgines, non viduas, nec corruptas, duxerint; nullum autem irritumque declarat eorumdem matrimonium post sacros Ordines contractum.

Idem S. Pontifex, in Constit. *Eo quamvis*, Cophtis cæte-

risque Orientalibus permittit uxorem retinere, quæ ante ordinationem ducta fuerit. Quid vero sentiendum sit de eorumdem matrimonio post ordinationem inito, Benedict. XIV noluit definire an sit irritum, vel solum illicitum; quamvis Congregationes Rom. opinioni eorum adhæreant, qui illa matrimonia nulla esse existimant.

Unde, etiam apud Orientales sive Græcos, sive Ruthenos, mortua uxore ante ordinationem ducta, presbyteros, diaconos et subdiaconos omnino continentes permanere necesse est.

Denique, apud Græcos, Episcopis non solum contrahere, sed et propria uxore uti post ordinationem omnino vetitum est.

3. *Ex decretis Ecclesiæ.* Exstant de hac lege plura decreta in Jure canonico. Duo tantum excerpere sufficiat. « *Nullum Diaconum* facere præsumant Episcopi, nisi qui se *victurum caste promiserit;* » S. Gregor. Magn. in 1ª p. Decret. dist. 28, can. 1, 2. — « Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, *posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse*, non obstante *lege ecclesiastica*, vel *voto*, anathema sit. » Conc. Trid. sess. 24, can. 9.

2° Idem *convenientiæ rationibus* confirmatur. Cœlibatus enim ecclesiasticus maxime interest ad Sacerdotii decus, ad sanctitatem Clericorum, ad bonum animarum.

1. *Ad Sacerdotii decus.* Nihil quippe excellentius est, nihil divinius Sacerdotio, ac proinde nihil sanctius vita clericorum n. 12 : atqui, ex una parte, nihil per se infimum est et magis inglorium quam opus carnis : cujus ideo delectationes *maxime serviles* dicuntur a S. Th., 2. 2, q. 142, a. 4; ex altera vero, nihil ad Angelicam vitam in homine proprius accedit quam perpetua continentia; et propterea dictum est : *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis;* Eccli. 26, v. 20. « Quid sacerdoti decentius, quam decor et puritas castitatis? Sit pius, sit fervidus, sit humilis, sit devotus, sit quidquid vis, *si non est castus, nihil est.* » S. August. Ergo castitas in Clericis maxime interest ad Sacerdotii decus. Revera, Sacerdotes Ecclesiæ Latinæ, præcise ratione virginitatis qua præfulgent, singularem venera-

tionem et honorem apud ipsos impios sibi vindicare, sensumque divinitatis quasi invincibiliter excitare nemo nescit.

2. *Ad Cleri sanctitatem.* Clerici sacris initiati ad eximiam vitæ sanctitatem et publicam orationem tenentur, ex dictis n. 12, 22 : porro in hac vita nihil a rebus divinis magis dejicit quam conjugium, tum propter voluptatem carnis, tum propter sollicitudinem familiæ. Et quidem 1. *propter carnis voluptatem*, quæ ultra modum a contemplatione rerum divinarum retardat: et propterea S. Paulus, I Cor. 7, v. 5, « vult conjugatos abstinere ad tempus ab usu conjugii, ut *orationi vacent.* » Nam « *incorruptio facit esse proximum Deo;* » Sap. 6, v. 19. — « Nihil esse sentio, ait S. August., quod magis *ab arce dejiciat animam virilem*, quam *blandimenta feminea;* » *Soliloq.* lib. 1, c. 10. — « Homines volentes contemplationi et rebus divinis vacare, *oportet quod magis sese abstrahant a delectationibus corporalibus.* » S. Th. 2. 2, q. 142, a. 1.

Sed etiam 2. *propter sollicitudinem familiæ.* « Qui enim sine uxore est, sollicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, *sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*, et *divisus est;* » I Cor. 7, v. 32. Ergo perfecta continentia ad Cleri sanctitatem maxime interest.

3. *Ad bonum animarum.* Clerici, præsertim Sacerdotes, omnia libentissime impendere debent, et seipsos superimpendere pro animabus; II Cor, v. 15 : porro, qui, eo quod conjugatus, œconomicis et domesticis curis prope innumeris indesinenter obstringitur; qui conjugis et liberorum sustentationi consulere debet, horum educationi et sorti prospicere, et alia præstare hujus generis, quæ animam diu noctuque occupant, quomodo erit expeditus ad sacrificium offerendum, ad sacramenta administranda, ad orandum pro animabus, ad eas quotidie edocendas, ad orphanos, senes, infirmos, miseros omnes visitandos, sublevandos et protegendos, ad gentes barbaras et longinquas luce fidei illuminandas? Quomodo omnia omnibus fiet, ut omnes Christo lucrifaciat?

Dum e contra Sacerdos perfecte continens, eo ipso ab

omni seculari negotio est expeditus, atque libentissime seipsum superimpendere potest pro animabus, ut constanti et universali experientia catholici Sacerdotii constat. Ergo cœlibatus ecclesiasticus ad bonum animarum maxime interest. Vide Institut. canon., Tract. 6, n. 21-27; Tract. *de Virtute castitatis*, n. 1-72.

53. — *Quæritur* an ecclesiastici cœlibatus obligatio procedat tantum ex præcepto Ecclesiæ, vel immediate ex voto in ipsa ordinatione emisso, mediate autem ex lege ecclesiæ illud votum sic emitti præcipientis?

Resp. Controvertitur. Alii quippe sentiunt non ex voto, sed ex sola Ecclesiæ lege sacris initiatos teneri ad castitatem; et ideo validam esse dispensationem Pontificiam ad contrahendum matrimonium, etiam absque causa concessam. Præceptum enim Ecclesiæ ad illam obligationem sufficit, et ideo nulla est ratio votum exigendi. Insuper, si obligatio cœlibatus esset ex voto, qui tale votum invincibiliter ignoraret, vel expresse nollet illud emittere, non teneretur inde ad castitatem, quia non est votum sine actu propriæ voluntatis sponte elicito : hoc autem a nemine admittitur; ergo etc.

Alii autem multo probabilius et communius docent illam obligationem immediate oriri ex voto, quod in ipso facto ordinationis præcipiente Ecclesia, emittitur; et ideo non validam esse dispensationem Pontificiam ad contrahendum matrimonium, si absque causa concedatur. Nam, in Jure Canonico, *de Cleric. conjug. c. cum olim*, dicitur : « Non igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia *votum continentiæ non admisit*, etc.; » ergo hoc votum admittitur in Ecclesia occidentali. Ita S. Th. 2. 2, q. 88, a. 11; Bellarm., Sanchez, Vasquez, Cajet., Soto, S. Ligor. lib. 6, n. 808.

Si quis autem, recipiendo ordinationem, invincibiliter ignoret tale votum ordinationi esse annexum, vel expresse nolit hoc emittere, ille non tenetur quidem ex voto ad castitatem, sed ex præcepto Ecclesiæ, ut communiter sentiunt Theologi.

Præterea, etsi ex sola Ecclesiæ lege procederet illa obli-

gatio, nihilominus Clericus sacris initiatus, castitatem violando, duo committeret peccata, unum quidem contra sextum Decalogi præceptum et virtutem castitatis, alterum vero sacrilegii contra virtutem Religionis; quia Ecclesia ex motivo Religionis ob reverentiam Ordinis sacri imponit suis ministris observantiam castitatis.

Tandem Ecclesia ab illa obligatione nunquam dispensat cum constitutis in sacris, ut matrimonium inire possint, nisi ea lege ut ab officiis clericalibus omnino arceantur. Sic Pius VII convalidavit sacrilega matrimonia plurium sacerdotum, qui tempore perturbationis gallicæ, nuptias inierant. Sed quam rarissime conceditur hujusmodi dispensatio, atque tali petitioni hæc consueta responsio : *sit castus, vel pereat.*

54. — *Obj.* 1° Episcopus debet esse unius uxoris vir ex S. Paulo, I Tim. 3, v. 2; sed etiam Apostoli uxores retinuerunt, et secum eas circumduxerunt, I Cor. 9, v. 5; tandem Conc. Nicænum, sententiæ Paphnutio accedens, noluit cœlibatus legem pro Clericis inducere; ergo in primis Ecclesiæ seculis non exstitit cœlibatus ecclesiasticus.

Resp. 1. Episcopus debet esse unius uxoris vir, id est, non bigamus ante ordinationem, *conc.;* debet autem esse maritus, aut potest uti uxore sibi conjugata ante ordinationem episcopalem, *nego.* Hoc sensu verba Apostoli universa intellexit antiquitas, ut videre est apud Renaudot, *Perpétuité de la foi,* t. 5, lib. 5, c. 7. Revera ipse Apostolus scribit nullam sibi uxorem fuisse; I Cor. 7, v. 7, 8.

2. Falsum est Apostolos secum tenuisse uxores, ut jam statuimus n. 52, et ut innuit S. Petrus his verbis : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* Matth. 19, v. 27. Quædam tamen feminæ, juxta morem Hebræorum, sacros operarios comitabantur, ut ipsis ministrarent, prout de Christo ipso constat; Matth. 27, v. 55; Luc. 8, v. 2. « Non ut uxores, sed *ut sorores* circumducebant Apostoli mulieres, *quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant :* per quas etiam in gynæceum, absque ulla reprehensione malave suspicione, ingredi potest doctrina Domini. » Clem. Alex. *Stromat,* lib. 3.

3. In Conc. Nicæno propositum fuit disciplinam Ecclesiæ Latinæ de cœlibatu ecclesiastico extendere ad Ecclesiam universalem. Paphnutius vero restitit quoad illos qui, jam matrimonio juncti, ad Diaconatum et Presbyteratum ascendissent. Quoad reliquos autem, qui cœlibes sacris essent initiati, censuit antiquam Ecclesiæ traditionem

esse servandam de nuptiis nunquam inundis. Imo eruditi non pauci omnino rejiciunt illam Paphnutii historiam, uti fabellam a Socrate confictam, cujus deinde fidem secuti sunt Sozomenus et Nicephorus.

55. — *Obj.* 2° Sacerdotes mosaici erant conjugati : cœlibatus nocet corporis sanitati, atque innumeris civibus societatem privat; ergo Sacerdotes Catholici possunt, imo debent uxorem ducere.

Resp. 1. Continentes esse debebant et ab uxorum consortio separari Sacerdotes veteris legis, quamdiu ministerio fungebantur : porro Sacerdotes novæ legis, ut quotidie suo ministerio præsto sint, oportet; et ideo semper cœlibes esse debent. Aliunde, Sacerdotium novæ legis non est hæreditarium sicut in lege veteri atque, cum longe præcellat, perfectionem longe excellentiorem in ministris requirit.

2. Nedum cœlibatus sanitati corporis noceat, e contra communiter sentiunt medici cœlibatorios, cæteris paribus, et melius valere, et diutius vivere quam conjugatos; etsi haud rario contrarium eveniat, ob effrenatam libidinem cui libentius sæpe indulgent laici cœlibes.

3. Ecclesiastici, eo quod cœlibes, mirifice promovent morum integritatem, ac proinde perennitatem familiarum et generis propagationem, ita ut longe numerosior propagatio ex legitimis conjugiis habeatur, ac si connubia frequentiora celebrarentur.

II

De mediis ad servandam perpetuam Castitatem.

Præter generalia media jam indicata, n. 13, 14, 15, hic quædam pro castitate specialia breviter inculcanda sunt, nempe, 1. humilitas et oratio, 2. sobrietas in cibo et potu, 3. assidua occupatio, 4. ab omni familiaritate cum feminis abstentio.

56. — I. *Humilitas et oratio.* Ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 262, 265, homo in statu præsenti non potest esse continens, nisi Deus det, et nisi ipse gratiam a Deo humiliter et instanter impetret, juxta illud : « Ut scivi quoniam aliter non possem esse *continens, nisi Deus det*... adii Dominum et *deprecatus sum;* » Sap. 8, v. 21. — « Deus superbis resistit, *humilibus dat gratiam;* » Jacob. 4, v. 6. Ergo, nisi Clericus indesinenter sit suæ fragilitatis conscius, atque suæ castitatis ut fundamentum et tutamen ponat constantem humilitatis et orationis praxim, certo deerit

gratia, brevique deficiet castitas. Revera « sapientes ethnici evanuerunt in cogitationibus suis, *dicentes se esse sapientes...*; *propterea* tradidit illos Deus *in passiones ignominiæ;* » Rom. 1, v. 21-24. Et quot Sacerdotes, quia superbi, ignominiæ traditi fuerunt?

57. — II. *Sobrietas in cibo et potu.* Nam « qui *delicate nutrit* servum suum, postea *sentiet eum contumacem;* » Prov. 29, v. 21. *Luxuriosa res vinum;* Prov. 22, Eph. 5, v. 18. — Nec aliter loquuntur SS. Patres, et comprobat experientia. « Dum venter per ingluviem tenditur, *virtutes animæ per luxuriam destruuntur;* » S. Gregor. *in Pastoral.* 3 p., c. 20. — « *Difficile inter epulas* servatur *castitas*, dapibus et epulis inimica; » S. Ephrem, *de Castit.* Pro Clerico igitur, ut narratur de omnibus Sanctis, *alimenta* sint ut *medicamenta, prandium* ut *tormentum;* nec quempiam prætereant hæc S. Hieronymi, verba *ad Nepotian.* : « Convivia tibi vitanda sunt secularium, et maxime eorum, qui honoribus tument. Consolatores potius nos in mœroribus suis, quam convivas in prosperis noverint. Facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat... *Pinguis venter, non gignit sensum tenuem.* »

58. — III. *Assidua occupatio.* Qui enim otio vacat, eo ipso mentis divagationibus et cordis desideriis laxat habenas, brevique et frequenter in cordis tentationem inducitur, uti conclamant Scriptura, Traditio, et experientia. « Hæc fuit iniquitas Sodomæ, *otium ipsius* et *filiarum ejus;* » Ezech, 16, v. 4. — « Samson, David, Salomon in occupatione sancti, in otio perierunt, » ait S. August. *Ad Trat. erem.* serm. 6. — « Inter Egypti monachos, inquit Cassianus, ut axioma reputabatur *operantem uno dæmone pulsari, otiosum* vero *innumeris devastari.* » Unde Clericus nihil præmittere debet, ut lectioni, orationi, aut externo ministerio instanter incumbat, atque se eximia donari gratia reputet, quando labore quasi obruitur [1]

1. « Ceux qui emploient mal leur temps, sont les premiers à se plaindre de sa brièvité. Comme ils le consument à s'habiller, à manger, à dormir, à de sots

59. — IV. *Ab omni familiaritate cum feminis abstentio*, scilicet, a cohabitatione, a conversatione, a tenera amicitia, Et quidem 1° *a cohabitatione*. Hoc clare evincitur Scriptura, Traditione et experientia.

1. *Script.* « In medio *mulierum noli commorari;* de vestimentis enim procedit tinea, et *a muliere iniquitas viri;* » Eccli. 42, v. 12, 13 : id est, sicut tibi nihil tale volenti nascitur tinea, ita tibi nihil tale volenti nascitur a femina pravum desiderium.

2. *Traditione:* Conc. Nicænum I vetuit « ne liceat Episcopo, aut Presbytero, nec Diacono, nec ulli penitus eorum qui sunt in clero, introductam habere mulierem præterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt. »

Lex ista sæpissime renovata fuit in Conciliis tum generalibus, tum provincialibus, et in innumeris Synodis diœcesanis, quandoque severius, quandoque remissius, sed nunquam sublata, nec substantialiter mutata. Imo, in plerisque diœcesibus Galliæ, requiritur ut femina extranea tanquam famula non admittatur a Sacerdote, antequam quadraginta annos expleverit.

Sed etiam, ex Conc. Trid., sess. 25, c. 14, « mulieres *quantumvis conjunctæ sint*, si occasionem præbeant scandalosæ suspicioni, dimitti debent, et Sacerdotes eas dimittere renuentes, ab officio suspendi et beneficio privari possunt sola Episcopi auctoritate. »

3. *Experientia* idem comprobatur : *Cum femina semper esse*, et *non peccare* cum femina, *plus* est quam *mortuum*

discours, à se résoudre sur ce qu'ils doivent faire, et souvent à ne rien faire, ils en manquent pour leurs affaires : ceux, au contraire, qui en font un meilleur usage, en ont de reste.

« Il n'y a point de Ministre si occupé qui ne sache perdre chaque jour deux heures de temps : cela va loin à la fin d'une longue vie; et, si le mal est encore plus grand dans les autres conditions des hommes, quelle perte infinie ne se fait pas dans le monde d'une chose si précieuse, et dont l'on se plaint qu'on n'a point assez !

« La liberté n'est pas l'oisiveté : c'est un usage libre du temps, c'est le choix du travail et de l'exercice; être libre, en un mot, n'est pas ne rien faire; c'est être seul arbitre de ce qu'on fait ou de ce qu'on ne fait point. » La Bruyère, *Des Jugements*.

suscitare, » ait S. Bernard. *Serm.* 65. — Nec dicatur : *Femina illa est vetula ac deformis;* diabolus enim pingens, speciosum efficit quidquid horridum fuerit, inquit S. Cyprianus. Nec etiam : *Mihi est consanguinitate conjuncta;* nam diabolus optimus logicus abstrahit a propinquitate, feminam solam relinquens, ait S. Philippus Neri. Nec tandem : *Sancta est;* quo enim sanctior, eo magis allicit, ac de facili spiritualis devotio in carnalem vertitur, ait S. August. Quare ipse S. Augustinus neque sororem domi suæ manere permisit, dicens : *quæ cum sorore mea sunt, meæ sorores non sunt;* Can. 25, dist. 81. Revera Samson vi physica, Salomon vi intellectuali seu sapientia, David vi morali seu oratione præ cæteris pollentes, miserabiliter ab arce dejecti fuere blandimentis femineis.

2° *A conversatione cum muliere* in cubiculo cavere debet Clericus, si sit solus cum sola. Constat enim experientia omnem conversationem cum muliere extra sacrum Pœnitentiæ tribunal non esse a periculo immunem. Christum igitur omnes imitemur, cui adeo insolitum erat solus cum sola sermocinari, ut Apostoli mirati sint, quod ipsum solum viderint cum Samaritana sola loquentem; Joan. 4. v. 27. — « Hospitiolum tuum aut raro aut nunquam mulierum pedes terant; nec sub eodem tecto mansites; nec in præterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Periculose tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Solus cum sola, secreto et absque arbitro, vel teste non sedeas. Caveto omnes suspiciones; et quidquid probabiliter fingi potest, ante devita. » S. Hierony. *ad Nepotianum.* Aliunde, ut ait S. Ambr., *de Off.* lib, 1, c. 20, « quid necesse est ut demus secularibus obtrectandi locum? Cur non illa tempora, quibus ab ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas? »

3° *A tenera amicitia cum muliere* qualibet etiam sancta abstinendum est. Namque « amor spiritualis generat affectuosum, affectuosus obsequiosum, obsequiosus familiarem, familiaris carnalem, » ut ait S. Aug. Proinde cavendum est a sermone, qui illam teneram ac sensibilem amicitiam redoleat : *Cum feminis sermo sit brevis et rigidus,* inquit

S. August. *in Ps.* 50. A fortiori abstinendum est ab omni manuum contactu, qui tam cito libidinem excitet, et imprudentem Clericum in ruinam dimittit.

Tandem nihil contemptius et abjectius, nihil miserius et Ecclesiæ calamitosius esse potest quam Sacerdos qui blandimentis femineis indulget. Quotidie sacrilegia multiplicat, atque adeo ejus conscientia obtunditur, ut nec Dei comminationes, promissiones, amicitia eum commovere valeant; et, si interdum timore concutiatur, atque illum pœniteat, cito iterum atque iterum miserabilius delabitur; donec, ut sæpe sæpius evenit, repentina morte sicut fulgure percussus perit; aut jurans et blasphemans, sanguinemque evomens, exsecrabilem animam in manus Dei viventis miserime exhalat! S. Th. *Opusc.* 64, *de periculo familiaritatis dominorum et mulierum.*

PUNCTUM III

De gestatione Habitus et Tonsuræ clericalis.

60. — *Quæritur* 1° an et quænam sit pro clericis obligatio deferendi *habitum* clericalem?

Resp. 1. Clerici, saltem sacris initiati et beneficiarii, obligantur ad ferendam vestem clericalem. Constat ex Conc. Trid., sess. 14, c. 6, *de Reform.*, ubi dicitur : « Etsi habitus non faciat monachum, *oportet* tamen Clericos *vestes proprio congruentes Ordini semper deferre*, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. »

Revera habitus clericalis, dum exterius significat intrinsecam animi pietatem et cordis compositionem, eadem ipsi Clerico revocat, eumque a plurimis peccandi occasionibus removet.

Hinc a mente Ecclesiæ et a pietate clericali bene intellecta, non minus alienus est habitus abjectus et sordidus, ac habitus exquisitus et splendidus. « Tu Sacerdos Dei Altissimi, cui ex his placere gestis, mundo an Deo? Si mundo, cur Sacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis et Sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium?... Non tanto curaretur corporis cultus? nisi prius neglecta

fuisset mens inculta virtutibus. » S. Bernard., *de Vita et Mor. Episc.; Apolog. ad Guill.*, c. 10.

Habitus autem clericalis varius est pro variis regionibus. Standum est igitur tum consuetudini, tum particularibus locorum statutis.

2. Per se graviter peccant Clerici in sacris vel beneficiarii, si per notabile tempus clericalem habitum non deferant, absque justa causa. Nam Conc. Trid., *ibid.*, injungit Episcopis, ut prævaricatores serio moneant, et, si non obtemperent, eos a sacris functionibus amoveant : talis autem loquendi ratio arguit peccatum grave. Quantum requiratur temporis spatium ad constituendum peccatum mortale, ex solis circumstantiis determinari potest.

Peccatum est tantum veniale semel aut iterum relinquere habitum clericalem, nisi tamen statutis diœcesanis id prohibitum sit pœna suspensionis; hæc enim pœna supponit sub gravi illud esse prohibitum.

Permittitur autem iter per vias publicas agentibus, non vero in aliquo loco extraneo demorantibus, habitus contractio nigri coloris, in quo decorum et honestas status clericalis eluceat. Imo potest habitus clericalis totaliter relinqui ex juxta causa, v. g., si immineret persecutio, vel si per loca hæreticorum, infidelium, vel impiorum hominum esset transeundum, etc.

Quoad Clericos non in sacris constitutos, nec beneficiarios, ad habitum clericalem deferendum non tenentur sub gravi, secluso scandalo, ex communi sententia; nec etiam per se sub levi, ut probabiliter asseritur. Attendendum est tamen ad jura particularia, et ad locorum consuetudinem.

61. — *Quæritur* 2° an et quænam sit pro Clericis obligatio deferendi *tonsuram* clericalem?

Resp. 1. Existit præceptum pro cunctis Clericis tonsuram jugiter deferendi. Dicitur enim in Decret. 1. p., dist. 23, can. 20 : « Clerici comam nutrire *prohibentur*, quorum caput desuper in modum sphæræ rasum esse *debet*. » Idem habetur in multis conciliis ac synodis diœcesanis.

2. Clerici in sacris constituti, aut beneficiarii, non pec-

cant graviter, nisi omittant deferre tonsuram per tempus notabile, quale non est tempus unius vel alterius mensis. An vero sit grave tonsuram non deferre per annum, non constat. Communius affirmant Theologi: alii tamen negant. Simplices Clerici ad hoc sub gravi non obligantur.

Cæterum, *vir, si comam nutriat, ignominia est ei,* ait Apostolus, I Cor., 11, v. 14 : quanto igitur ignominiosius erit Clerico nutrire, vel curare comam? Et profecto male cohærent in eodem capite corona doloris et humilitatis Christi cum corona vanitatis mundi.

NUMERUS III

De mediis negativis ad vitam eximie sanctam, seu de vitanda negotiatione, ludo, etc.

62. — I. *De Negotiatione.* Negotiatio proprie dicta seu lucrativa est series commutationum mercium, operarum, pecuniarum ad lucrum obtinendum.

Talis negotiatio, sive immediate, sive mediante persona interposita a Clericis exerceatur, his omnibus, præsertim si sacris sint initiati, prohibetur in plurimis textibus Juris can. et a Conc. Trid., sess. 22, c. 1. Revera « nemo militans Deo implicat se *negotiis secularibus;* » II Tim., 2. v., 4. Negotiatio enim nimis implicat animum secularibus curis, et ideo a spiritualibus retrahit; sed etiam ordinarie provenit ab inordinato affectu ad lucrum terrenum; demum « difficulter exuitur negotiator a peccatis labiorum; » Eccli. 26, v. 28.

Non prohibetur autem *artificialis* negotiatio *œconomica,* qua emuntur necessaria ad sustentationem, et superflua venduntur: nec qua aliquid emitur, ut per industriam mutatum vendatur; sic enim agere non est proprie negotiari, sed præmium laboris accipere, ait S. Th. 2, 2, q. 77, a. 4.

Unde non est verus negotiator, qui emit colores, ut vendat picturas; lanas, ut vendat pannum, modo non conducat alios operarios ad hoc efficiendum; qui proprios agros colit, ut fructus vendat; qui emit animalia, et ea suis prædiis alit, ut ex fœtu, lana, lacte pecuniam conficiat, aut ut saginata vendat : secus, si in alienis septis saginentur, ex Conc. Chalcedonensi, an. 451; qui emunt ut utantur, et

deinceps vendunt, si pretium crescat, ut vilius simile ematur; qui emunt plurima ut tutius sibi prospiciant, et, quod superest, carius etiam vendunt.

Iisdem rationibus prohibetur Clericis *gestio rerum alienarum*, id est, officium procuratoris et advocati in seculari judicio : officium tutoris, curatoris, cancellarii, administratoris, tabellionis, et qualecunque officium seculare ex quo rationes reddi debeant. Excipitur administratio locorum piorum, tutela pupilli derelicti et consanguinei usque ad quartum gradum. Nunc in Galliis Clerici non magis eximuntur a tutela suscipienda quam alii cives. Attamen, ex art. 427 Cod. viv., qui functiones ministerii sacri exercent extra provinciam (*le département*), in qua aperitur tutela gerenda, dispensantur.

63. — II. *De Ludo alearum*, Ludus alearum ille est, qui totus situs est in pura sorte, et ideo cujus exitus a mero casu pendet, quin ludentis industria partem ullam in eo habeat. Talis est ludus taxillorum, vulgo *dés*, etc.

Porro, si agatur de aleatore *publico* et his ludis dedito, consentiunt omnes Clericum sacris ordinibus initiatum graviter peccare, si in magna quantitate aleis ludat; aut in modica, sed frequente. Id enim nimis animum a divinis avocat, et graviter dedecet statum clericalem. « Clerici *ad aleas et taxillos non ludant*, nec hujusmodi ludis intersint, » ait Concil. Later. IV, cujus sententiam renovat Conc. Trid., sess. 22, c. 1, *de Reform.* Hæc prohibitio, saltem ex consuetudine, non spectat inferiores Clericos, ut communiter docent Theologi.

Ab omni autem culpa solvitur, juxta plerosque, Clericus ille, qui parce, moderate, privatim et sine scandalo ludit aleis, aut chartis. Caveant tamen Clerici in ludendo ab excessu, et nimia levitate, et animi dissipatione, nec ab aliquo cupiditatis vel passionis affectu abstrahantur, sed tantum recreationis causa, absque temporis jactura, n. 16. Generatim in ludendo cum secularibus abstineant, nisi sint prudentiæ et gravitatis non communis; quia sanctum eorum ministerium grave detrimentum inde pateretur.

64. — III. *De venatione, armorum gestatione. Venatio clamorosa* et *strepitosa*, seu quæ fit cum canibus et armorum strepitu vel accipitribus, prohibetur Clericis ; non autem venatio quieta, v. g., cum laqueis aut aliis instrumentis. Constat ex Conc. Later IV, can. 15, et ex Conc. Trid. sess. 24, c. 12.

Attamen controvertitur an venatio clamorosa per se sit peccatum grave, si raro fit. Pariter non videtur stricte prohibita per se venatio cum sclopeto et uno cane. Sed generatim indecentiam involvit in Sacerdote, eumque a studio, ab oratione, a lectione spirituali et ab operibus caritatis distrahit, nisi forte raro fiat, absque cursu, v. g., in horto.

Gestatio armorum, seclusa necessitate, Clericis prohibetur, ex pluribus decretis Juris can. Arma enim Clericorum sunt mere spiritualia, omninoque illa gestatio dedecet illorum characterem, qui ad Christi exemplum debent esse mites et humiles. Non tamen reprehendendi sunt qui bello justo cooperantur, consilio, adhortatione, vel etiam auxilio, modo arma non gerant, nec officio ducis fungantur. Cæterum illa prohibitio oritur ex Jure Canonico, non ex Jure divino. Hinc etiam Sacerdotes pugnabant in lege veteri ; I Machab, 10.

Ex consuetudine prohibetur Clericis exercitium medicinæ et chirurgiæ, nec ad artem medici exercendam indultum conceditur, nisi sub triplici conditione, scilicet. 1. ut id fiat ob penuriam medicorum ; 2. ut nihil a pauperibus accipiatur ; 3. ut caveatur ab actibus chirurgicis qui irregularitatem inducunt, nempe ab amputatione membrorum, etc., nisi urgeat necessitas [1].

1. Quædam exscribere ex diario *Journal des Fabriques*, t. 8, p. 324, 328, 342, circa legum civilium dispositiones opportunum visum est.

« Nul ne peut embrasser la profession de médecin, de chirurgien, ou d'officier de santé sans être examiné et reçu selon les formes prescrites par les lois.

« Tout débit au poids médical (c'est-à-dire au poids et doses auxquels les remèdes doivent être employés pour les malades) de drogues, de préparations médicamenteuses est sévèrement interdit. Est également interdite à ceux qui ne sont pas pharmaciens, la vente des remèdes magistraux, c'est-à-dire, composés sur-le-champ, par opposition aux remèdes officinaux, qui se trouvent tout composés dans les pharmacies. (Cour de Cassat., 7 nov. 1889.)

« Les ecclésiastiques, comme toutes autres personnes, peuvent aider de leurs

65. — IV. *De ingressu in popinas, de choreis et spectaculis assistentia.* Ingressus in popinas et tabernas, extra necessitatem, omnino vetatur Clericis. Hoc enim prorsus opponitur clericali modestiæ et gravitati.

Eadem ratione Clericis prohibetur interesse saltationibus, choreis publicis, ludis scenicis, ut quibuscunque cœtibus, turpes, lascivas vel amatorias cantilenas depromentibus, aliisve oblectationibus statum clericalem turpantibus. Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 11, c. 9. Gravitas peccati eorum æstimanda est ex diuturnitate et repetitione assistentiæ, ex motivo determinante, ex periculo, ex scandalo, etc.

Tandem circa modum, quo se gerere debeant Clerici in rebus publicis, quæ inconditos clamores et strepitum in populo excitant, sic statuit S. Congreg. Episc., 15 jan. 1848; « Bien que le Clergé doive se réjouir et s'applaudir des institutions utiles et sages, qui s'introduisent dans l'administration de la chose publique, néanmoins il ne convient pas aux ecclésiastiques de prendre part aux bruyantes démonstrations populaires qui en résultent, et beaucoup moins encore de faire pénétrer ces démonstrations jusque dans le sanctuaire destiné à la prière et à l'exercice des fonctions sacrées. »

ARTICULUS III

De obligationibus Clericorum erga animas.

Hujusmodi obligationes fuse expendimus in Institutionibus canonicis. Hic igitur easdem indicare duntaxat satis erit, pro probatione ac evolutione ad illas Institutiones remittendo.

§ I

De obligationibus Episcopi.

Ad tria capita referuntur illæ obligationes, nempe, ad Episcopatus finem, ad media de præcepto obtinendi illum finem, ad media de consilio.

conseils les malades qu'ils visitent, toutes les fois qu'il ne s'agira d'aucun accident qui puisse intéresser la santé publique, et pourvu qu'ils ne se permettent ni de signer des recettes, ni de rédiger des consultations, et que leurs visites soient absolument gratuites. »

68. — I. *Finis Episcopatus.* Cura de salute diœcesanorum est proprius Episcopatus finis, ac personale officium Episcopi. Institut. canon., Tract. 4, n. 156.

69. — II. *Media de præcepto* ad illum finem obtinendum et adimplendum personale illud officium undecim præcipua numerantur.

1° In statu perfectionis acquisitæ esse et permanere; Institut. canon. Tract. 4, n. 25; Tract. 6, n. 45-47.

2° Statum diœcesis cognoscere; *ibid.*, Tract. 4, n. 158.

3° Ad altaris ministerium dignos informare in seminariis; *ibid.*, Tract. 5, n. 344-52.

4° Dignos parochos eligere, ipsisque continuo invigilare, nec non ac aliis diœcesis sacerdotibus; *ibid.*, Tract. 4, n. 159.

5° Prædicare *per se* in sua ecclesia, aut, si legitime impeditus fuerit, per alios ad hoc idoneos; *ibid.*, n. 63.

6° Visitare totam diœcesim quotannis aut intra biennium, per se, aut, si legitime impeditus fuerit, per alium ad hoc deputandum; *ibid.*, n. 160.

7° Pro diœcesanis sacrificium offerre et applicare dominicis aliisque festis diebus de præcepto ex jure communi, licet suppressis; *ibid.*, n. 164.

8° Synodum congregare; *ibid.*, Tract. 5, n. 359.

9° In diœcesi residere; *ibid.*, Tract. 4, n. 165.

10° Visitare sacra limina tempore ex jure communi præscripto; *ibid.*, n. 169-71.

11° Debitum obsequium erga Sedem Apostolicam in omnibus exhibere; Tract. *de Ecclesia,* n. 200-219.

70. — III. *Media de consilio* ad Episcopatus finem obtinendum. Exstant media ad procurandam diœcesanorum salutem, quæ, sigillatim sumpta, sunt tantum de consilio; de præcepto autem pro Episcopo, si collective sumantur; Institut, canon., Tract. 4, n. 172-75.

§ II

De obligationibus Capituli cathedralis et titularium canonicorum.

71. — 1° Capitulum cathedrale tenetur Episcopo dare locum ejus dignitati debitum in choro, in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis; eidem paramenta subministrare ad exercenda pontificalia; eidem assistere et inservire celebranti et alia pontificalia exercenti; eumdem ad ecclesiam progredientem vel ab ea regredientem comitari et deducere; Institut. can., Tract. 5, n. 76.

2° Tenetur Capitulum cathedrale quotidie missam conventualem celebrare cum cantu pro benefactoribus ecclesiæ cathedralis in genere, salvis tamen exceptionibus ex privilegio aut consuetudine de hac obligatione juri communi appositis; *ibib.*, n. 77.

3° Cathedrale Capitulum, ex jure communi, quotidie interesse debet choro ad omnes horas canonicas canendas vel psallendas, salvis exceptionibus in variis regionibus vigentibus; *ibid.*, n. 78.

4° Ex jure communi, cathedrale Capitulum, in quibusdam casibus jure determinatis, participare debet regimini diœcesis, sede plena, nisi in contrarium legitime prævaluerit consuetudo; *ibid.*, n. 50.

5° Capitulum cathedrale, sede vacante aut quasi-vacante, tenetur diœcesim administrare, intra octo dies deputare vicarium capitularem, ad quem transit jurisdictio, absque ulla exceptione pro Capitulo; atque, ex jure communi, unus tantum eligi potest vicarius capitularis; toleratur tamen plurium Vicariorum electio quoad loca, ubi viget ex consuetudine legitime præscripta; sed S. Sedes suaviter curat, ut hæc consuetudo cesset; *ibid.*, n. 87-105.

6° Singuli canonici titulares, intra duos menses a die adepta possessionis, debent orthodoxæ suæ fidei professionem publicam facere, ac tenentur residere, seu potius choro interesse, nisi adsit causa a tali servitio excusans; *ibid.*, n. 80-82.

§ III

De obligationibus Parochorum.

72. — Quæ ad parochiæ notionem, species, originem, utilitatem, erectionem, parochi institutionem, jura, obligationes, muneris parochialis cessationem pertinent, fuse expendimus in Institut. canonicis, Tract. 5, n. 119-291. Hic igitur per summa capita parochi obligationes indicare tantum nobis superest.

73. — 1° Parochus est *clericus ab Episcopo deputatus ad procurandum bonum spirituale alicujus parochiæ, ex officio et proprio nomine, per verbum divinum, sacramenta aliaque spiritualia*. Itaque

74. — 2° Parochi simpliciter dicti seu inamovibiles, intra duos menses a die possessionis adeptæ, tenentur publicam fidei professionem emittere, et spondere Romano Pontifici obedientiam; Institut. canon., Tract. 5, n. 241.

75. — 3° Cura de salute parochianorum est proprium et personale officium parochi sive inamovibilis, sive amovibilis, ut constat tum ex Encycl. Pii IX, 9 nov. 1846, tum ex natura et fine parochiatus; *ibid.*, n. 242.

76. — 4° *Media obligatoria* satisfaciendi curæ de parochianorum salute, sunt 1. cognoscere statum parochianorum; 2. intellectum illuminare, doctrinam fidei prædicando aut catechizando; 3. sanctificare voluntatem per sacramenta; 4. gratiam impetrare per sacrificium missæ, et orationem, atque parochianos ad gratiam informare; 5. intellectum et voluntatem excitare per perfectum exemplum, ac per cultum publicum; 6. corpora et animas sublevare, curando de pauperibus aliisque miserabilibus parochianis; 7. cultus sumptibus et eleemosynis providere, redditus ecclesiæ parochialis sapienter gerendo; 8. in parœcia residere; 9. interesse collationibus scientiæ ecclesiasticæ, exercitiis spiritualibus, diœcesanæ synodo; *ibid.*, n. 243-280.

77. — 5° *Media* autem satisfaciendi curæ parochianorum *ex consilio* tantum in se seu sigillatim propositis, de præcepto autem, si collective sumantur, præcipua sunt confraternitates, tertiarii ordines, congregationes, opera zeli et caritatis, pietatis praxes, scapularia, corona Apostolica, etc. *Ibid.*, n. 282.

Præfata omnia hic evolvere non possumus. Sed insistere nobis opportunum videtur circa quinque ex mediis obligatoriis, nempe, convenienter edocere et catechizare parochianos; eis tempore opportuno sacramenta ministrare; illos visitare; pro iisdem orare; in parœcia residere.

78. — I. *Convenienter docere et catechizare parochianos.* Et quidem 1° *docere.* Nam, ex conc. Trid. sess. 5, c. 2, « cum *præcepto divino* mandatum sit *omnibus, quibus cura animarum commissa est,* suas oves *verbi divini prædicatione pascere*, illi per se aut alios idoneos, si legitime impediti fuerint, *tenentur diebus saltem Dominicis et festis* plebes sibi commissas pascere *salutaribus verbis*, atque per censuras ecclesiasticas cogi debent, qui ab Episcopo moniti, *trium* nihilominus *mensium* spatio muneri suo defuerunt. » Attamen est prudentiæ Episcopi dispensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus, ex decis. S. Cong. Conc., 1 apr. 1876.

Idem Concilium, sess. 24, c. 4, admonet « ut tempore jejuniorum, Quadragesimæ et Adventus Domini, *quotidie* vel saltem *tribus in hebdomada diebus*, si ita oportere duxerint Episcopi, sacras Scripturas divinamque legem annuntient Parochi.

79. — Hinc 1. *graviter* peccat Parochus, qui tribus mensibus etiam discontinuis per se aut per alios non concionatur. Ita fere omnes. Censuræ enim ecclesiasticæ, de quibus loquitur Conc. Trid. in præfato textu, non applicantur nisi pro gravi culpa. Imo, juxta quosdam, graviter peccat, qui per mensem continuum prædicationem omittit; ita S. Ligor., lib. 3, n. 269.

80. — Hinc 2. obligationi non satisfacit Parochus, qui

in sua prædicatione oves suas non docet « *quæ scire omnibus necessarium est ad salutem*, nec annuntiat eis, *cum brevitate et facilitate* sermonis, *vitia* quæ eos declinare, et *virtutes* quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant. » Hæc sunt verba Conc. Trid. sess. 5, c. 2.

Atqui procul dubio talia et hoc modo non docent qui, nulla usi præparatione, quidquid in buccam venit, effutiunt, cum immodica sermonis prolixitate, sine ordine, pietate ac zelo; aut prædicationem agunt capacitati audientium minime proportionatam; aut abstractas considerationes, vanas sterilesque circa juris naturalis præcepta declamationes, aut convicia et acerbas objurgationes proferunt; ac proinde merito vocantur *proditores animarum*, seipsos prædicantes, quorum prædicatio verbum Dei deturpat, nullatenus fidem enutrit, nec caritatem fovet; sed in auditoribus nauseam aut iram et in sacrum ministerium contemptum excitat.

81. — Hinc 3. muneri suo non satisfacit, qui, loco sermonis ad populum, pias facit lectiones. Lectio enim non est prædicatio : porro Conc. Trid., conciones viva voce datas requirit, et experientia constat eas multo efficaciores esse. Unde, qui concionare non valet, vel non suscipiat, vel relinquat animarum curam, nisi Episcopus, illius impotentiæ conscius, alium habeat sacerdotem huic parœciæ præficiendum.

82. — Multum præstat etiam ut Parochus interdum sanctas missiones accersat. Vix enim dici potest quam assidua verbi divini prædicatio, frequentes ad Ecclesiam conventus, tot preces ab universo populo effusæ, fructuosa sint ad divinam gratiam efflagitandam, ad mores in melius commutandos, ac scandala exstirpanda.

83. — Cæterum Parochi nullum Sacerdotem sibi ignotum ad concionandum in suis parœciis admittere possunt, nisi ab Ordinario loci fuerit approbatus, nec etiam notum,

ad stationem aut missionem prædicandam, sine ejusdem Ordinarii consensu. Possunt tamen dare licentiam alicui viro docto et noto, ut bis aut ter concionetur in suis parœciis sine approbatione Episcopi; a fortiori si agatur de iis qui ab Episcopo sunt approbati. Ita communiter Theologi et Canonistæ. Vide *Institut. canon.*, Tract. 5, n. 244-249.

84. — 2° *Catechizare*. Nam Conc. Trid., sess. 24, c. 4, sic habet : « Episcopi *saltem diebus Dominicis et festis pueros* in *singulis* parochiis *fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter* ab iis, ad quos spectabit, *doceri curabunt;* et si opus fuerit, etiam per censuras ecclesiasticas compellant; » et, ex decis. S. Cong. Conc. 5 aug. 1764, non licet una vice hoc exercitium interrumpere, etiam tempore, quo magis urget agrorum cura.

Revera hoc munere Parochis omnibus nihil sanctius, nihil inviolabilius, nihil nostro præsertim tempore magis necessarium; siquidem, hoc despecto, nulla fides, nulla religio, nulla moralitas. Huic ergo assidue insistendum est, maxime quia fidei veritates et multæ sunt et intellectu difficiles, quæ, nisi sæpissime inculcentur, infigantur, repetantur, satis animo non imprimuntur.

Hinc *graviter* peccant Parochi, qui negligentes sunt in pueris catechizandis, in scholis visitandis, in rudibus instruendis. Imo talis est illa obligatio, ut si quis parochianus convenire non possit ad ecclesiam diebus Dominicis aut festis, vel fidei rudimenta tardius capiat, tenetur Parochus per se vel per alium ad hoc idoneum, individualiter illum edocere; cum jure naturali invigilare debeat, ut *singuli* parochiani fidem christianam edoceantur, ne vel unius ruina spiritualis ipsi pastori imputetur.

Nec profecto sufficit parvulos ante primam communionem discere fidei rudimenta; sed omnino necesse est, nostris præsertim temporibus, pueros *utriusque sexus*, post primam communionem, uberiorem solidioremque doctrinam haurire in *catechismis perseverantiæ* aut in *piis congregationibus*, in omni parœcia quantacumque exigua instituendis; ne inchoata fidei cognitio cito obnubiletur et pau-

latim oblivione exstinguatur, atque juventus in tenebris miserabiliter jaceat, omnique vento doctrinæ circumferatur.

Demum curet Parochus ut parvuli in scholis, populus tempore missionis, pias et sanctas cantiones discant et retineant. Populus enim, qui delectatione cantus facile privari non potest, dum occupatur piis cantibus, impios vanosque contemnit et obliviscitur. Vide Institut. canon., Tract. n. 251.

85. — II. *Sacramenta administrare tempore opportuno et convenienti modo.* De hujusmodi tam gravis momenti officio jam actum est in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 141, 143, et in Tract. de variis Sacram. in specie. Hic igitur quædam notare sufficiet.

1° Maximi interest quod parochiani *cum plena perfectaque libertate suum confessarium semper eligant*, ne eorum confessio ab integritate necessaria sæpe sæpius deficiat, atque in dies multiplicentur sacrilegia, etiam instante hora suprema, ut nunquam satis lugenda experientia constat. Qua autem libertate certissime non gaudent subditi, nisi persuasum habeant Parochum omnino æquali lætoque animi ferre, ut pro libito alium confessarium adeant.

Omnis itaque Parochus, hujus principii nunquam immemor, quod *Parochus est pro parochianis, non parochiani pro Parocho*, tenetur nihil prætermittere, tum ut illa persuasio alta defixaque in mente omnium suorum parochianorum maneat, tum ut his omnibus pluries aut saltem semel in anno alius præsto sit Confessarius.

2° Nec minus interest quod usus communionis sit frequens *pro cujusque præparatione, utilitate atque sacramenti fructu*. Legantur igitur attente et ab omnibus fideliter serventur regulæ inconcussæ, quas de usu communionis statuimus in Tract. *de Euchar.*, n. 125 et seq.

3° Gravissime peccant Parochi, qui *Extremam Unctionem* administrare *solent*, nisi *in ultima vitæ periodo*, quando infirmus jam vita et sensibus carere incipit. Vide quæ de hac re diximus in Tract. *de Ext. Unct.*, n. 46, 47, 55.

4° Tandem Parochus instare debet opportune, importune, omnibusque viis providere, ut omnes sui parochiani frequenter utantur Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramentis, sine quibus justitia non augetur, vel amissa non reparatur. Vide Institut. canon. Tract. 3, n. 251-257.

86. — III. *Visitare infirmos et paræciam.* Præcipua pars muneris Parochi, juxta Rituale Rom., est illius sollicitudo erga infirmos. Abusus est igitur valde animarum saluti noxius, ægrotos non invisere antequam Parochus ab ipsis arceatur; nec minus perniciosus est error putare se munus suum adimplevisse, cum ægrotos Sacramentis refecerit Parochus. Sane præterea debet eos sponte adire, neque semel, sed crebro invisere, benevolis suasionibus consolari, piis, quoad potest et opus est, eleemosynis recreare, omnibusque cæteris officiis juvare; idque eo magis quo ingravescit morbus, ac mortis periculum imminet. Et quis morientem jamque ante tribunal Christi trepidantem efficacius quam Sacerdos potest in fide confortare, in spem erigere, et in caritate consummare! Legantur et pia meditatione recolantur monita Rituali Rom. circa infirmorum curam et visitationem.

Insuper, ex Conc. Trid. sess. 24, c. 1, vi præcepti divini tenetur Parochus oves suas cognoscere, nempe, earum indolem, statum ac necessitatem, ut huic necessitati, quantum in se est, provideat; ac proinde, singulas parœciæ suæ familias certis temporibus visitare, cum omnibus parochianis paterno affectu colloqui, patres ac matres familias prudenter interrogare circa liberos, servos, ancillas, operarios, quin tamen dicteria ancillæ aliarumve feminarum loquacitates audiat; demum ita se gerere, ut omnes perfecte noscat, nec unquam curiositatis, temeritatis et imprudentiæ notam incurrat.

Revera, ut ait Concilium Suessionense, an. 1849, « quamvis a quolibet inutili per parœciam discursu abstinere debeat Parochus, *non tamen officio suo satisfecisse arbitretur*, si, domi inclusus, exspectet ut ad ipsum veniant parochiani. Semper equidem valuit, sed hisce præsertim tem-

poribus valet hoc præceptum : *Ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* » *Institut. canon.*, Tract. 5, n. 256.

87. — IV. *Pro parochianis orare.* Parochus tenetur Missæ sacrificium pro parœcia offerre omnibus Festis ac diebus Dominicis, ut dictum est in Tract. *de Euchar.*, n. 217 et seq. Sed etiam frequenter orare debet pro suis ovibus, ut supremæ benedictionis effusio in illas pro sua cujusque necessitate descendat.

Demum curare maxime tenetur Parochus, ut omnes parochiani discant orare, ut convenienter orent, suosque orare doceant. Hoc autem efficacius consequetur, si quandoque, præsertim Festis et diebus Dominicis nec non tempore Adventus et Quadragesimæ, matutinas orationes ac serotinas publice agat. Vide *Institut.*, *canon.*, *ibid.*, n. 258-60.

88. — V. *Residere in parochia.* Sub gravi tenentur Parochi in sua parœcia residere. Nam Conc. Trid., sess. 23, c. 1, postquam definivit residentiam esse graviter Episcopis præscriptam, « declarat et decernit idem esse affirmandum de *Curatis inferioribus* et *aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent;* et ideo qui præfatam legem absque sufficienti causa infrangit, ipso facto privatur jure ad beneficii fructus pro rata parte absentiæ, et insuper ferenda sententia ipso titulo destitui potest. » Quæ obligatio urget, etsi parœcia sit exigua, et in ea tres tantum aut quatuor remaneant incolæ; ita S. Congreg. Conc. et omnes Canonistæ. Revera, quomodo Parochus omnia sua munia erga oves suas adimplere posset, si mercenariorum more illas desereret?

89. — Residentia autem debet esse *materialis* simul et *moralis*. Residentia *materialis* supponit Parochum inhabitare domum, quæ sita sit intra limites parœciæ; quod stricte intelligi debet; adeo ut S. Congregatio pluries olim et annis proxime elapsis responderit Parochum non satisfacere legi, qui sedem suam erexerat in loco vicino suæ parochiæ, sed extra limites. Si duas habeat parœcias, in

digniore, vel, si non constet quæ sit dignior, in frequentiori resideat Parochus; si una sit extra et altera intra civitatem, in posteriori sit residentia; et omni casu prope ecclesiam parochialem, in quantum fieri potest. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 293.

Residentia *moralis* requirit ut Parochus regulariter commoretur diu noctuque in sua parochia, et præsto sit ad subveniendum necessitatibus fidelium; ita ut Parochus, qui, licet domicilium habens in parœcia, sæpius abesset, legem residentiæ non observaret.

90. — Hinc, ut Parochus jure possit abesse a suo parochia, tres requiruntur conditiones nempe, causa rationabilis, Episcopi licentia, substitutio alterius Sacerdotis, qui, durante Parochi absentia, parœciæ provideat.

1. *Causa rationabilis*. Conc. Trid , sess. 23, c. 1, declarat absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, *absque gravi causa*, non debere *duos* aut ad summum *tres menses excedere*. Unde concludunt non pauci causam ita gravem non requiri, sed sufficere motivum honestæ recreationis ad sublevandum animum, ut Parochus per bimestre sive continuum sive interruptum abesse queat. Hoc non abnuimus, modo parochia nullum patiatur detrimentum, ut expresse exigit Conc. Trid., *ibid.*, nec disciplina Diœcesis obstet.

2. *Licentia Episcopi*, aut Vicarii generalis non solum ad absentiam bimestrem, sec etiam brevem, v. g., per hebdomadam, ut communiter docetur. Etenim Conc. Trid. *ibid.*, requirit ut *causa absentiæ prius per Episcopum sit cognita et probata;* sacra autem Congreg. Conc. sæpe declaravit illicitum esse Parocho deserere, *etiam ad breve tempus*, parochiam, quantumvis existimet se sufficientem habere rationem, si Episcopus hanc non arbitretur sufficientem, petitamque licentiam denegaverit; ita iterum 31 jan. 1874. Attamen licentia Episcopi non requiritur ad absentiam per unum aut alterum diem, ex causa quæ ipsi Parocho legitima videatur. In hac re serventur Diœceseon statuta.

3. *Substitutio alterius Sacerdotis*, qui, durante Parochi

absentia, parœciæ provideat. Etenim Conc. Trid. *ibid.*, sic loquitur : « *Quandocunque abesse contigerit, Vicarium idoneum* et ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione *relinquant.* » Unde multi a culpa gravi difficile excusant eum qui, nullo Vicario substituto, per triduum abest, etiamsi nullus existat ægrotus, nisi causa subsit extraordinaria. Hoc præcipue applicandum est, quando Sacerdos vicinus longe distat, aut aliquod timendum est periculum. Si quis existat infirmus periclitans, nulla de causa abesse potest Parochus, nisi substituto Sacerdote idoneo. Quis revera unquam commensurare poterit detrimentum unius tantum animæ quæ, occasione absentiæ Parochi, in æternum perierit!

91. — Ex Conc. Trid., *ibid.*, Parochi obligantur ad *personalem* residentiam in parœcia, *ubi injuncto sibi officio defungi tenentur;* ergo, ut aperte declarat Benedict. XIV, Bulla *Grave,* non est vera et proprie dicta residentia, nisi ea sit formalis seu *utilis.*

Porro sane utilis non est illius residentia Parochi, jam ætate aut infirmitate debilis, suoque officio ita imparis, ut, defectu actionis ex parte Parochi, jam quotidie dilabatur bonum, quod per ætatem virilem tot tantisque conatibus ille ædificavit. Unde, si quis ex quacunque causa judicio viri prudentis; factus sit suo officio plus minusve impar, suam impotentiam compertam faciat Episcopo, atque sponte titulum suum deponat. Parochus enim, ut jam notavimus, est pro parœcia, non parœcia pro Parocho. Nec semper sufficit quod Parochus impotens sibi coadjutorem consociet. Coadjutor enim ut Vicarius nec auctoritate, nec libertate Parochi potitur ad malum impugnandum fovendumque bonum. Vide Institut, Canon., Tract. 3, n. 267-276.

ARTICULUS IV

De Vicariorum obligationibus.

92. — *Quæritur* 1° quotuplex sit species Vicariorum de quibus hic agitur?

Resp. Triplex est species, nempe, vicarius coadjutor, œconomus, adjutor.

Vicarius *coadjutor* est sacerdos ad *auxiliandum* in totum vel pro parte *parocho infirmo* aut *imperito, a superiore competente deputatus.*

Vicarius *œconomus* est sacerdos, qui regit parochiam, dum hæc *vacat*, vel dum *ab ea absens est parochus.*

Vicarius *adjutor*, qui etiam vocatur *cooperator*, aut vicarius sine addito, est sacerdos deputatus ad *auxiliandum parocho præsenti, ob nimiam parochianorum multitudinem.* Vide Institut. canon., Tract. 3, n 292, 298, 302.

93. — *Quæritur* 2° quænam sint obligationes vicarii coadjutoris, œconomi, adjutoris?

Resp. 1° Coadjutor vicarius, si detur parocho prorsus inhabili, valet et debet omnia officia exercere, quæ ipsi parocho explenda incumbebant. Si vero parochus non sit prorsus inhabilis, tunc coadjutor ea tantum agere debet, quæ coadjutus non potest aut non vult per se complere. Institut. Canon., *ibid.*, n. 297.

2° Generatim eædem sunt obligationes vicarii *œconomici* ac ipsius parochi, atque delegatur ad universalitatem causarum. Quæ ut certo agnoscantur, attendatur ad facultates concessas in litteris deputationis.

3° Quoad vicarium adjutorem, 1. hic tenetur parocho cooperationem præstare in iis omnibus, quæ respiciunt curam animarum. Scilicet, ex decis. S. Congr. Conc., 3 oct. 1733 : « Vicarii tenentur obedire præposito in eo, quod respicit exercitium curæ animarum ; — iidem vicarii, vocati pro explenda aliqua functione parochiali, tenentur statim accedere ad ecclesiam, nisi sint legitime impediti, atque debent parocho aperire causam impedimenti in casu ; — vocatus parochus pro aliqua functione parochiali, ipse non potest eam injungere alicui ex vicariis in casu, quo non est legitime impeditus ; — in concursu plurium functionum parochialium eodem tempore explendarum, potest parochus eligere illam, quæ sibi magis libuerit in casu. » Institut. Canon., Tract. 3, n. 320.

2. Cooperatio vicarii adjutoris debet esse affectuosa, concors, reverens, obediens, efficax; *ibid.*, n. 321.

3. Vicarii, si sint duo vel plures in eadem parœcia, studere debent se invicem ad propriam sanctificationem excitare; fraternam fovere concordiam; alter alterius onera portare; se invicem honore ac obsequio prævenire; in omnibus in Domino ad bonum et salutem animarum idem sentire, atque idem velle; functiones vicariales inter se, consulto parocho, ad majorem fidelium utilitatem ex æquo et bono dividere; *ibid.*, n. 322.

4. Secundario ac subsidiarie respectu parochi, n. 75, 76, vicarius adjutor tenetur vitam suam in cura de salute parochianorum consumere; ac consequenter eos cognoscere; modo idoneo docere ac catechizare; iisdem sacramenta tempore opportuno et convenienti modo administrare; pro eis sacrificium offerre diebus præscriptis, si parochus sit impeditus, sub conditione tamen quod ipse parochus stipendium præstet vicario; pro parochianis orare; eosdem ad orationem informare; perfectum exemplum eis præbere; curare de pauperibus, cæterisque miserabilibus parochianis; in administrandis bonis ecclesiæ parochialis vices parochi gerere, si opus sit; media de consilio adhibere ad tutiorem curam de parochianorum salute; in parœcia residere, nec ab ea abesse absque parochi licentia; *ibid.*, n, 323-25.

Cætera, quæ ad statum vicariorum spectant fuse exposita manent in Institut. Canon., Tract. 5, n. 292-325.

CAPUT III

DE OBLIGATIONIBUS STATUI RELIGIOSO PROPRIIS

In Institut. Canon., Tract., 6, fuse expendimus omnia quæ ad statum religiosum pertinent. Hic tria tantum breviter contrahemus, dicendo 1° de statu religioso in se sumpto; 2° de obligationibus novitiatus; 3° de obligationibus professionis: 4° de obligationibus jure canonico professioni religiosæ adnexis.

ARTICULUS PRIMUS

De Statu religioso in se sumpto.

Tria expendenda sunt, nempe, status religiosi notio, origo, utilitas.

§ I

De notione Status religiosi.

98. — *Quæritur* 1° quid sit Religiosus, et religiosus status? *Resp.* 1. Religiosus, in genere, ille est qui se totaliter mancipat divino servitio, quasi holocaustum se offerens; S. Th., 2. 2, q. 186, a. 1. Apostoli Religiosos olim vocarunt θεραπευτάς, a puro Dei cultu et obsequio cui vacabant; vel monachos, a græcis vocibus μόνος *solus*, ἔχω *habeo*, a vita singulari quam agebant; vel ἀσκητάς, id est exercitatores, quia scilicet vitæ perfectioris exercitationi se dederant. Dicti sunt quoque *sanctimoniales* aut *moniales* brevitatis causa, *regulares, patres, dominici*, etc.

Religiosus autem status stricte dictus est modus vivendi ex se permanens, *quo ad perfectionem vitæ christianæ tenditur per tria vota perpetuâ obedientiæ castitatis et paupertatis, sub regula vitæ communis ab Ecclesia approbata.*

Dicitur 1 : *quo ad perfectionem vitæ christianæ tenditur.* Quibus indicatur finis status, de quo agitur. Scilicet, perfectio christiana duplex est, alia communis et sine qua nemo salvari potest, juxta illud : « *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* » Matth. 19. v. 17. Alia vero specialis, non necessaria, sed utilis, quæ in observatione consiliorum evangelicorum nititur, ita ut affectus totaliter tendat in Deum; hæc autem specialis perfectio est finis religiosi status. n. 109, juxta illud : « *Si vis perfectus* ese, vade, *vende quæ habes,* et *da pauperibus;* et veni, *sequere me;* » Matth. 19, v. 21.

Dicitur 2 : *per tria perpetua vota obedientiæ, castitatis et paupertatis.* In his comprehenditur substantiale elementum status religiosi, seu primarium medium quo ille status instituitur. Ex dictis enim, status religiosus est modus vivendi ex se aliquo modo permanens, quo quis studet Deo

totaliter inhærere per praxim consiliorum evangelicorum : porro, ex una parte, tria sunt consilia evangelica, obedientiæ scilicet, castitatis et paupertatis voluntariæ; et, ex altera vero, stabilitas in servando illa consilia voto perpetuo assecuratur; et ideo tribus illis votis principaliter instituitur status religiosus. Et vero, per tria illa vota homo permanenter a se removet omnia impedimenta, id est, superbiam vitæ, concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum; atque Deo in perpetuum offert totum quod habet, nempe, animam per votum obedientiæ, corpus per votum castitatis, bona externa per votum paupertatis; ergo tria illa vota requiruntur et sufficiunt ad essentiam status religiosi.

Unde religiosi proprie dicti non sunt, qui tria consilia evangelica ad praxim reducunt, quin de illis votum emiserint; nec qui aliquod tantum ex tribus votis voverunt : nec qui tria illa vota emiserunt ad tempus tantum.

Dicitur 3 : *sub regula vitæ communis;* in hoc consistit accidentale elementum seu secundarium medium, quo instituitur religiosus status. Etsi enim tria vota de consiliis evangelicis, Dei nomine ab aliquo ad hoc potestatem habente acceptata, per se sufficiant ad essentiam religiosi status, tamen spectato hodierno jure ecclesiastico, ille status coram Ecclesia non existit, nisi in vita communi sub uno prælato et sub una regula ad vitæ christianæ perfectionem obtinendam per se idonea.

Hinc religiosi proprie dicti non sunt, qui, editis votis perpetuæ castitatis et paupertatis, obedientiam confessario aut Episcopo vovent; quia tali voto superioribus non subjiciuntur; nec illi etiam, qui studio perfectionis acquirendæ degunt in eremo, ut Deo vivant anachoretarum more, nisi tamen habeant cum aliis ejusdem instituti consocialibus communem prælatum et regulam, uti servatur in congregationibus Eremitarum.

Dicitur 4 : *approbata ab Ecclesia*, scilicet, a S. Pontifice, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 187. Quæ approbatio duo importat, 1. judicium de honestate et utilitate talis regulæ ad conducendum fideles per viam perfectionis; 2. potesta-

tem superioribus datam recipiendi nomine Christi et Ecclesiæ vota illorum, qui hoc vitæ genus volunt profiteri, eosque in statu religioso constituendi. Talis approbatio jure ecclesiastico requiritur ad statum religiosum proprie dictum, eo sensu quod Ecclesia ut verum religiosum non habeat eum, qui tria vota non profitetur sub regula vitæ communis ab ea approbata, etsi hæc approbatio non sit per se de essentia religiosi status, ut sentiunt plerique Theologi contra quosdam.

Hinc religiosi proprie dicti non sunt, qui licet tria vota emittant, et in communi vitam ducant, regulam tamen a S. Sede approbatam non profitentur : quales sunt variæ congregationes virorum aut piarum feminarum ab Episcopo tantum approbatæ. Hoc autem non obstante, illi eodem merito coram Deo gaudere possunt, cum eamdem sui abnegationem Domino exhibeant.

99. — *Quæritur* 2° quodnam sit discrimen inter vota solemnia et simplicia, et an simplicia vota ad religiosi status essentiam sufficiant?

Resp. 1° Non omnino consentiunt auctores circa discrimen inter vota solemnia et simplicia. Juxta probabiliorem sententiam, solemnitas voti non oritur ab apparatu, nec a cæremoniis aut ab aliquo ritu benedictionis; sed ab effectu morali, quem producit præcipue ex voluntate Ecclesiæ illud votum acceptantis, et qui voto simplici non tribuitur. Hujusmodi moralis effectus duplex est, scilicet per solemnitatem voti. 1. Religiosus se in perpetuum tradit et obligat religioni, quæ vicissim erga suum religiosum obligatur, adeo ut vinculum ex utraque parte sit per se indissolubile. 2. Religiosus fit inhabilis ad valide producendum quosdam actus votis repugnantes, ut infra dicemus, n. 112, 115, 116.

2° Ad essentiam religiosi status sufficiunt vota simplicia. Namque Gregor XIII. Bulla *Ascendente*, an. 1581, declaravit vere religiosos esse et ubique censeri et nominari debere Jesuitas scholasticos et formatos, qui tamen vota simplicia tantum emittunt.

Insuper, omnes agnoscunt statum religiosum fuisse in Ordinibus SS. Pachomii, Hilarionis, Benedicti; et nihilominus valde dubium est an solemnia fuerint vota ab illis religiosis emissa.

Revera, majus quidem incitamentum ad pietatem præstatur solemnitate votorum, atque efficacius impedimenta removentur, eo ipso quod pleniorem abdicationem proprii arbitrii efficiat : hoc autem ad religiosi status essentiam non pertinet, cum majus et minus non variant species.

100. — Notandum est, ex hodierna praxi, Sedem Apostolicam nova Instituta religiosa non approbare ut Ordines proprie dictos seu *regulares*, sed solum ut congregationes religiosas seu *seculares* cum votis simplicibus, quibus proinde privilegia votis solemnibus annexa non jam per se competunt. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 739, t. 2, p. 305.

Disputant autem Theologi quid a parte rei et coram Deo discriminis sit inter illos, qui tria vota *simplicia* in perpetuum emittunt in Ordine *regulari*, ut sunt, v. g., scholastici societatis Jesu; et illos qui eadem vota similiter perpetua emittunt in congregatione seculari rite a S. Pontifice approbata, ut sunt, v. g., Presbyteri Missionis, Redemptoristæ, etc.

Probabilius videtur rationem discriminis non a votorum natura esse repetendam, sed a voluntate Ecclesiæ, quæ statuit alia Instituta fore proprie religiosa, et qua talia, submitti legibus et perfrui juribus status religiosi; alia vero accenseri Congregationibus secularibus, quæ legibus propriis reguntur et magis subsunt jurisdictioni ordinariæ Episcoporum. Revera a voluntate Ecclesiæ pendent existentia et conditio Institutorum publicorum, quæ in illius sinu formantur pietatis causa.

101. — *Quæritur* 3° an in Gallia, attento præsenti rerum statu, esse possint solemnia vota, et an talia sint vota querumdam Ordinum religiosorum in Galliis?

Resp. 1. In præsenti rerum statu, solemnia esse possunt vota, quæ regulares, sive viri, sive mulieres, emittunt in Galliis. Cum enim solemnitas voti ad solum Ecclesiæ forum pertineat, vota erunt solemnia in Galliis haud secus ac in aliis regionibus, si velit Ecclesia. Equidem in Gallia lex civilis omnibus religiosis agnoscit dominii capacitatem, imo dominium ipsum. Hoc tamen non obstante, Ecclesia statuere potest, ut regulares nullum dominium rerum temporalium acquirant, nec ullam rem sibi propriam retineant, de illave disponere præsumant, nisi annuente suo prælato : quod autem sufficeret ad voti paupertatis solemnitatem.

Hoc confirmatur tum ex declarationibus SS. Congregat., quæ manifeste indicant eam esse mentem Ecclesiæ Romanæ, ut subsistat votorum solemnitas, quidquid decreverit potestas secularis; tum ex praxi Ecclesiæ a primævis seculis ad nostram ætatem. Religionibus enim solemnibus cooptati fuerunt professione votorum viri cujuslibet nationis sub ditione principum hæreticorum et paganorum, eamdem prorsus ratione ac sub ditione principum catholicorum.

2. De facto solemnia sunt vota in Galliis emissa, si fiant in una religionum, quæ fuerunt cum votis solemnibus approbatæ; modo nulla in contrarium data sit declaratio S. Sedis, et aliunde servatæ supponantur regulæ jure communi præscriptæ.

Hinc, apud Benedictinos, Carthusianos, Cistercienses, Fratres Minores, Prædicatores, Jesuitas, etc., etiam in Gallia, emitti possunt vota solemnia. Vide *Analecta*, 1869, col. 365. E contra S. Sedes haud semel declaravit se non acceptare ut solemnia, sed tantum simplicia, vota monialium in Galliis degentium. Ita statuit S. Sedes ob varias gravesque difficultates, quæ in præsenti rerum stati consequi possent ex solemnitate voti, scilicet, ex indissolubilitate vinculi religiosi, ex strictiori clausura super quam solus S. Pontifex dispensare potest, ex inhabilitate ad contrahendum, exceptis tamen Sabaudiæ et Niceæ provinciis.

Attamen, ex decreto S. Pœnitentiariæ, 23 dec. 1835, « Sorores monasteriorum Galliæ lucrari possunt indulgentias omnes, quæ Instituto aliorum monialium solemnia vota emittentium secundum institutum seu regulam respectivam concessæ fuerunt; idque ex indulto Pii VII, a Gregorio XVI confirmato. »

§ II

De origine Status religiosi.

102. — *Quæritur* quandonam institutus fuerit religiosus status?

Resp. Status religiosus fuit adumbratus in lege veteri, institutus a Christo quoad substantialia, et ab Ecclesia quoad accidentalia.

Et quidem 1° *adumbratus in veteri lege*. Apparent enim sub veteri lege vitæ religiosæ primordia in filiis Prophetarum, in Rechabitis et in Esseniis [1]. At probabilius est defuisse sub veteri lege homi-

1. Filii Prophetarum, quos S. Hierony. Epist. *ad Rustic.*, vocat *monachos veteris Test.*, vitam sanctiorem agebant sub regimine Prophetæ, cui se discipulos commiserant. Illorum mentio frequens habetur in libris Regum.

Rechabitæ sic nominati a Rechab, patre Jonadab ipsorum institutoris, sociotatem a communi vivendi modo alienam formabant, cujus disciplina hæc erat : 1. abstinere a vino, sicera, et omni liquore, qui possit inebriare; 2. habitare

nes, qui emiserint tria vota et præsertim perpetua, atque sub regula vitæ communis; et ideo religiosus status fuit tantum adumbratus sub lege veteri. Re quidem vera *nihil ad perfectum adduxit lex vetus*, Hebr. 7 : porro status religiosus est modus vivendi ex se perfectus; ergo non extitit sub lege veteri. Sed

2° *A Christo fuit institutus quoad substantialia*. Namque substantia religiosi status in tribus votis consistit, ex dictis n. 98 : porro Christus, dando tria consilia obedientiæ, castitatis et paupertatis, eo ipso incitavit ad amplectendam illam vitæ rationem, qua certius ac perfectiori modo, nimirum, votis emissis et a superiore nomine Dei acceptatis, illa consilia observentur : qui enim vult perfecte finem, eodem modo vult efficacissima media ; ergo status religiosus est de *jure divino non quidem præcipiente, sed consulente*, ut ait Suarez cum aliis doctoribus, *de Relig.* lib. 3, c. 2, n. 3.

Quare Pius VI, in Brevi *Quod aliquantum*, 10 mart. 1791, declarat decretum, quo Conventus nationalis aboleverat Ordines regulares, *lædere statum publicæ* professionis *consiliorum evangelicorum* et vivendi rationem in Ecclesia commendatam tanquam doctrinæ *Apostolicæ* consentaneam.

Revera decuit ut Christus, sicut pro universo mundo novam legem et gratiæ plenitudinem attulit, ita etiam intra suam Ecclesiam novam vivendi rationem excellentiori modo conducentem ad perfectionem institueret ac demonstraret. Aliunde status religiosus maxime consistit in sequendo et imitando Christum ; et ideo ad institutionem illius status, expediebat ut Christi rationis agendi virtutumque cognitio generalis et perfecta evasisset, cum status religiosus omnibus proponatur.

3° *Ab Ecclesia institutus quoad accidentalia*, scilicet, quoad peculiarem determinatumque modum vivendi tali vel tali Ordini proprium. Christus enim nullum peculiarem instituit Ordinem, sed solummodo religionis statum secundum suam essentiam. Vide Montalembert, t. 1, p. 41 et seq.

procul ab urbe, et in tentoriis; 3. non serere frumentum, nec vineas plantare. Jerem. 35, v. 6. Videtur Rechabitas extitisse usque ad tempus eversionis templi a Nabuchodonosor; ab ea ætate, post reditum gentis Judaicæ a servitute Babylonica, nulla est eorum mentio.

Essenii abrenuntiabant conjugio et dominio privato, ac superiori inter seniores electo obediebant, ut vitam contemplativam agerent. De illis illustris est narratio apud Philonem, lib. *de Vita contempl.*, et apud Josephum, *de Antiquit.*, lib. 18, c. 2, et *de Bello Judaic.*, lib. 2, c. 7. Attamen multi Patres existimarunt illos de quibus loquitur Philo, non fuisse Judæos, sed Christianos. Vide Suarez, *De Relig.*, lib. 3, c. 1.

103. — Cæterum religiosus status continua et non interrupta traditione in Ecclesia servatus fuit. A primis siquidem temporibus exstiterunt veri religiosi inter Ascetas et Anachoretas; imo fuerunt in quibusdam locis Cœnobitæ[1]. Horum autem præcipui auctores fuere S. Pachomius et S. Hilario in oriente, et S. Benedictus in occidente. Subsequentibus seculis ad nostram usque ætatem, ubique terrarum floruere Regularium Ordines, quibus quasi pretiosissimis gemmis præfulget Ecclesia.

104. — Ratione *finis*, Ordines distinguuntur in tres classes; prout ex primari sua institutione profitentur vitam contemplativam, activam aut mixtam. Vita contemplativa consistit in interno exercitio caritatis per divinæ veritatis contemplationem; talem vitam agunt Carthusiani, Carmelitæ, etc. Vita activa consistit in externo exercitio caritatis, præcipue per opera externa : hoc modo vivunt Jesuitæ, plerique hodierni Ordines, et Sacerdotes sacro ministerio incumbentes. Demum vita mixta nititur interno exercitio caritatis, partim per divinæ veritatis contemplationem, partim per opera externa; ita instituuntur Cistersienes, Fratres Minores, Prædicatores.

105. — Ratione *regulæ*, quatuor sunt præcipuæ Ordinum species, prout sequuntur regulam S. Basilii, vel S. Augustini, vel S. Benedicti, vel S. Francisci. Alteram ex illis quatuor amplexati sunt plerique fundatores Ordinum et Congregationum, adjectis statutis peculiaribus, quibus suam quisque familiam ad finem proprium adduceret.

§ III

De utilitate Status religiosi.

106. — Magna profecto omnibusque obvia est religiosi status utilitas tum pro religiosis ipsis, tum pro societate ecclesiastica, tum pro societate civili.

Et quidem 1° *pro Religiosis ipsis*. Namque religiosus, tribus votis emissis, vitamque communem sub prælato

1. *Ascetæ*, a græco ἀσκητής, *exercitator*, sive intra civitatem propriisque ædibus, sive in agris, austerius vitæ genus profitebantur exercitio orationis aut caritatis erga pauperes. Verisimile est plures ex illis hoc vitæ genus vovisse, sub regimine sui Antistitis.

Aachoretæ a græco ἀναχωρέω *separari*, vel eremitæ, a græco ἔρημος *solitudo*, singulares vitam agebant in solitudine Inter illos præstant S. Paulus et S. Antonius.

Cœnobitæ, a vocibus græcis κοινός *communis*, ac βίος *vita*, communem vitam in cœnobio seu monasterio agebant.

agens, procul dubio zelum propriæ sanctificationis efficacius fovet; juxta divinam voluntatem diu noctuque omnes suos actus tutius instituit; tempus in vita sancta transigenda et commodis Ecclesiæ promovendis certius consumit, n. 13, 14, 15; sicque securius ad perfectionem procedit, salutemque consequitur. Quare vocatio ad statum religiosum semper inter electissimas gratias computata fuit. Revera experientia constat in statu religioso numerosiores floruisse Sanctos, vitamque pro plerisque multo magis labori deditam et feliciorem fluxisse.

2° *Pro societate Ecclesiastica.* Religiosi enim, cum omnibus mundi illecebris in perpetuum valedicant, ut arctioris disciplinæ omniumque virtutum praxi totaliter incumbant, sane viva efficaciaque vitæ supernaturalis exempla mundo proponunt.

Insuper, Religiosi, qui rerum divinarum contemplationi et orationi instant, super innumera mundi crimina iram Dei placant, veniam pro multis erogant, nutantisque orbis statum orationibus sustinent. Si enim Abraham deprecatione sua potuit a Sodoma ruinam avertere, quid ad mundi salutem non potuerint tot Justorum instantes fervidæque preces!

Demum Religiosi, qui vitæ activæ sunt dediti, ex amore Christi, patres aut matres pupillorum et infirmorum fiunt; juventuti informandæ verbo et exemplo sese devovent: miseris quibuscunque etiam in extremis terræ locis auxilium ferunt; voluntarie animam non pro amicis tantum, sed et pro ignotis sæpiusque adversariis ponunt; per prædicationem pro Clero seculari sunt subsidia utilissima et quam maxime efficacia ad peccatores e somno excutiendos et ad exercitium præcellentissimarum virtutum promovendum, ita ut maximum et irreparabile detrimentum pateretur Ecclesia ex exitio Ordinum religiosorum.

3° *Pro societate civili.* Nemo enim, nisi historiæ sit omnino ignarus, negare potest quam præclare Monachi de posteritate meruerint; siquidem eorum indefessis conatibus non solum christianam religionem, sacras ac profanas scientias, artes liberales, sed ipsam quoque terræ fertilitatem de-

bemus : adeo ut ipso opere comprobaverint « *pietatem* ad omnia esse utilem, atque promissionem habere vitæ, quæ nunc est, et futuræ; » I Tim. 4. Vide hac de re eximium opus a de Montalembert, *les Moines d'Occident. Introduct.* c. 4, 5, 6.

ARTICULUS II

De obligationibus quas inducit Novitiatus.

Quæ obligationes spectare possunt Superiorem, vel Novitium ipsum.

107. — 1° Quoad *Superiorem*. 1. Nullum novitium potest recipere absque testimonialibus Ordinarii tum originis, tum loci in quo postulans, post expletum decimum quintum annum ætatis, ultra annum moratus est. Testimonialium ratio est dicere ætatem, mores, famam, educationem, scientiam postulantis; an etiam gravetur ære alieno, an obnoxius sit ratiociniis reddendis, an inquisitus in foro externo, an vitam religiosam eligerit sua sponte ad Deo serviendum.

2. Plena libertas dari debet novitiis deserendi propositum, si voluerint; et ideo non tenentur donationibus vel renuntiationibus, quas antea fecissent in favorem cujusque causæ piæ, intuitu futuræ suæ professionis, si professio non sequatur. Ita Conc. Trid. sess. 25, c. 16. In hoc decreto agitur tantum de donationibus et renuntiationibus *alicujus momenti*, factis a novitiis congregationum in quibus emittuntur vota solemnia, et quidem post inchoatum novitiatum, aut saltem postquam novitius ingressus est in monasterium; non vero de renuntiationibus quas antea fecisset. Hæc interpretatio communis est Canonistarum.

Imo Conc. Trid., sess. 25, c. 17, libertati virginum Deo consecrandarum prospiciens, statuit ut puella, quæ habitum religionis suscipere voluerit, non eum ante suscipiat, nec postea professionem emittat, quam exploraverit Episcopus aut ejus Vicarius virginis voluntatem, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat.

3. In quacunque religione tam virorum, quam mulierum,

professio non fiat ante decimum sextum annum, nec nisi postquam novitius a die susceptionis habitus *per annum integrum in probatione steterit*, et quidem in monasterio Ordinis, quem profiteri intendit novitius.

Annus ille probationis debet esse continuus, ita ut iterum incipiendus esset, si quis novitius e monasterio, ut in aliam religionem ingrederetur, abiisset, ac duas tantum horas in alio conventu moram traxisset. Secus vero, si novitius ægrotet in monasterio, etiam notabili tempore, licet exercitiis novitiorum adesse minime possit; vel si, violentia coactus, e monasterio discedat, et postea redeat; vel si acceptata licentia, brevi tempore divertat ad parentes, vel alios, sanitatis recuperandæ aut negotiorum agendorum gratia; vel si falsa accusatione dimittatur, et postea cognita veritate, rursum admittatur; vel si iter agat, jussus a suis superioribus, quia tunc eorum dependentia remanet; vel, juxta plures et ipsam S. Congr. Conc., 28 apr. 1736, si novitius, non dimisso habitu, cum intentione deserendi religionem, egrederetur et statim reverteretur.

108. — 2° *Quoad Novitium*, iste non tenetur in conscientia servare regulam et præcepta communia Ordinis religiosi, licet omnino deceat hæc servari. Imo probabilius Superior nihil præcipere potest novitiis mandato particulari inducente obligationem, etiam comminatione censurarum.

Novitius egrediens e monasterio non tenetur conventum indemnem facere ab impensis sui causa factis, nisi id stipulatum censeatur, vel fraudulenter ingressus fuerit monasterium absque seria intentione religionem profitendi. Conc. Trid. præcepit, ut abeuntibus omnia restituantur, quæ sua erant.

ARTICULUS III

De obligationibus quas inducit Professio religiosa.

Emissio votorum per professionem religiosam inducere potest obligationem generalem tendendi ad perfectionem vitæ christianæ, et obligationem specialem unicuique voto correspondentem. Unde

109. — *Quæritur* 1° an et quomodo emissio votorum per professionem religiosam implicet obligationem tendendi ad perfectionem?

Resp. 1. Tendere ad vitæ christianæ perfectionem est finis status religiosi, ex dictis, n. 98 : atqui, per religiosam professionem, status religiosus amplectitur; ergo hæc professio essentialiter implicat specialem obligationem tendendi ad perfectionem christianam; ita ut religiosus non teneatur quidem vi suæ professionis esse perfectus, sed perfectioni studere, seu meliori modo præcepta adimplere, ac in rigore requirat præceptum.

2. Contra autem hujusmodi finem et obligationem agit, qui vota sæpe sæpius infringit in re gravi; qui regulas ex contemptu generatim prætermittit, id est, eas transgreditur animo non subjacendi illis, vel eas ut inanes habet. Tunc enim eo ipso negligit media, quibus ad perfectionem tendere debet; et ideo implicite contemnit ipsum Superiorem, lædítque votum aut virtutem obedientiæ.

An vero graviter peccet religiosus, qui intendit servare tantum mandata, quæ obligant sub gravi, et de cæteris nullatenus curare, controvertitur. Alii affirmant, quia tale propositum est virtualis regularum contemptus; ita Lacroix, Elbel, Sylvester, etc. Alii autem probabilius et communius negant; religiosus enim, eo ipso quod velit adimplere plura quæ pro aliis sunt meri consilii, etsi ipsum sub gravi obligent, jam tendit ad perfectionem. Ita Sanchez, Salmant., S. Ligor., lib. 4, n. 11. Cæterum, ut advertit S. Ligor., religiosus ita dispositus in gravi periculo versatur peccandi mortaliter ex aliis capitibus, v. g., ratione periculi vota transgrediendi, vel grave damnum inferendi Ordini quoad disciplinam, etc.

110. — *Quæritur* 2° ad quid obliget votum *obedientiæ?*

Resp. Voto obedientiæ religiosus obligari potest ad obsequium præstandum Superiori, et etiam ad regulam Instituti servandam.

1° Votum obedientiæ *directe* obligat ad obediendum Superiori in omnibus, quæ præcipit *secundum* regulas et

constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite res præscripta in regulis contineatur. Non obligat autem ad ea, quæ sunt *contra*, vel *supra*, vel *extra* regulas. Religiosus enim se tradidit Superiori, promittendo obedientiam juxta finem et regulas Instituti, et non aliter.

Unde *cæca* obedientia, quam tanti operis commendarunt plures sancti fundatores Ordinum, nihil aliud est quam pia et commendabilis affectio cordis, qua religiosus inclinatur ad obsequendum suo Superiori *juxta regulam* Instituti præcipienti, non dijudicando motiva mandati, nec opportunitatem, in iis quæ cæteroquin ipsi non videntur ulla ratione illicita.

Cæterum implicite in regula continentur, quæ sunt moraliter necessaria ad conservationem Instituti, ad mutua caritatis officia, ad correctionem defectuum, ad ordinem regularem servandum, ut communiter obtineatur finis Instituti.

Præceptum autem Superioris obligat sub gravi, si jubeat in materia gravi et in virtute sanctæ obedientiæ, aut simili forma; vel sub levi tantum, si præcipiat in materia levi, aut sub remissiori forma; vel sub nullo peccato, prout ex usu recepto res in Ordine communiter interpretatur.

Tandem Superior sub gravi tenetur etiam leves defectus subditorum, in damnum totius communitatis vergentes, non solum corrigere, sed etiam inquirere, ut corrigat, seclusa tamen nimia sollicitudine. Sed expedit ut dissimulet si defectus scandalum non afferant, vel si prævideat subditum ex correctione pejorem fieri, vel si tempus opportunius sit exspectandum. S. Ligor., lib. 4, n. 13.

2° Quoad *regulam*, votum obedientiæ non obligat ad servandum omnia quæ sunt in regula, sed ad obediendum secundum regulam, ut jam dictum est; et ideo propria obligatio regulæ ut sic, non obedientiæ, sed ex propria ratione legis et ex principiis ejus est colligenda. Ita S. Th. 2. 2, q. 186. a. 9, ad 1; Suarez, tom. 4, lib. 1, c. 2, n. 7.

Regula autem quædam tantum præscribit sub gravi, ea præsertim quæ spectant tria vota substantialia vitæ reli-

giosæ; alia præscribit sub levi, quales sunt exteriores observantiæ, quæ multum conducunt ad votorum observantiam; quædam demum præscribit sub pœna tantum, uti sunt exercitia quotidiana, silentium, modus quo quisque suo officio fungi debeat, etc.

In Ordine Fratrum Prædicatorum et in societate Jesu, constitutiones et ordinationes, exceptis votis, non inducunt obligationem conscientiæ, etiam sub veniali, nisi adhibeantur signa expressa hujusce obligationis, v. g., præcipimus sub pœna excommunicationis, in nomine Domini, in virtute sanctæ obedientiæ. Probabile est regulas non aliter explicari in plerisque aliis Ordinibus.

Attamen, juxta omnes, transgressio regulæ facta per accidens seu ob rationes extrinsecas, rarissime vacat omni culpa, v. g., negligentiæ, concupiscentiæ, scandali, pigritiæ, contemptus, aut alterius cujuslibet motus inordinati.

Quidquid sit, obediendum est Superiori, atque regula est observanda *supernaturaliter*, seu ex impulsu gratiæ et ex motivo supernaturali, non vero quasi hominibus placentes, Coloss. 3, v. 22; *alacriter*, seu cum gaudio et animo volenti; « hilarem enim datorem diligit Deus; » II Cor. 9, v. 7; *diligenter*, seu statim, vel tempore præscripto, et cum debita cura, absque segnitie; *ex integro*, totum opus præscriptum perficiendo.

111. — Hinc 1. illud intercedit discrimen inter virtutem et votum obedientiæ, quod objectum voti sit *exsecutio externa* mandati Superioris; dum virtus obedientiæ usque ad *internam* animæ submissionem pertingit, eamque perficit. Unde qui prælati mandato actione externa integre obsequitur, sed reluctante, mœsta et ægra voluntate, voto quidem satisfacit, sed a virtute recedit. Similiter religiosus, Superiori vere præcipienti inobediens, duplex peccatum facit, unum contra præceptum naturale obediendi Superiori legitime præcipienti, et alterum contra votum obedientiæ.

112. — Hinc 2. solemne obedientiæ votum a simplici

differt sub duplici præsertim respectu. Scilicet, dispensatio multo facilius obtineri potest a voto simplici, quam a solemni, quod nonnisi a Papa et gravissima de causa solvi potest. Sed etiam votum simplex reddit *illicitam* obligationem sine consensu Superioris contractam; votum autem solemne ita inferioris voluntatem auctoritati Superioris obstringit, ut religiosus nullam amplius obligationem, neque naturalem, neque civilem, sine consensu superioris *valide* contrahere possit.

Cæterum, in electione superiorum quorumcunque, Abbatum temporalium et aliorum præpositorum, procedendum est per vota secreta sub pœna nullitatis, ex Conc. Trid., sess. 25, c. 5, *de Regul.*, et ex decis. S. Cong. Conc., 17 aug. 1872.

113. — *Quæritur* 3° ad quid obliget votum *castitatis?*

Resp. Votum castitatis interdicit non solum ea, quæ sunt contra virtutem castitatis et prohibentur a sexto Decalogi præcepto; sed etiam ea, quæ in legitimo matrimonio licite fieri possunt. Unde, vi illius voti, seu ex virtute religionis, religioso illicitum fit illud quod prius licitum erat; et ex duplici virtute religionis et castitatis illicitum fit id, quod prius illicitum erat ex virtute castitatis tantum.

Equidem nonnulli asserunt peccata luxuriæ mere interna voto castitatis non adversari; quia, aiunt, religiosus Deo dicat tantum corpus, cujus voluptatibus renuntiat per votum castitatis. Communior tamen doctrina est religiosum vi voti castitatis, teneri abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea, sive interna, sive externa, ita ut, si castitatem quocunque modo lædat, duo peccata luxuriæ et sacrilegii committat. Suarez, *de Relig.*, t. 4, lib. 9, c. 2, n. 20.

114. — Exinde patet discrimen inter virtutem et votum castitatis. Scilicet, in hoc differunt, quod in iis, quæ virtute prohibentur, tria dantur peccata, si votum violetur; dum duo committuntur peccata in eo, quod solo voto interdicitur. Sed etiam virtus castitatis, præter strictas obligationes quas imponit, mera consilia ad majorem perfectio-

nem ducentia etiam suadet; dum votum solummodo materiam obligationis efficit.

115. — Hinc denique votum solemne castitatis a simplici differt, in eo quod votum simplex illicitum facit matrimonium; dum solemne votum prorsus dirimit subsequens connubium. Vide Tract. *de Matrim.*, n. 164, 192.

116. — *Quæritur* 4° ad quid obliget votum *paupertatis?* *Resp.* Religiosus *solemni* paupertatis voto obstrictus, non potest sive licite, sive *valide* quemlibet actum proprietatis exercere circa rem ullam, sive monasterii, sive parentum, sive externorum, aliter ac sub dependentia Superioris. Ita Conc. Trid., sess. 35, c. 2.

Religiosus autem *simplici* voto paupertatis ligatus, potest quidem dominium directum bonorum habere, sed de iis nunquam licite disponere potest sine Superioris licentia particulari vel generali, etiamsi ordo fuerit ab Episcopo tantum approbatus; quia semper eadem est voti simplicis efficacia.

Attamen sub objecto voti probabilius non comprehenduntur manuscripta propria; quia sunt aliquid spirituale utpote ingenii partus, vel quia talis est communis et recepta consuetudo inter Regulares. Idem verum est de *Reliquiis* Sanctorum.

Similiter consuetudine fere in omnibus religionibus introductum est, ut singuli religiosi ex consensu Superioris habeant peculium, id est, donum aliquod mobile, census, annuam præstationem, ad illorum peculiares usus destinatum, modo sint parati bona a se abdicare ad Superioris nutum. S. Ligor. lib. 4. n. 15.

Quoad autem materiam requisitam in violatione voti, ut sit peccatum mortale, dissentiunt auctores. Alii dicunt sufficere materiam, quæ sufficeret ad constituendum peccatum grave in materia furti; alii vero sequuntur regulas traditas circa furta a filiis familias patrata; alii tandem mediam viam tenent inter utrumque. Vide Tract. *de Justit.*, n. 167, 168.

117. — Hinc infertur discrimen inter votum et virtutem paupertatis. Scilicet, voti objectum est religiosum bonis temporalibus *externis* expoliare; dum virtus ad *internos* etiam cordis affectus extenditur; et ideo virtus paupertatis multo latius patet, quam votum; atque quoties quis votum infringit, simul et virtutem lædit; non autem vice versa.

Attamen violari potest votum per actum mere internum, qui actum externum respiceret, nempe per desiderium agendi externe contra votum, siquidem desiderium induit omnem malitiam et speciem actus externi, ex dictis in Tract. *de Peccat.*, n. 53.

ARTICULUS IV

De obligationibus jure canonico Professioni religiosæ adnexis.

Tres sunt præcipuæ ejusmodi obligationes, nimirum, gestare habitum Ordinis, recitare officium divinum, servare clausuram.

118. — 1° *Gestare habitum Ordinis.* Constitut. *Ut periculosa*, sic habet : « *Ut periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur*, districtius *inhibemus* ne de cætero aliquis, *quamcunque* religionem tacite vel expresse professus, in scholis vel alibi *temere* habitum suæ religionis dimittat. Si quis horum temerarius violator exstiterit, excommunicationis sententia ipso facto incurrat. » Unde non peccant graviter, saltem jure communi, qui intra claustra habitum dimittunt; atque excusantur qui motivo sanitatis, vel periculi vitandi, aliave ratione a suis superioribus vel consuetudine probata, ad tempus dimittunt habitum religionis.

119. — 2° *Recitare officium divinum.* Consuetudo generalis hanc obligationem induxit pro omnibus regularibus viris, et monialibus, choro addictis; ita ut, qui casu non assistunt choro, teneantur nihilominus recitare privatim Horas extra chorum, etiamsi essent religiosi fugitivi et ejecti e monasterio.

120. — 3° *Servare clausuram*, id est, non egredi e monasterio, nec permittere extraneis ingredi, sine licentia debite obtenta.

Clausura est *episcopalis* vel *papalis*, prout ab Episcopo imponitur, vel a S. Pontifice, qui solus exinde super ea dispensare potest, exceptis causis jure prævisis.

Jam vero 1. quoad *egressum* e monasterio, Conc. Trid. sess. 25, c. 4, 5, hæc de viris regularibus statuit : « Nec liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. » De monialibus autem : « Nemini sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda. » Porro causæ legitimæ pro monialibus tres indicantur a Pio V, Constit. *Decori*, scilicet, causa incendii, infirmitatis, lepræ, epidemiæ.

2. Quoad *ingressum* externorum, religiosi possunt admittere viros intra monasterium; prohibentur autem recipere mulieres in locis regularibus, id est, in claustro, dormitorio, et generatim in spatio muris cincto, quod continetur intra januam semper clausam monasterii.

Moniales neminem, nec virum, nec mulierem, admittere possunt *intra septa monasterii*, sine Episcopi vel superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Quæ licentia dari non debet nisi in casibus necessitatis. Ita Conc. Trid., sess. 25, c. 5, *de Regul.* Vide Tract. *de Censuris*, n. 57.

CAPUT IV

DE OBLIGATIONIBUS STATUI LAICALI PROPRIIS

121. — Status laicalis est vel domesticus, vel civilis, vel politicus. De obligationibus principis erga Ecclesiam actum est in Tract. *de Eccl.*, n. 27 et seq. Dicemus igitur de statu domestico, civili et politico.

ARTICULUS PRIMUS

De Statu domestico.

Domestici status obligationes spectant vel conjuges, vel parentes et filios, vel magistros et discipulos, vel dominos et famulos.

§ I

De obligationibus Conjugum.

122. — 1° Conjuges tenentur erga se invicem ad mutuum amorem, ad societatem conjugalem et cohabitationem, ad alimenta, et ea quæ ad honestam conditionis suæ sustentationem pertinent, sibi mutuo præstanda. Patet ex natura, fine et effectibus Matrimonii. Vide Tract. *de Matrim.*, n. 36, 37, 84, 127, 128; Tract. *de Virtute castitatis*, n. 96. 122.

123. — 2° Vir autem in particulari tenetur rem familiarem studiose gerere, bona tum communia, tum uxoris propria, debita diligentia administrare; sed etiam curare ut uxor munia christianæ professionis impleat; eamque delinquentem corrigere, in omni quidem caritate et patientia, ne pax et amor inter eos pereant.

Unde graviter per se peccat maritus, si uxorem verberibus, conviciis prosequatur; si absque justa causa eam impediat ab implendis præceptis divinis vel ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. g., a frequentatione discreta sacramentorum; si eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; si cum ea non cohabitet; si familiæ gubernationem negligat, etc. S. Ligor., lib. 3, n. 356.

124. — 3° Mulier ex parte sua tenetur revereri maritum tanquam suum superiorem, Genes. 3, v. 16; præstare ipsi obedientiam, Colos. 3, v. 18; inservire viro in re familiari, v. g., condire cibos, domum verrere, lintea lavare, vestes discissas resarcire, et alia hujusmodi agere, aut per famulos vel ancillas illa adimplere, ipsis tamen invigilando et curando, ut res domestica bene conservetur. Uxori enim curam domus gerere incumbit.

Unde peccat uxor, si maritum soleat irridere, subsannare, vel si asperis verbis, inobedientia contumaci, vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet; si, sine sufficienti indicio, male judicet de ejus continentia; si quid notabile ex bonis communibus subtrahat, contra mariti voluntatem et consuetudinem mulierum suæ conditionis; Tract. *de Justit.*, n. 62. Taceat uxor, si maritus est iratus vel ebrius; eum potius moneat, dum bene est affectus; et si irato respondendum sit, respondeat suaviter; responsio enim mollis frangit iram, et dura furorem suscitat. Confessarius non statim credat conjugi contra maritum conquerenti, quia mulieres ordinarie sunt procaces : sed eam hortetur ad orationem, patientiam, mansuetudinem, et majorem sollicitudinem ad obsequium viro præstandum.

§ II

De obligationibus Parentum et filiorum.

In Tract. *de Decalog.*, n. 233 et seq., diximus de obligationibus filiorum erga parentes. Hic igitur de obligationibus parentum erga filios agendum superest.

Jam vero parentes tenentur filios suos amare, eisque procurare educationem tum corporalem, tum spiritualem.

125. — I. *Amare* filios, seu eos corde, et recto ordine diligere, ipsorumque bonum curare et prospicere, in quantum possunt. Hæc obligatio in ipsis naturæ visceribus et generationis titulo fundatur; nec unquam cessat, cum nunquam dissolvatur conjunctio naturalis intimaque relatio parentum ad filios, ex qua profluit amor hujusmodi.

Nec strictius determinari potest, quandonam *positive* obliget *interni* illius amoris præceptum. Sufficit enim quod amor ille sit habitualis, et etiam efficax, data occasione, nempe, filiis procurando educationem sive corporalem sive spiritualem, nec violetur per contrarios actus.

Unde peccant contra specialem *pietatis* virtutem parentes, qui pravo affectu et injusto odio in filios incenduntur; eos suo aspectu dedignantur, gravia mala eis serio impre-

cantur, et in necessitate positis non succurrunt; qui eosdem nominibus graviter contumeliosis compellunt; occulta illorum delicta sine justa causa manifestant externis; qui filiis nimis indulgent, vel uni filio præ aliis favent sine justa ratione, sicque dant occasionem jurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum, in familiis.

126. — II. *Corporalem educationem filiis procurare,* scilicet, ratione vitæ, victus et status.

1. Ratione *vitæ.* Tenentur parentes curam prolis sedulam gerere ab ipsa conceptione, avertere omnia quæ ipsi nociva esse possunt, et invigilare ne ulli vitæ periculo exponatur. Hæc fusius dicuntur in Tract. de *Virtute castitatis,* n. 127-143.

2. Ratione *victus.* Debent parentes filiis procurare ea quæ sunt necessaria ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suæ congruum; donec filii per laborem vel industriam sibi subvenire valeant.

Mater tenetur, saltem sub veniali, filium suum lactare proprio lacte, nisi adsit justa excusatio, v. g., necessitas, notabilis utilitas, consuetudo apud familias nobiles vigens; sed tunc debet sub gravi bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere.

Si filius in adulta ætate partem sibi prius datam dissipaverit, parentes illum saltem alere debent, quum aliter se alere non potest. S. Th. 2. 2, g. 101, a. 2; S. Ligor. lib. 3, n. 336. Imo, si filius debita ad victum necessaria contraxerit, parentes ea solvere debent, cum illum nutrire teneantur. Si vero debita fuerint contracta alio titulo, parentes ad illa solvenda non tenentur nisi forte ex benevolentia et honore quodam.

3. Ratione *status.* Tenentur parentes filiis procurare statum, in quo honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint. Unde graviter peccant, qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent ut acquirant bona, ex quibus liberos convenienter sustentent, eorumque futuro statui provideant, et in hoc sensu dicitur : « Non debent filii parentibus thesaurizare, *sed parentes filiis;* » II Cor. 12, v. 14;

vel qui pigritia, negligentia, potionibus, comessationibus, ludis, negotiis graviter imprudentibus rem familiarem dissipant; qui absque causa legitima dotem filiæ convenientem pro matrimonio ineundo aut ingressu in religionem obstinate denegant; vel qui filios invitos ad statum sive conjugalem, sive religiosum, sive præsertim sacerdotalem amplectendum impellunt, vel eos qui a tali statu obnixe avertunt. S. Ligor. lib. 4, n. 77.

127. — III. *Spiritualem educationem filiis procurare*, nempe, eos docere, corrigere, eis exemplum dare.

1° *Docere*. Tenentur parentes per se vel per bonos instructores erudire filios in fide et in omnibus ad salutem necessariis, in bonis moribus et in observatione mandatorum Dei et Ecclesiæ. Filios enim non generant nisi propter Deum; atque ideo, sicut sunt Dei cooperatores ad vitam corporalem filiorum procreandam, ita, imo et a fortiori cooperatores Dei esse debent ad vitam filiorum intellectualem, moralem, et præsertim christianam, qua sola in præsenti statu naturæ humanæ homo consequi potest ultimum suum finem; et in hoc procul dubio, ministerium longe excellentius quam per generationem, et in se vere divinum exercent. « *Docete filios vestros* (verba mea) ut illa meditentur; » Deuter. 2, v. 19. — « Filii tibi sunt, *erudi illos* et *curva illos a pueritia eorum*. » Eccli. 7, v. 25.

Curent igitur parentes, ut filii quamprimum gratia baptismatis generentur; a tenerrima pueritia eos præcipua doctrinæ christianæ capita doceant, et corda eorum ad Deum inclinent; a primis annis eos orationibus matutinis et serotinis, Ecclesiæ officiis et catechismis assuefaciant, nec non a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertant; eis præficiant magistros doctrina et præsertim gravitate morum conspicuos; invigilent diu noctuque ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

Quoad *publicarum* scholarum frequentationem, jam diximus in Institut. canonicis, Tract. 4, n. 65-70. Hic igitur principia ibidem evoluta contrahere satis erit, scilicet :

1. Nostris plane luctuosis temporibus, secta politico-

religiosa Massonum, cum effrænato impietatis ac deordinationis spiritu atque diabolica astutia, sub specie ac prætextu *libertatis conscientiæ,* omni medio et occasione conatur juventutem et ipsos puerulos in atheismi et immoralitatis barathrum trahere; et exinde juventuti ac puerulis in scholis publicis gravissima damna imminent, quæ in dies magis ac magis ingravescunt. Itaque

2. Vel in schola excluditur omnis doctrina religionis catholicæ, neque in ea traduntur fidei rudimenta, Decalogi et Ecclesiæ præcepta; et tunc instat pro parentibus obligatio prolem suam committendi scholæ, in qua accurate ac convenienti methodo imbuatur fidei rudimentis, Decalogi et Ecclesiæ præceptis, et orationis praxi.

Si nulla præsto sit schola, tenentur parentes et parochi per se aut per magistros et magistras ad hoc idoneas, scholæ vicem supplere in docendis rite ac diligenter juventutem ad vitam christianam æternamque salutem omnino necessariis. Constat jure naturali, divino et ecclesiastico jam exposito in Institut. canonicis, Tract. 4, n. 63, 67.

3. Vel in schola *docentur quædam,* aut *peraguntur catholicæ doctrinæ bonisve moribus contraria,* quæque citra animæ detrimentum neque audiri possunt neque peragi: tunc hujusmodi schola pro juventute *per se* adest *proximum* perversionis periculum, quod *fieri remotum plane nequit;* et ideo ab illa schola removendi sunt pueri cum quocumque damno temporali, etiam vitæ. Institut. canon. *ibid.* n. 68.

Attamen, in casu particulari, advenire potest quod parentes sint bona fide, seu non se teneri putent ad removendos suos pueros sive a schola publica, sive a libris reprobatis, qui in schola eis traduntur, ob incommoda pro ipsis exinde obventura. Porro, attenta hujusmodi bona fide, illi parentes absolvi nequeunt, nisi posita saltem triplici conditione, nempe: 1. illa incommoda sint vere specialia; 2. periculum perversionis pro pueris sive ex parte scholæ, sive ex parte librorum, reipsa fiat, ob cautiones adhibitas, e proximo remotum; 3. hujusmodi peculiaris

tolerantia non sit pro parœcia contagiosum exemplum.

4. Idem fere dicendum est de puerorum admissione ad *primam communionem*, quando dictas scholas frequentant, ex evolutis in Institut. canon., Tract. 4, n. 70.

5. Graviora etiam pericula esse solent in scholis superioribus, academiis, etc., quam in inferioribus et elementariis scholis; sed facilius in illis remedia adhiberi possunt efficacia, si velint juvenes, ob eorum firmiorem animum ac prudentius judicium, et præsertim si juvenis a parentibus viro pio et amico commendetur, qui in eum invigilet; si se retrahat ab illicitis consortiis; si sæpe accedat ad sacramenta, ac doctum et pium habeat confessarium, quocum difficultates libere communicet; si respectui humano fortiter resistat.

2° *Corrigere filios delinquentes*, Spiritus sanctus hoc parentum officium instanter urget : « Qui *parcit virgæ, odit filium* suum... Noli *subtrahere a puero disciplinam;* si enim *percusseris* eum virga, *non morietur*... Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis; » Prov. 13, v. 24; 23, v. 13; 5, v. 14. — « Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed *educate illos in disciplina*, et *correptione Domini.* » Eph. 6, v. 4. Nam « adolescens juxta viam suam, *etiam cum senuerit, non recedet ab ea;* » Prov. 22, v. 6.

Unde peccant parentes, qui omnia filiis suis concedunt aut permittunt, timentes eos contristari; vel qui, bonitate intempestiva utentes, remissius erga illos agunt, et negligunt sive ob segnitiem, sive ob benignitatem crudelem, eos præcepto rigoroso, aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere. Nec profecto satis redarguenda est in hoc tam gravis momenti officio adimplendo plurimorum parentum infidelitas, ad maximum animarum detrimentum.

Peccant etiam parentes, qui gravioribus pœnis in filios animadvertunt, v. g., qui eos mutilant, vel eis grave vulnus, aut percussiones, et verberationes adeo graves infligunt, ut vita aut sanitas quid detrimenti capiat. Correctio enim, ut sit utilis, debet esse moderata et prudens; alioquin filios reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque des-

peratione affectos, atque in filiis erga parentes contemptum etiam, et exitiale odium parit.

3° *Exemplum filiis præbere.* Quidquid enim coram filiis præsertim ætate teneris fecerint parentes, idem efficit, ac si mollissimæ ceræ sigillum imprimant; quod semel impressum, non ita facile deletur. Aliunde, si parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, quomodo verbis filios ad bonos mores sectandos moverent? Mementote, vos parentes virginis, *magis eam exemplis tueri posse, quam voce*, ait S. Hieronym. *Epist* 7 *ad Lætam.* Et si Christus *væ* dixerit illi cuicunque, *per quem scandalum* venit, quale ingeminandum erit anathema in genitore, qui scandalo quotidiano proprios filios in barathrum gehennale detrudit.

Hinc duplex peccatum perpetrant parentes, cum, filiis præsentibus, verba turpia et obscenos sermones proferunt maledicta et imprecationes evomunt, juramenta et blasphemias eructant.

Quæ puerorum aut juvenum institutionem respectu *castitatis* spectant, diximus in speciali Tract. *de Virtute Castitatis*, n. 35-45; 65-68.

128. — Obligationes aliorum cognatorum ascendentium et descendentium, eædem sunt, data debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa. Isti enim omnes, ratione generationis aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo ligantur, præsertim si, parentibus deficientibus, ascendentes nepotum causam suscipiant.

Fratres et sorores debent se peculiari dilectione prosequi, ob arctum sanguinis vinculum, atque sibi invicem succurrere quoad necessaria vitæ, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. Vide Tract. *de Decalog.*, n. 179; *de Contract.*, n. 145.

read this — No 131 [illegible]

§ III

De obligationibus Magistrorum et discipulorum, Dominorum et famulorum.

129. — I. *Magistrorum.* Hi apud discipulos locum parentum tenent, et ideo ratione sive officii, sive stipendi ac-

cepti, tenentur diligenter, circa conveniens objectum, ac convenienti methodo discipulos edocere.

1. *Diligenter* quidem. Nam ad puerorum et juvenum congruam institutionem indefessa cura opus est tum in docendo, tum in vigilando, tum in bonum exemplum præbendo, ut constanti universalique experientia constat.

2. *Circa conveniens objectum,* nempe doctrinam catholicam[1], et scientias profanas ad scopum intentum idoneas. Si vero in scholis publicis imponantur libri, in quibus plura religioni catholicæ adversantur, magister ea vel directe confutet, vel saltem omnino prætermittat, si directæ confutationi obstent extrinseca incommoda; suspecta vero et ambigua congruis explicationibus emendet.

Similiter, si in iisdem publicis scholis prohibeatur magister, ne quicquam doceat de religione, taceat, posito quod, si secus, suo munere privaretur : haud parum enim noxium foret, si hoc modo non liceret magistris catholicis illo fungi officio; sed nihilominus magister, etiam in his adjunctis, sua loquendi et agendi ratione catholicam religionem coram discipulis aperte, licet modeste, profiteatur.

3. *Convenienti methodo,* ita ut captui discipulorum accommodetur, nec eorum animi obruantur, nec fastidio officiantur. « Quatuor sunt, ait S. Thomas, quæ doctori congruunt, scilicet : dicenda prævidere, quid dicat inspi-

1. « Il faut que l'instruction primaire soit vraiment *bonne* et *socialement utile*, qu'elle soit *profondément religieuse*. Et je n'entends pas seulement par là que l'enseignement religieux doive tenir sa place, et que les pratiques de la religion doivent y être observées : un peuple n'est pas élevé religieusement à de si petites et si mécaniques conditions. Il faut que l'*éducation populaire soit donnée et reçue au sein d'une atmosphère religieuse; que les impressions et les habitudes religieuses y pénètrent de toutes parts*. La religion n'est pas une étude ou un exercice, auquel l'on assigne son lieu et son heure; c'est *une foi, une loi, qui doit se faire sentir constamment et partout*, et qui n'exerce qu'à ce prix sur l'âme et la vie, toute sa salutaire action.

« C'est dire que, dans les écoles primaires, l'influence religieuse doit être *habituellement présente*. Si le prêtre se méfie ou s'isole de l'instituteur; si l'instituteur se regarde comme le rival indépendant, non comme l'auxiliaire du prêtre, la valeur morale de l'école est perdue, et elle est près de devenir un danger. » Guizot, *Mémoires*.

cere, quantum dicat animadvertere, dicta ordinate proferre. » Opusc. *de Virtut.*, c. 2.

Hinc peccant magistri contra suum officium, si non habeant scientiam sufficientem ad erudiendos discipulos suos; si negligentia sua aut inconstantia, causa sint cur discipuli non erudiantur; si præcipuam diligentiam non adhibeant, ut eos principia fidei doceant, ac bonis moribus imbuant, iisque amputent peccandi occasiones; si correctionem fraternam ergo illos non exerceant, ad quam tenentur ex præcepto caritatis et etiam justitiæ, ratione sui officii; si in manus puerorum tradant pravum librum, præsertim ab auctoritate ecclesiastica reprobatum; si aliquid proferant contra religionem catholicam aut bonos mores; si tandem aliquid minus rectum coram discipulis fecerint : « Nulla res *magis perniciosa discipulis vita magistri contumeliosi;* » ait Boetius.

130. — II. *Discipulorum.* Tenentur discipuli 1. revereri magistros tanquam superiores et locum patris quoad eorum institutionem tenentes; 2. attentionem præbere in audiendo magistro; 3. benevoli esse, ut melius et facilius discant : quæ enim benevolo animo audiuntur, facilius et tenacius retinentur; 4. dociles esse ad arbitrium magistri, ut ad omnem scientiam et morum honestatem sine difficultate informari possint. Prov. 5, v. 1, 11, 12, 13.

Qui scholas adeunt, sibimetipsis sub gravi peccato debent studium et laborem; tum quia sola temporis jactura, cum ad certam excrevit quantitatem, quæ definiri facile non potest, sufficit ad mortale peccatum; tum quia otiositas ad plura sæpius crimina ducit, et exponit periculo officia amplectendi sine requisita scientia; unde innumera fluunt mala.

131. — III. *Dominorum.* Domini tenentur famulos suos 1. *benigne tractare*, id est, decenter et humane eos alloquendo, et eis præcipiendo, bonaque et sufficientia alimenta præstando, nimiis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando. Eccli. 33, v. 31; Eph. 6, v. 9.

2. *Instruere et corripere*, quia dominus est caput famuli, sicut totius familiæ : « Si quis autem suorum et *maxime domesticorum curam non habet*, fidem negavit, et est *infideli* deterior. » I Tim. 5, v. 8.

3. *Justum pretium solvere;* agitur enim de obligatione justitiæ et æquitatis naturalis; unde defraudatio talis mercedis inter peccata in cœlum clamantia recensetur. Vide Tract. *de Contract.*, n. 284 et seq.

132. — IV. *Famulorum.* Debent famuli dominis præstare reverentiam, obedientiam et fidelitatem. Et quidem 1. *reverentiam :* « Servi dominos suos *omni honore dignos arbitrentur;* » I Tim. 6, v. 1. Unde peccant famuli, qui dominos suos irrident, aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2. *Obedientiam* in iis omnibus ad quæ se obligarunt vi contractus, et in iis quæ spectant ad bonos mores : « Servi, *subditi* estote in omni timore *dominis*, non tantum bonis et modestis, sed *etiam dyscolis;* » I Petr. 2, v. 18.

3. *Fidelitatem*, juxta illud : « Servos dominis subditos esse... *non fraudantes*, sed *in omnibus fidem bonam* ostendentes. » Tit. 2, v. 9. Hinc peccant graviter contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent; qui eas ex culpa sua deteriores fieri sinunt; qui victualia pretiosa aut ipsis non dari solita, surripiunt, sive ad manducandum, sive ad extraneis dandum aut vendendum. Vide Trat. *de Justit.* n. 169, et *de Contract.* n. 285, 286.

ARTICULUS II

De Statu civili.

Præcipuæ obligationes, quæ ex relationibus inter cives oriuntur, spectant vel medicos, chirurgos, et pharmacopolas pro curatione corporis; vel judices, advocatos, procuratores, notarios; testes, artifices, opifices, pro causis de bona fama, de corpore, aut de bonis mere externis. De illis omnibus breviter dicemus.

133. — I. *Medici, chirurgi, pharmacopolæ*, et alii qui ex

professione sua sanitati hominum inserviunt, tenentur 1. scientiam et experientiam sufficientem habere; 2. artem suam fideliter et sine fraude exercere; 3. illicitis mediis non uti ad procurandam sanitatem; 4. debitam sollicitudinem adhibere.

Sed insuper medicus aut chirurgus debet sub gravi ægrotantem admonere de gravi periculo, in quo versari potest, et de obligatione Sacramenta recipiendi, ne decedat absque absolutione, Viatico et Extrema-Unctione. Constat tum ex præcepto caritatis, tum ex Conc. Lateran. IV. Attamen interdum sufficit ut medicus curet ægrum admoneri indirecte a propinquis vel amicis; vel etiam satis est quod moneat Confessarium de statu pœnitentis, si æger notum habeat Confessarium. Caveat medicus ne diutius expectet ad debitam monitionem faciendam.

134. — II. *Judex* debet habere, 1. non solum auctoritatem legitimam, sed et scientiam sufficientem, ut omnia adjuncta juris et facti animadvertat; ac proinde intelligentiam non communem, ut causas intricatas percipiat; 2. diligentiam in litibus examinandis et terminandis; 3. integritatem incorruptibilem, ut nec amori, nec odio cedat, et ideo munera pro ferenda sententia accipere nequit; 4. fidelem erga leges observantiam; quia constituitur ad legem exsecutioni mandandam, non vero ad eam mutandam aut reformandam.

Unde, si causa sit dubia, reo favendum est in criminalibus; in dubio de proprietate simul et de possessione, juxta probabiliores rationes est judicandum; in dubio de sola proprietate, pro certo possessore standum est.

Tenetur proinde, uti cooperator injustus et efficax, reparare damnum quod non impedivit, vel cujus reparationem non procurat, quando potest.

135. — III. *Advocatus, procurator* et *notarius* specialiter obligantur ex officio suo, 1. ad habendam scientiam muneri suo convenientem; 2. ad fidelitatem erga Rempublicam et suos clientes; 3. ad justitiam erga omnes; 4. ad

curam et diligentiam in negotiis sibi commissis; atque tenentur de damno ex defectu alicujus ex illis conditionibus consecuto; 5. in causa dicenda cavere debent a fraudibus, falsis probationibus, aliisve mediis injustis contra partem adversam; secus enim pariter omnia damna inde sequentia compensare tenentur.

In materia *civili*, advocatus causam *certo* injustam sustinere non potest; et si, eam defendendo, injustam sententiam obtineat, damna exinde sequentia reparare tenetur. A fortiori in materia criminali non potest advocatus suscipere partes accusatoris *evidenter* injusti. Unde advocatus. procurator, notarius, a cliente interrogati, totam rem, uti eam apprehendunt aperire debent.

Si autem causa in materia civili sit *dubia*, imo *minus probabilis*, advocatus potest eam defendere, quia tunc spem habet ut veritas elucescat. Si, causa jam peracta, advertit eam esse injustam, debet statim suam partem admonere de injustitia causæ, et eam deserere, ne damno injusto cooperetur; neque compositionem suadere potest, siquidem hæc nonnisi in re dubio locum habere debet. Attamen deserendo causam, quam injustam esse detegit, advocatus non debet aliam partem juvare seu secreta suæ causæ alteri parti revelare, ut patet ex jure naturali. S. Th. 2. 2, q. 71, a. 3.

In causa *criminali*, reus semper defendi potest, etiamsi constaret de ipsius culpabilitate, mediis tamen honestis et licitis, seclusis scilicet mendaciis, fraudibus, etc. Advocatus enim reum defendens nemini infert injuriam, et præterea ex suo officio reo patrocinari debet in quantum potest.

Advocatus, procurator et notarius generatim nihil accipere possunt ultra justum pretium, quod vel lege taxatum est, vel judicio prudentum est determinandum, habita ratione negotii, peritiæ agentis, laboris quem impendit, et consuetudinis receptæ. Tenentur autem gratuito succurrere versantibus in gravi necessitate, non tamen cum notabili suo incommodo. Vide Bouix, *de Judic.* t. 1, p. 238.

136. — IV. *Testis* 1° tenetur ex caritate, non vero ex justitia, *sponte sese offerre* ad testificandum, si testimonio suo innocentem facile liberare, gravem injuriam impedire, etc., posset. Constat ex dictis in tract. *de Justit.*, n. 244, 246, *de Decalogo*, 174. Ex legali autem justitia tenetur denuntiandi crimen reipublicæ perniciosum, si alia via damnum publicum impedire nequit. S. Th. 2. 2, q. 68, a 1.

2° Qui *fugit* aut *se occultat antequam ad testandum citetur*, vel qui ad testandum a judice *legitime citatus, fugit aut testimonium fraude declinat*, et ita fit efficax et moralis causa ut judex sententiam ferat in alterius damnum, non peccat contra justitiam nec ad restitutionem tenetur, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, ut ait S. Ligor., lib 4, n. 270. Ante enim citationem, nullum est præceptum nisi ex caritate; post vero citationem, adest quidem præceptum obedientiæ, non tamen justitiæ et ideo contumax est et inobediens, non autem injustus.

3° Qui *legitime* et *juridice interrogatur*, non tenetur testari, 1. si rem sciat ex confessione tantum; 2. vel sub secreto commisso, ut consiliarius, advocatus, medicus, etc., nisi tamen immineat damnum publicum; 3. si ex testimonio ipsi testi vel suis immineat notabile damnum : unde communiter quis non tenetur testari contra suum consanguineum; 4. si a viris non sat fide dignis rem acceperit : tunc potest se habere, ac si nihil sciret; 5. si factum acceperit per injuriam, v. g., aperiendo litteras, cogendo alium ad revelationem, etc.; 6. si alter probabiliter mortale peccatum non commiserit, furando aut aliquod delictum patrando; quia mens judicis est de delicto inquirere.

4° Qui legitime interrogatur a judice, nec habens sufficientem rationem tacendi veritatem, nihilominus *eam celat negative*, scilicet, respondendo se factum nescire, cum reapse illud sciat, peccat juxta omnes. An vero teneatur ad restitutionem, si ex tali silentio alter patiatur damnum, affirmant plures, inter quos Salmant., Soto, Sanchez, Navarrus; alii vero communius et probabilius negant, inter quos Lessius, de Lugo, Bonacina, S. Ligor., lib. 4,

n. 270; quia testis veritatem deponere non tenetur nisi ex præcepto judicis et ratione juramenti; et ideo, veritatem tacendo, peccat contra obedientiam et virtutem religionis, non vero contra justitiam. Vide Tract. *de Justit.*, n. 244, 246.

5° Qui *scienter falsum testatus est*, per quod alteri fuit causa damni, non solum peccat contra veracitatem, sed etiam tenetur ex justitia ad reparationem damnorum, quæ ex ejus falso testimonio consecuta sunt, cum sit eorum causa voluntaria, culpabilis et injusta, ex dictis in Tract. *de Justit.*, n. 221, 222, 224, *de Decal.*, n. 275.

Item tenetur revocare suum testimonium cum pari suo damno, et periculo etiam vitæ, si reus de ea periclitetur, et testis putet revocando testimonium, se aliquid effecturum; quia in damno æquali, potius habenda est ratio innocentis.

6° Qui autem falsum testatus est ex *ignorantia*, ex *inadvertentia*, ex *oblivione inculpabili*, tenetur quidem impedire damnum, si possit, sed ad restitutionem damni ex suo testimonio consecuti non adstringitur, cum ad hoc non teneatur ratione alicujus rei detentæ, nec culpabilis damnificationis.

7° Tandem, qui *scripturam*, *chirographum*, aut *epocham supponit*, vel *adulterat* ad supplendos actus *perditos*, vel *jus certum* prosequendum, non peccat quidem contra justitiam commutativam, cum ex hypothesi jus certum sibi vindicet; at peccat saltem venialiter ratione mendacii; et aliquomodo graviter contra caritatem erga seipsum, nempe se exponendo proximo periculo gravissimarum pœnarum, si detegatur falsitas, uti sæpe et sat facile evenit.

137. — V. *Artifices* et *opifices*, in genere, injusti sunt opera aut non vendendo, aut non locando justo pretio, occultos operum defectus non manifestando, ut dictum est in Tract. de *Contract.*, n. 268, 269; negligentia culpabili tempus terendo; alios operarios a labore avertendo; opus male exequendo, sive nimia præcipitatione, sive rerum necessariarum omissione, etc.

In particulari autem præcipue injusti sunt aurifabri et argentarii, qui aurum et argentum adulterant; inter vacua plumbum infundunt, adamantes infra valorem ab ignorantibus emunt, aut compositos pro naturalibus vendunt.

Pannifices et lanifices, qui lanam minoris pretii bonæ immiscent, tantique vendunt, quanti si tota materia foret ejusdem qualitatis; qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori texunt, etc.

Molitores qui grana immutant, aut eis res extraneas nullius fere valoris immiscent, etc.

ARTICULUS III

De Statu politico.

138. — Hujusmodi status complectitur obligationes auctoritatis secularis erga subditos, et subditorum erga illam auctoritatem.

Porro, in Tract. *de Decalogo*, n. 249 et seq., jam actum est de subditorum obligationibus erga superiores in genere. Superest igitur ut quædam contrahamus principia de Officiis auctoritatis secularis et de obligationibus illorum qui, per electionem, ad gubernationem rei civilis mediate concurrunt. Itaque

139. — I. *De obligationibus auctoritatis secularis erga subditos.* Istæ obligationes spectant sive finem, sive media regiminis secularis.

1° Quoad *finem*, secularis auctoritas seu potius illi qui eam exercent, proxime et immediate sibi proponere debent, ut societas, cui præsunt, per congrua media finem temporalem consequatur, nempe, facultates sive physicas, sive intellectuales, sive morales evolvendo, et ita, decursu præsentis vitæ, perficiendo vitam corporis, mentis et cordis; mediate autem et remote, ut quisque subditus meliori modo obtineat vitam æternam, ad quam omnia, quæ in præsenti vita peraguntur, ultimo referri necesse est. Hæc constant ex natura et proprio fine cujusque hominis in præsenti statu naturæ lapsæ et reparatæ, ut demonstratum

manet in toto Theologiæ dogmaticæ et moralis decursu.

2° Quoad *media* ad illum finem obtinendum, auctoritas secularis debet 1. publicæ securitati et communibus necessitatibus prospicere; 2. leges justas decernere, quibus bonum publicum, fides et boni mores promoveantur; 3. tributa nonnisi necessaria, et juxta cujusque vires imponere; 4. omnibus justitiam sine personarum acceptione tribuere; 5. publicis muneribus nonnisi dignos et aptos præficere; 6. bellum nisi justum ac necessarium non suscipere; 7. Ecclesiæ plenam libertatem in exercitio suæ auctoritatis relinquere; eamdem adjuvare in illo exercitio; eidem subordinari in re spirituali. Præfata colliguntur ex ipso fine auctoritatis secularis, et ex dictis in Tract. *de Ecclesia*, n. 227 et seq.

Peccant igitur qui, in regendo societatem secularem, aliqua ex illis media non adhibent; multo magis, si contraria decernant, et in praxim reducant.

140. — II. *De eligentium obligationibus.* Nostris temporibus fere omnes cives, eligendo concilia municipiorum, provinciarum, deputatos, senatus membra, mediate concurrunt ad societatis secularis regimen et bonum publicum procurandum; et ideo haud parum interest, ut electores intentione recta, firmo animo ac sapienti modo fungantur suo munere. Videlicet,

1° Tenentur electores dignos, imo digniores candidatos anteponere, qui bono publico promovendo sese devoveant, et malum, ubicunque sit, satagant emendare. Ad hoc enim unicum scopum candidati suffragia expostulare possunt, ex dictis de fine auctoritatis secularis, n. 139.

2° Proinde, si inter candidatos alii sint digni, alii vero indigni, omnes electores ad suffragandum pro dignorum electione convolare debent, ne consortes fiant mali, quod patrarent candidati indigni, si eligerentur.

3° Si autem candidati sint plus minusve indigni, licet eligere, aut etiam aliquando urget obligatio eligendi minus indignum, ut excludatur pejor candidatus, juxta axioma: *Ex duobus malis, minus est eligendum.*

Quoad obligationes illorum qui eliguntur, jam dictum est, n. 139.

Hic tandem imponimus finem operi quod, Deo inspirante et adjuvante, instituere, prosequi et perficere datum est. Utinam ad Ecclesiæ Catholicæ ædificationem, ad animarum salutem atque ad gloriam Dei procurandam inserviat!

FINIS TRACTATUS DE VARIIS STATUUM OBLIGATIONIBUS.

INDEX GENERALIS ALPHABETICUS

NOTA. — Numerus romanus *Tomum*, arabicus *Paginam* designat.

A

Abbas. An possit suis subditis dare ordines minores? IV, 408; consecrare calicem et patenam? III, 689. An possit abbas aut abbatissa subditis permittere aut supprimere frequentiorem communionem? 597.
Ablutio in baptismo, III, 414; in celebratione Missæ, 702.
Abortum procurare illicitum, V, 615; pœnæ contra procurantes abortum, 385; abortivus baptizandus, III, 429.
Abrahæ fœdus cum Deo, I, 463; sinus Abrahæ, IV, 332.
Abrenuntiatio in Baptismo, III, 429.
Abrogatio legis, V, 205; censuræ, 334; legis mosaicæ, I, 181.
Absens quoad absolutionem a peccatis, IV, 57; a censuris, V, 333.
Absolutio sacramentalis, quoad verba essentialia, IV, 55; deprecatoria, 57; data nutu, scripto, absenti, 57; collectiva, 59; conditionata, 60; absolutionis conditionatæ licitas, obligatio, 62, 63. — Quibusnam absolutio concedenda, differenda, deneganda? 247; an, quando, quomodo tribuenda plus minusve doctrina christiana carentibus, 125; occasionariis, 128; consuetudinariis, 135; recidivis, 136; moribundis, 141; hæreticis ex bona fide, 144; parvulis, 177 — A quo danda? 210, 214. — Absolutio a reservatis, 234; a censuris, V, 330-48.
Abstinentia ut virtus, V, 694; a carnibus, ab ovis et lacticiniis in jejunio, 673; a carnibus extra jejunium, 670; ab operibus servilibus die dominica, 534.
Acceptatio. An necessaria ad legem? V, 164; ad hæreditatem, VI, 295.
Acceptio rei alienæ, VI, 118.
Accessio, VI, 78.
Accidentia sunt in Eucharistia. III, 504, 624, 627; systema Thomistarum de accidentibus Eucharisticis, 510; systema Modernorum, 511.
Accomodatitius sensus Scripturæ, I, 626, 633; accommodationis systema apud Protestantes, 633.
Acedia. Notio, gravitas, filiæ, remedia, V, 306, 316, 317.
Acetum non potest esse materia in Eucharistia, III, 529.
Acolytus, IV, 426.
Acolyti vasa sacra tangere possunt, III, 688.
Actio gratiarum, III, 40; post Communionem, 599; post Missam, 702. V. *Gratitudo*.
Acta Martyrum sunt testimonium de divina Traditione, I, 596.

Actus humanus. Notio, species, V, 8. 10; principia, 13; moralitas, 37; v. *Moralitas*. — An actus mere internus cadat sub lege humana? 177, 178; an lex extendatur ad actus præteritos? 178; an uno actu possit satisfieri pluribus præceptis? 182; signa interruptionis actuum, 261; an in uno actu tot sint malitiæ, quot violantur obligationes? 264.

Adam constitutus in gratia, III, 131; a primo instanti, 133; creatus ad finem supernaturalem, *ibid.*; immunis ab ignorantia, 134; a concupiscentia, 135; a morte, 137; a dolore, 138; peccavit graviter, 141; in eo peccaverunt omnes homines, 144; illo non peccante, non fuisset peccatum originale, etsi Eva peccasset, 163; quomodo peccare potuerit, cum esset a concupiscentia immunis? 143. — Redemptor fuit Adamo promissus, I, 161, 224.

Adjunctio, VI, 80.

Administratio Sacramentorum a quo? III, 352; qua attentione? 353; intentione? 354; fide et sanctitate? 362. — Administratio bonorum filii aut pupilli, VI, 36, 247-52; interdicti, 252; uxoris, 40, 59.

Admiratio non fuit proprie in Christo, II, 475.

Adoptio per gratiam sanctificantem, III, 213; legalis, IV, 626; constituit impedimentum dirimens, 626.

Adoratio. Notio, species, V, 457; præceptum, 458; est primarius finis sacrificii, II, 584; III, 629.

Adulatio, V, 684.

Adulatores, V, 627.

Adulteratio libri, I, 128.

Adulterinus; v. *Illegitimus*.

Adulterium, V, 301; est causa separationis quoad torum et habitationem, IV, 548; impedit matrimonium, 640-42. — An, quando, quomodo sit restituendum ratione prolis adulterinæ? VI, 184-87. — An filius teneatur credere matri suæ ortum adulterinum revelanti? 188.

Advena, v. *Peregrinus*.

Adventitia bona, VI, 36.

Adventus Christi fuit tempore convenienti, II, 575.

Advertentia ad legem, V, 78. 185; ad peccatum mortale, 247; ad votum, 505; ad sacramentum, III, 651; ad Matrimonium, IV, 495, 601; ad contractum, VI, 231.

Advocati obligationes, VI, 558.

Ædificatio quoad dominium, VI, 81; ædificatio spiritualis pro Clericis obligatoria, 466.

Æmulatio, V, 308.

Æquiprobabilismus, V, 103, 114, 117.

Æquivocatio. Notio, species, illicitas, V, 627.

Ære alieno gravatus potestne religionem ingredi? VI, 165, 540.

Ætas ad Eucharistiam, III, 568; ad Pœnitentiam, IV, 85; ad Ordines, 442; ad Matrimonium, 607; ad legem, V, 185, 176; ad jejunium, V, 676.

Æternitas. Notio; an Deo competat? II, 156; quid in Deo? 157. — Æterna est generatio Verbi, 267; processio Spiritus sancti, 278; pœna dæmonum et damnatorum, 353; æterna Beatorum gloria, III, 263. — An mundus creari possit ab æterno? II, 176.

Aerius, I, 360.

Affabilitas, V, 683.
Affinitas. Notio, IV, 627; gradus, 625; gradus dirimens matrimonium, 630; quo jure? 631; affinitas ex incestu impedit debitum, 714.
Afflictio, V, 305; v. *Tribulatio*.
Agens. Notio, III, 28; medium intrinsecum et finis sunt agentis proxima et ultima evolutio, *ibid.*; agens naturalis, 30; supernaturalis, 33; intrinsecus, extrinsecus, V, 8, 12.
Agathonis epistola contra Monothelitas, II, 421.
Aggæi prophetia, I, 235.
Aggressor vitæ, bonorum, pudicitiæ, V, 608-614.
Agnus Dei est sacramentale, III, 384, 702.
Alba, III, 690.
Alearum ludus, VI, 458, 518.
Aliena res quoad venditionem, VI, 375.
Alimenta debita parentibus, V, 595; VI, 315; descendentibus, conjugi, collateralibus. 306; filiis illegitimis, 307.
Alluvio, VI, 82.
Altare in omni sacrificio, II, 581; in sacrificio crucis, 593; in sacrificio cœlesti, 600; pro Missa, altaris species, necessitas, consecratio, exsecratio, apparatus, III, 679-82. — Altare privilegiatum, 665; IV, 296.
Alvei mutatio, VI, 82.
Ambitio, V, 292.
Amentes quoad Baptismum, III, 429; Confirmationem, 554; Eucharistiam, 563; Pœnitentiam, IV, 123; Extremam Unctionem, 367; Ordinem, 448; Matrimonium, 562, 601; leges, V, 185; dominium, VI, 36.
Amicitia erga Deum, IV, 90; V, 450; datur per gratiam, III, 211; v. *Caritas*.
Amictus, III, 690, IV, 427.
Amissa res, VI 74.
Amor : v. *Amicitia, Caritas, Contritio, Quietismus*. — Amor concupiscentiæ, benevolentiæ, amicitiæ, IV, 91; amor substantialis et infinite perfectus in Deo, II, 281; amor Dei erga creaturas, 288. Homo in præsenti statu sine speciali auxilio Deum amare potest amore imperfecto et inchoato, III, 173; non autem amore super omnia, 180; quid in statu naturæ puræ? 92, 100. — Amor beatificus, 256. — Eucharistia est sacramentum amoris, 485, 550. — Amor initialis ad attritionem requisitus, IV, 114-20.
Amphibologia : v. *Æquivocatio*.
Analysis fidei, II, 73; I, 438.
Anathema. I, 579; V, 316.
Angelus. Nomen, II, 308; natura, possibilitas, 310; existentia, 312; creatio, 316; tempus creationis, 317; numerus, 318; species, 319; cognitio, 321-328; libertas, 329; peccabilitas, 330; locutio, 331; virtus agendi ad extra, 333; excellentia super hominem, 334; status gratiæ, 334; cognitia mysteriorum fidei, 337; meritum, 339; gradus gratiæ, meriti, gloriæ, 340-41; vita gloriæ, 342; an salvati Angeli per Christum? 343. — Dæmonis peccatum, pœna, impugnationes : v. *Dæmon*. — Custodia Angelorum : v. *Custodia*; hierarchia cœlestis : v. *Hierarchia*. — Prædestinati homines ad reparandas sedes Angelorum peccantium, 345.

Anglicani, I, 295, 615.
Angustia loci est causa dispensandi in matrimonio, IV, 680.
Anima Christi, v. *Christus*. — Modus, quo anima humana contrahit culpam originalem, III, 158; animæ parvulorum cum originali peccato decedentium, 165; animæ status in gloria, 248; in Purgatorio, IV, 332, 337; dispositiones animæ ad Eucharistiam, III, 577; quomodo a Confessario agendum est cum animabus spiritualibus? IV, 252.
Animalium occupatio, VI, 65, 66.
Animus. Bona animi, eorum dominium, VI, 14, 15; restitutio ob damnum illatum in bonis animi, 189; irregularitas ex defectu animi, IV, 440.
Annus pro præcepto annuæ confessionis, IV, 183.
Antichresis, VI, 457.
Anticipatio solutionis, VI, 281.
Antipendium, III, 683.
Antiphona, VI, 468.
Antropomorphitæ, II, 161.
Aperitio hæreditatis, VI, 336; conscientiæ, III, 591.
Apes, si ex alveo evolaverint, ad quem pertineant? VI, 66.
Apocryphus liber, I, 619.
Apostasia, V, 432, 458; Apostatæ sunt de foro Ecclesiæ utpote baptizati, 316; pœnæ contra illos, 341; non pertinent ad Ecclesiæ corpus, I, 397.
Apostoli a Christo electi, denominati, informati, I, 342; missi, 344; exercent divinum magisterium, 346; alios constituunt Episcopos, 341; eorum miracula, 212; media ad propagandum Evangelium, 269; viva voce docent, 517, 564; eos Sacerdotes ordinavit Christus, III, 614.
Apostolicitas. Notio, species, I, 368; Ecclesiæ Christi essentialis, 370; et exclusive propria, 373. — Apostolica est Romana Ecclesia, 406-421. Nulla Apostolicitas apud Protestantes, 529; nec Apud Ecclesias Græcas et Ruthenas, 549; Traditio apostolica, 563.
Apparitiones dæmoniorum, II, 404; mortuorum, IV, 338.
Appellatio ad futurum Concilium, I, 471; jus appellationum ad S. Pontificem, 484; conditiones ut appellatio suspendat censuram, V, 334.
Applicatio. Obligationes Sacerdotum circa Missæ applicationem, III, 645-53; v. *Studium*.
Appollinaristæ, II, 439.
Approbatio alicujus doctrinæ vel operis a S. Sede, I, 645; approbatio data operibus S. Ligorii, 647; approbationis pro jurisdictione pœnitentiali notio, IV, 235; necessitas ad absolutionem fidelium, 236; regularium, 237; monialium, 237; a quo dari possit, 240.
Aqua benedicta, III, 386; in Baptismo, 413; in Eucharistia, 534, 604.
Arausicanum Concilium, I, 585; III, 59.
Arca, quodam cultu colebatur, II, 645.
Arcani disciplina, II, 39, 42; III, 490.
Archangelus, II, 382.
Argumentum discussionis, præscriptionis, I, 601.
Ariani, II, 231; Semi-Ariani, 232.
Arma Clericis prohibita, VI, 517.

Arrhæ in sponsalibus, IV, 571; in venditione, VI, 370; in promissione venditionis, 372.
Artes Clericis prohibitæ, IV, 443; VI, 517; quæ excusant a jejunio, V, 675; ars notoria, V, 476.
Articulus, fundamentalis, I, 526; fidei, II, 36; articuli Symboli, 40.
Artifex. An excusetur à servili opere die Dominica? V, 539-42; a jejunio, 675; an teneatur facere opus promissum, VI, 265; reparare damnum ex inexsecutione operis promissi secutum? 266; aliæ obligationes, 580.
Aruspicium, V, 486.
Ascendentes, quoad tutelam, VI, 248; quoad hæreditatem descendentium, 315, 308.
Ascensio, V, 655.
Asceteæ, VI, 538.
Ascetica Theologia, I, 46; eam scire tenetur Confessarius, IV, 252.
Assecuratio. Obligationes venditoris quoad assecurationem rei in casu evictionis, VI, 396; vel contra defectus, 398. — Assecurationis contractus, 457.
Asseitas, II, 150.
Assensus fidei. Notio, II, 9; objectum materiale, 12; formale, 51; obscuritas, 74; veritas, 78; certitudo, 81; subjectum, 84; v. *Fides*.
Asservatio Eucharistiæ, III, 565, 684.
Assistentia, Missæ, V, 525; moribundis, III, 370, 377; IV, 144; VI, 521; matrimonio, IV, 632.
Assumptio B. Virginis, II, 635; V, 655.
Astrologia, V, 476.
Astutia, V, 688.
Atheus. Notio, existentia, II, 97; an quis possit esse vere atheus? v. *Atheismus*.
Atheismus. Notio, existentia, II, 94; causæ, effectus, formæ, defensores, confutatio, 101, 112.
Attentio in confectione Sacramentorum, III, 353; in Missæ celebratione, 693; auditione, V, 528; in Horarum recitatione, VI, 496.
Attentatio Matrimonii, IV, 641.
Attributum primarium essentiæ Dei, II, 137; attributa a primario Dei attributo defluentia, 143.
Attritio. Notio, IV, 93; motiva, 94; bonitas, 99; dotes, 101; sufficientia cum Baptismo, III, 186, 379, 412; cum Pœnitentia, IV, 113; cum Extrema Unctione, 369; quomodo pœnitens ex attrito fiat contritus? 113; amor initialis ad attritionem requisitus, 114-20; modus, tempus quo elici debeat attritio in Sacramento Pœnitentiæ, 120; quandonam desit attritio ad Sacram. Pœnitentiæ requisita, defectu cognitionis? 125; propositi? 127-41; manifestationis? 141.
Auctarium in mutuo, VI, 423; an licitum sit vi mutui perceptum; 426; auctarium apud antiquos, 430; coram lege civili, 437; coram Congregat. Rom, 440; taxa legalis, 440; hujus sensus, 441; extensio, 442; v *Mutuum*.
Auctor revelationis, I, 70; Sacramentorum pro lege naturæ et mosaïca, III, 347; pro lege nova, 341. — An unus auctor det certitudinem? I, 642; V, 92.
Auctoritas Ecclesiæ, I, 308; S. Pontificis, 311, v. *Ecclesia*, *Pontif. Rom*. — An Ecclesiæ auctoritas sit fidei motivum? II, 53, 56; vel saltem medium commune ad fidei assensum, 65, 73; I, 442. — Auctoritas Patrum in re dog-

trinali, 591; Theologorum, 594; unius auctoris, 502, 642; potestatis publicæ ad excusandum a restitutione, VI, 170; et circa nullitatem contractuum, 219.
Audacia, V, 690.
Auditio Missæ obligatoria diebus Dominicis et Festis, V, 525; ad Missam rite audiendam præsentia corporis, 526; pia mentis attentio, 528; locus debitus, 521; non adest obligatio audiendi Missam parochialem, 532; causæ ab auditione Missæ excusantes, 533. — An peccet audiens lectionem libri prohibiti? 362, 581; vel detractionem? 637. — An recitans Horas, debeat se audire, VI, 487.
Augurium, V, 486.
Augustinus sanctus, contra Pelagianos, III, 55; Semipelagianos, 59.
Aurora, quoad Missam, III, 676.
Auspicium, V, 486.
Authenticitas libri, I, 123; Pentateuchi, 123; librorum Veteris Testamenti a Pentateucho distinctorum, 152; librorum Novi Testamenti, 187.
Auxilium in ordine naturali efficax est gratuitum, III, 94; systema Molinistarum et Thomistarum circa naturam auxilii efficacis, 201-205; II, 187; auxilium in ordine supernaturali, v. *Gratia;* an et quale auxilium sit necessarium ad resistendum tentationibus? III, 164, 176-83.
Avaritia. Notio, gravitas, filiæ, remedia, V, 303, 305.
Ave Maria, v. *Salutatio*.
Aves : v. *Animalia*.
Azymus panis ad Fucharistiam, III, 526.

B

Babel turris et linguarum confusio, I, 141.
Baius et ejus errores, III, 74-77; in quonam a Luthero, a Pelagio, a Jansenio dissentiat aut cum eis consentiat, 78-79; confutatio, 91, 160, 167, 169, 170, 189, 107.
Balsamum in Confirmatione, III, 445.
Banna. Notio, IV, 574; necessitas, 574; circumstantiæ servandæ, 574; obligationes ex bannis consequentes, 577; dispensatio, 580.
Baptismus. Notio, III. 391; figuræ. 392; species, 393; existentia, 394; institutio, 395; discrimen a Baptismo S. Joannis, 396; necessitas, 397; caritas supplet Baptismum, 407; martyrium eumdem supplet in parvulis et adultis, 409-12. — Baptismi materia, 413; forma, 415; effectus quoad characterem, 417; peccata, 419; pœnam, 421; pœnalitates, 421; gratiam et dona, 423. — Minister ordinarius, extraordinarius, 426. — Subjectum, 429; caput abluendum, 430; infantes baptizandi quamprimum, 430; rebaptizandi in dubio, 431; plures simul baptizari possunt, 432; quid de filiis infidelium, de infantibus expositis, de baptizatis ab hæreticis? *ibid* ; dispositiones ab Baptismum, 429? IV, 112. — Patrini, III, 434; cæremoniæ baptismi, 436; impositio nominis alicujus sancti aut sanctæ, 437; inscriptio in libro parochiali, 438; irregularitas ex Baptismi iteratione, susceptionis ab hæreticis, IV, 451.
Barbitonsor, quoad opus die Dominica et Festo, V, 538; quoad jejunium, 677.
Basilica, III, 669.

Basiliense Concilium, I, 585.
Beatificatio. Notio, et quænam Ecclesiæ infallibilitas in hoc puncto? I, 461.
Beatitudo. Notio, et an sit in Deo? II, 147; beatitudo supernaturalis, v. *Gloria;* beatitudines, III, 220.
Bellum. Licitas, conditiones servandæ, V, 603; quomodo Clericis prohibitum? VI, 516; quando irregulares fiunt præliantes? IV, 446.
Benedictio. Episcopalis, III, 386; SS. Sacramenti, 567; ornamentorum Sacerdotis, 690; nuptialis, IV, 503.
